This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

6000887860

DE

HEBRAEORUM ET CHRISTIANORUM

SACRA MONARCHIA

ET DE

INFALLIBILI IN UTRAQUE MAGISTERIO

IN TRES PARTES DIVISA

EDITIO ALTERA

NOVIS AMPLISQUE ADAUCTA LUCUBRATIONIBUS

PER PROFESSOREM

ALOISIUM VINCENZI

BIBLIOTHECA BODLEIANA

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA VATICANA
1875

110. e. 198.

46

PIO IX

PONTIFICI MAXIMO

DOCTORI ET JVDICI INERRANTI

A CHRISTO JESV IN ECCLESIA CONSTITVTO

CVM POTESTATE IN CVNCTOS EPISCOPOS

HAS LVCVBRATIONES

DE SACRA HEBRAEORVM ET CHRISTIANORVM MONARCHIA

ET DE INFALLIBILI IN VTRAQVE MAGISTERIO

E DIVINIS SCRIPTVRIS ET PATRVM TRADITIONIBVS ERVTAS

ET ADVERSVS DOGMATIS CATHOLICI HOSTES EXACTAS

ALOISIVS VINCENZI

LITTERARVM HEBRAICARVM PROFESSOR

D. D.

PROLOGUS

Si scriptor, quicumque sit, res easdem iterare ab aliis tractatas plerumque molestias lectoribus affert; tantumdem arduum est scriptori novas prodere in vulgus opiniones, quae veterum placitis adversentur, praesertim ubi agatur de argumentis, in quibus laborarunt viri sapientia, eruditione et pietate illustres, ita ut videretur temeritas dubitare ac amplius contradicere dictis tam asseveranter et longa annorum serie acceptis probatisque. Nihilominus inter cetera quandoque tales subeunt in Ecclesia circumstantiae, ut fere necesse sit novum insumere examen, novumque inire experimentum circa ejusmodi opinionum vim: eoque magis cum istae videantur minus aptae ad refellendos errores recentiorum; qui quotidie rimantur occasiones in dogmatis catholici dejectionem.

Hoc autem potissimum accidit in argumento de Pontificis Romani jurisdictione supra totius orbis christiani episcopatum, ejusdemque veluti consequentia necessaria infallibilitate personali in rebus fidei et morum judicandis confirmata in Concilio Vaticano.

Nemo sane nescit, quanto ardore Ecclesiae Catholicae cujusque generis hostes sive haeretici, seu schismatici, aut rationalistae, non exclusis pluribus bona vel mala fide orthodoxis, animose insurrexerint adversus hanc definitionem. Idcirco pro viribus meis hanc volens una cum ceteris aggredi quaestionem, si forte aliquid boni Christi Ecclesiae et in animarum salutem comparare valeam, ac una considerans contradictionum momentum, quibus veluti loricis armantur adversarii, exorsi a primorum Patrum monumentis, unde arbitrati sunt vires sibi sufficere ad hujus dogmatis expugnationem, ita horum secutus vestigia, nitar ejusdem aetatis perscrutari traditionem et scripta, incipiens a beati Petri Pontificatu usque

ad s. Leonem I. In quo quidem intervallo putant, Christi Ecclesiam perrexisse sub regimine nisi democratico saltem aristocratico; donec sub hoc Pontifice conversum fuit in absolutam monarchiam.

Et hoc est, quod prae ceteris tenet Petrus Suavis Nolanus, teste Joanne Laurentio Lucchesino in Opere inscripto: *Sacra Monarchia s. Leonis Papae I. Romae 1693.* Illi enim visum est statuere, tale fuisse aristocraticum olim Ecclesiae regimen; ac paulatim evasisse monarchicum. Et per hanc gradationem subdit, parva et angusta fuisse initia Pontificatus Romani; et pedetentim sese dilatando evasisse in infinitum; auctumque esse post seculum undecimum etc. »

Nos vero ex adverso incedentes, putamus ab initio monarchicum fuisse Ecclesiae Catholicae Romanae regimen; nec parva nec angusta, sed in sua integritate fuisse hujus monarchiae principia; postea vero a seculo IV. decrevisse non ob catholicos, sed ob donatistas, arianos, nestorianos, eutychianos, graecos, ruthenos, reformatores, gallicanos, cum omni rationalistarum turba; quorum unusquisque pro parte sua conati sunt se subducere a Sedis apostolicae auctoritate, futiles undequaque praetextus investigantes, falsa vel falsata proferentes testimonia in incautorum illusionem. Et ob hoc tantum dici potest decrevisse; cum secus considerata dilatatione Ecclesiae Catholicae in toto mundo, valde valde succrevisse cernimus monarchicum Christi regnum b. Petro commissum.

Quamobrem nos inde aggrediemur horum refutationem, unde ipsi auspicati sunt pugnam contra nos, ita ut collatis inter se nostris et suis argumentis, pateat quis tulerit punctum. Nisi quod mihi visum est quaedam praemittere de Pontificatu mosaico, ejusque praerogativis; qui divinitus institutus, typus futurus erat melioris idest Christi Jesu Pontificatus in sua Ecclesia erigendi, et instar annuli unionis inter unum et alterum Sacerdotium firmiter collocandi; cum utriusque origo profecto una sit et divina.

Cum autem in hac quaestione adversarii admodum innitantur supra vulgatos Canones nicaenos et antiochenos, praemittendum est, collectores et interpretes, duos maximos admisisse errores in expendendo horum Canonum auctoritatem. Et quoad Canones nicaenos, sedulum omiserunt examen de eorumdem authenticitate;

num scilicet ad nos pervenerint in sua integritate et numero, prout a Patribus in Synodo sanciti fuerunt, praesertim in iis spectantibus non solum primatum Sedis apostolicae supra omnes mundi episcopos ceu rectorem et doctorem Ecclesiae Catholicae sed et ejusdem jurisdictionem supra universos ecclesiarum antistites, metropolitas, patriarchas cujusque gradus et regionis, adeo ut ipse omnium controversiarum inter eos promotarum appellaretur judex. Quae quidem privilegia ab Ecclesiae exordio nota et a Patribus nicaenis confirmata, a summa horum Canonum partim subtracta, partim mutilata sunt, quin posteri hanc animadverterent fraudem.

Alterum vero errorem, nec quidem parvum, admiserunt collectores Conciliorum, auctoritatem adjudicantes Canonibus antiochenis ab eusebianis redactis adversus statuta nicaena et Ecclesiae disciplinam, ut se subducerent a judicio et anathemate Sedis apostolicae, quo mulctati sunt a Julio Papa I. ob calumniosas prae ceteris insimulationes jactas in s. Athanasium. Quorum Canonum sensus eosdem haberi scias, qui frustra inscribuntur apostolis seu Clementi Papae I. sicuti inferius patefiet.

Et haec comprehenduntur in prima et secunda Parte Operis. In tertia vero Parte, incumbentibus in idem de personali pontificia infallibilitate argumentum, illustratur testimonium Pauli apostoli epistolae ad galatas c. II. in qua dicitur ipse increpasse Cephae (qui vulgo intelligitur Petrus apostolus) quia non recte ambularet in veritatem Evangelii, docens adversus Pauli ejusdem praedicationem, necessariam esse graecis qui crediderant, circumcisionem. Quare adversarii valde offensi, non Petrum inquiunt caput fuisse Ecclesiae christianae sed Paulum, cum ille Petrus erraverit ac cesserit alterius insinuationibus.

His praemissis, cum nolim denuo repetere, quae alibi fusius expendentur, ne thaedio afficiam lectores, mihi donetur, modo rogo, digressio a proposito; et si parumper transferar ad aliud argumentum, quod ob Liberii Papae mentionem (de quo infra plura notavi fortasse ab aliis inconsiderata) hic inserendum putavi.

Haec porro digressio versatur de judicio emisso a catholicis ephemeridibus supra Apologiam, a me nonnullis ab hinc annis elaboratam, gestorum Vigilii Papae et Justiniani imperatoris adversus ini-

quissimas, vulgo acceptas, insimulationes, quibus impetiti sunt a malevolis et insciis trium Capitulorum defensoribus. [1]

Interim nolo quod nunc pro Vigilio Papa obtestor, hoc idem innovare pro Origenis orthodoxîa, cum universim accepta sit illius apologia; dummodo quosdam exceperis inveteratis praejudiciis obstrictos: quos precor ut saltem rationem habeant illius sepulchro in urbe Tyri et honorato ab ecclesia dicata s. Joanni Evangelistae (super enim illius sepulchrum extructa est) cujus rudera adhuc testantur veterum observantiam erga doctrinam sanam et pietatem tanti viri, ita ut Patres tridentini debitores ejus potissimum sint in firmanda catena traditionis ecclesiasticae inter apostolos et hanc Synodum. Ac propterea non absque jure ab eis postulo tributum gratitudinis. [2]

Quoad autem Vigilium hanc statui thesim: « Vigilii Papae fidei integritas, vitae probitas, canonica electio, munus sacrum irreprehensibiliter exactum ab initio Pontificatus ad exitum usque adversus Facundi, Liberati et recentiorum insimulationes propugnantur. p. 254. » De Justiniano vero in eosdem pugnans, hunc ostendi ab imperii sui auspicatione ad obitum usque catholicam fidem professum esse, Sedi apostolicae obsecutum, nec Papam, nec episcopatum orthodoxum persecutum esse unquam, sed haeresim insectatum, ac amplius ejus opera inter populos ethnicos Evangelium cum profectu promulgatum fuisse.

Itaque, ingenue fatebor, cum in hoc tractatu plerumque a vulgata opinione discedens, verebar (quin tamen animo deficerem) Romani Pontificatus hostium calamum, ex adverso penitus factum est. Ephemeridum enim catholicarum scriptores, ut universim loquar, et quidem ii, quorum Cathedrae Petri decus, gloria et excel-

[1] In s. Gregorii nysseni et Origenis Scripta et Doctrinam Nova Recensio etc. Item Vigilii Papae, Origenis Adamantii et Justiniani imperatoris triumphus in Synodo oecumenica V. per Aloisium Vincenzi etc. Volumen IV. et V. Romae etc.

[2] Et hic itaque praetermittere nolo debitum gratitudinis erga clarissimos viros Petrum Ballerini et Joannem Perrone e Soc. Jesu: qui, postquam consensu et impulsu beatissimi Papae Pii IX. feliciter regnantis auspicatus eram illud Opus, illi mihi animum adjecere consiliorum suorum et scientiae ope, ut cuncta beneverterent in dogmatis catholici commodum et Pontificatus Romani decorem.

lentia singulari curae commendantur, tantis praejudiciis tam longa seculorum serie superati circa utrumque Vigilium et Justinianum, qui simul vocantur rei, unusquisque in parte sua, hi, inquam, scriptores judices subeuntes, alii vix hanc pertigerunt quaestionem, cum alii silentio praeterierunt; alii mirati sunt, quod ob hanc apologiam plura refutavi documenta uti falsa et falsata in utrumque delata: alii, ut sileam de ceteris, qui in tenebris jaculantur, hypercriticam hanc nostram nuncuparunt discussionem, paucis tamen subjectis animadversionibus et parum ad argumentum facientibus.

Cum ergo ita sit horum censura tam breviter indicata, hos rogarem scriptores, ut apertius pronuncient suum judicium ac denuo mecum descendant in arenam de utroque disceptaturi. Conveniamus pariter. Ego vindex Papae Vigilii, suae fidei et morum integritatis, et in regimine prudentiae per omne sui Pontificatus tempus; illi vero hujusmodi dotes in Vigilio viro pravo negantes. Hinc fiet ut, si ex parte mea minus fecerim, tunc mihi uti catholico immodicus exprobrabitur zelus erga Sedis apostolicae decus; et si forte ad falsa declinarim, abluere studens sordes, quibus maculatus dicitur Papa, error meus parum oberit essentiae quaestionis.

Si vero, rite ponderatis rebus, punctum tuli, ac Pontificem a calumniosis insimulationibus undequaque servavi, ut audentius puto, tunc quid superest oppositoribus nisi dedecus et ignominia, se causam adjuvisse Sedis apostolicae maledicorum? ac potissimum cum isti in sua illusione asseverarint, Vigilium, postquam tot et tanta facinora patravit simoniae reus, ambitus, homicidii, perjurii, haereseos, et instabilitatis in judicio, demum poenitentiam egisse? Et quid per hanc poenitentiam obtinuerunt dicti censores coram Ecclesia, nisi praedictorum omnium reatuum confirmationem, quos admisisse dicitur, ita ut in parte per hanc praesumptam confessionem magis excitetur fidelium scandalum, praesertim ubi agitur de fide?

Verumtamen quomodo et undenam probatur ejusmodi poenitentia in viro, qui amplissimas emisit testificationes, saepe innovatas in suis scriptis, contra obtrectatores suos et suarum epistolarum interpolatores? cum a sui Pontificatus primordiis perpetuo innoxiam duxerit vitam, nec ad dexteram declinarit, nec ad sinistram? Et

quidem de sua canonica electione testatur, rescribens ad episcopos, ubi ait se a Deo vocatum ad regendam Ecclesiam, et se a Deo ipso constitutum super familiam suam; addens Deum, se voluisse praesidere Sedi apostolicae; insuper professus, se ab eisdem apostolis fidem traditam sincera voluntate tenuisse, tenere, et veneratam venerari atque defendere. Et fortasse hinc oppositores eruent simoniae vel haereseos culpas in Vigilio, ut inde concludant postea resipuisse?

Hoc item testatur Arator nobilis romanus in Poemate eidem Papae inscripto et quidem ab initio sui Pontificatus: quo tempore dicitur ipse leges canonicas pessumdedisse et immania patrasse crimina. Nihilominus Arator in concione coram eodem Vigilio, clero et populo romano ita celebrat Pontificem tanquam Romae salvatorem, et orthodoxa docentem ut concludat:

Respice, quod meritis debita solvo tuis.

Te duce, tyro legor, te dogmata disco magistro etc.

Et talia sunt Vigilii merita supra citata, unde hoc encomium consecutus est, ut fieret dux et magister Aratoris, et omnium fidelium. His positis, forsitan Arator mentitus est celebrans tantum Pontificem coram populo, cum nondum tersa erant vestigia simoniae, intrusionis, caedis, haereseos tam scelesti viri? Respondeant critici, qui ob hoc me hypercriticum vocarunt.

Percurrite insuper, quae ipse Papa deinde scribit ad Justinianum, ad Rusticum et Sebastianum, ad Valentinianum de Tomis, ad Caesarium et Aurelianum arelatenses, ac demum in Constituto novissimo, ubi sancita est damnatio trium Capitulorum: et hinc discite, si unquam fieri potuerit, ut Papa aliquando ad Ecclesiam universalem locutus sit, mentitus, quae antea probaverat, si revera ab initio Pontificatus tam manifeste deliquisset.

Huc ergo adeste critici; ac me hypercriticum arguite. Et si ita vultis, tunc eadem ut hypercritica a vobis opus erit allata coargui documenta; et hinc Vigilium, Aratorem ac ceteros uti falsarios et mentitores refelli. Attendite, num usu criticae vestrae hoc fieri possit, ut inde probetur, revera Papam talia admisisse crimina. Si vero vobis hoc arduum sit, mecum potius convenite asserentes, acta vitae hujus Pontificis ab Anastasio Bibliothecario

collecta (unde posteri historici illusi sunt) redacta fuisse a monumentis per trium Capitulorum defensores elaboratis: qui voce et scriptis animoque intenso, undique sparserunt falsa in odium apostolicae definitionis, fabulosas commenti narrationes, genuinas Papae epistolas pravantes, decreta fingentes suoque nomini inscripta, carceres, tormenta, cujusque generis violentias ex Justiniani parte in Vigilium exercitas propalantes, totamque Italiam et Africam pestiferis inficiéntes libellis in sanctum Pontificem et Justinianum ita ut nil mirum sit, si Anastasius in haec scripta incidens (Historici aetati ratione habita) talia posteritati commiserit parum sollicitus de illorum authenticitate.

Si praefatum Aratoris encomium, quo initium Pontificatus Vigilii ornavit, et si epistolae ejusdem cum Constituto novissimo, quo coronavit damnationem trium Capitulorum, hujusmodi sint ut vix reperiatur, qui genuinae earum derivationi resistat, cum horum dictio, circumstantiae, ordo, sensus inter se omnimode conveniant ac mutuo fulciantur; ex adverso quae his contraria continent, praesertim dico scripta Facundi et Liberati (quorum Pelagius I. lamentatur ignorantiam, vaniloquentiam, pervicaciam et perfidiam) inter se contendunt ac ad invicem confutantur, undequaque occultata illorum malitia in Vigilii dedecus et episcoporum, qui tria Capitula anathematizarunt. In quibus scriptis maxime perperdendum Facundi volumen est, ad Justinianum scriptum: quum totum hoc opus erigitur super cumulum arenae leviter dissolvendum, epistolam Ibae dico, ex actis citatam Synodi chalcedonensis: quorum sensum vel corrupit, aut non intellexit. Et hoc est vexillum a Facundo et sociis elatum contra pontificiam definitionem praeclarissime in citato Constituto exactam. Et hi sunt fontes, Facundi dico et Liberati scripta et libellos anonymos huc illuc discurrentes, unde, qui mihi obstiterunt, mutuati sunt argumenta, ut hypercriticam nuncuparent, quam texi apologiam Vigilii Papae. et Justiniani. [1]

[1] Si in hac quaestione plura donanda sint c. Baronio, cui deerant documenta postea in lucem edita; non ita tamen dicendum est de Collectoribus Conciliorum a Labbeo incipiendo usque ad Card. Passionaeum: qui falsa sinceris commiscentes de hoc Pontifice, libellum potius famosum, quam ejusdem vindicias compilarunt.

Interim e pluribus manifestis indiciis, quibus perversorum patet malitia, hoc satisfiat. Tria notantur in Synodo V. oecumenica Vigilii decreta pro ejusdem confirmatione eodem anno subscripta. Duo veniunt sub Constituti nomine, alterum sub titulo epistolae decretalis ad Eutychium. Quorum ponderato tenorem. In uno Constituto decernit Papa, quaedam de tribus Capitulis esse damnanda, alia nequaquam, in quibus Theodorus mopsuestenus, cum non fuerit ante obitum damnatus. In secundo idest in epistola ad Eutychium eodem tempore dicit Papa absolute se a daemone fuisse deceptum, ita ut defenderet tria Capitula. In tertio, et quod probatur genuinum, testatur Vigilius, nunquam se tria Capitula comprobasse, exprobrans ideo obtrectatores suos falsa de se fingentes.

Hinc cum mireris ejusmodi dissonantiam in his tribus documentis, eodem anno a Papa subscriptis, memento, qui legis, me, cum duo priora refutarim ut falsa, cum in his corruptus sit sensus Constituti genuini, ob hoc hypercritici nota fuisse distinctum.

Ceterum, si critici inter scripta apocrypha et quidem jure collocarunt magnam copiam epistolarum Pontificum vulgo inter genuinas aliquando inscriptarum (etsi harum tenor plerumque habeatur orthodoxus) non mihi licebit inter libellos famosos numerare plura documenta labem inurentia nominibus duorum principum, qui tam benemeriti sunt de Ecclesia et de imperio?

Hoc autem sufficiat, quod praemisi monitum, lectorem precatus, ne subito praeripiatur a vanis suggestionibus adversus Vigilium virum probum a Deo vocatum ad Christi Ecclesiam regendam; cui vocationi ab initio ad finem usque sanctissime satisfecit. De reliquo ne thaedeat hujus argumenti studiosum, Volumen IV. meditari Operis citati cum additionibus insertis in Volumine V. ubi eadem apertius pertractantur tam de Vigilio quam de Justiniano; et ubi puto me explanasse difficultates, quin gestorum proderem veritatem: quod quidem obtinetur accurata monumentorum collatione.

Idcirco concludam rogans censores ut prae oculis teneant, nec ignorent quod in Actione XIV. Synodi oecumenicae VI. constantinopolitanae decretum est: « Anathema Libro, qui dicitur Mennae ad Vigilium et qui eum finxerunt. Anathema libellis, qui dicuntur

facti fuisse a Vigilio ad Justinianum et Theodoram divae memoriae; qui et sunt falsi demonstrati. Anathema simul omnibus, qui falsarunt acta sancti et universalis quinti Concilii etc. »

Nec tamen cessabo ab hoc argumento, quin prius meam exponam sententiam, impossibile mihi videri Vigilium in talia et tanta offendisse in suo Pontificatu: sicuti tantumdem valde miror, quod cum apertissime ab ejusdem aetate contrariae de eo vagentur opiniones, aliae pro eo, aliae adversus eum pugnantes, nihilominus in scholis catholicis adhuc persisti nisi in denigrando saltem in dubitando de tanti Pontificis fama.

Hanc porro notam mihi visum est hîc apponere ita ut siqui ob praecitatas ephemerides quodammodo capti sint illusionibus circa hanc Vigilii et Justiniani apologiam, sollicite attendant, ne forte ob hanc indulgentiam erga trium Capitulorum defensores, Sedis apostolicae jura et privilegia, quae hodie novis machinationibus incessanter impetuntur perversorum, ob praesumptos hujus Papae reatus, majori alacritate expugnentur.

Novissime hoc unum adserere mihi liceat, in historia ecclesiastica nullum occurrere exemplum, quocum probetur, humanam perfidiam tantum praevaluisse, quantum in quaestione Canonum nicaenorum, Liberii Papae, Origenis Adamantii, et trium Capitulorum: et tantumdem nullum in eadem historia reperiri exemplum; in quo sive illusio, aut praejudicium, vel partes tanta in Ecclesia provocarint scandala, quanta vidimus in praefatis excitata quaestionibus.

His praemissis, ad praecipuam quaestionem revertor. Et ab initio nemo nesciat, me in argumenti processu, juxta vulgatam locutionem ecclesiam occidentalem ab orientali distinxisse, ita tamen ut in ecclesia orientali comprehenderim non solum Syriam centralem, cujus metropolis Antiochia, sed et provincias totius Aegypti, Syriae, Palaestinae, Armeniae et Asiae minoris, seorsim a regionibus Thessaliae et Macedoniae. Et hinc opus aggredior, lectorem rogans, ut si forte in quibusdam erraverim, ut hominis est, mihi benigne donetur.

DE

HEBRAEORUM ET CHRISTIANORUM

SACRA MONARCHIA

ET DE

INFALLIBILI IN UTRAQUE MAGISTERIO

EX

DIVINA SCRIPTURA ET VETUSTA SYNAGOGAE
ET ECCLESIAE TRADITIONE COMPROBATIS

PARS PRIMA

CAPUT I.

De institutione et praerogativis summi Sacerdotis in Legislatione mosaica.

Hebraeorum gens, populus Israel a Deo electus uti exemplar Ecclesiae christianae, in qua cunctae orbis nationes congregandae erant, inter ceteras praerogativas (humanae societatis ordini necessarias) quibus maxime coruscavit, Sacerdotium sortitus est non commentitium, sicut in gentibus, quae Deum ignorarunt, sed verum divinitus institutum, et in medio illius collocatum, ut mediator esset inter ipsum Deum et homines; et creaturas rationales Creatori suo contineret obnoxias. Hoc vero hujusmodi notis distinctum est, ut israelitae apprime comprehenderint non hominem humana idest fallaci scientia imbutum, sed Deum per eum Sacerdotio functum, mirifica ratione loqui. Quare eos vidimus tanti viri obsecutos mandatis, ejusque reveritos judicium in omnibus, quae ad reipublicae regimen spectarent. Et sane perquam rationi congruum putatur, Deum populo suo, quem veluti manu sua regebat, ita providere debuisse, ut in iis, quae tam spiritualia, quam temporalia respiciebant, certae firmaeque inniterentur auctoritati.

Consideratis aeque interim, quotquot antea contigerunt, gestaque sunt a prima hominum aetate ad ea usque tempora, quibus ab aegyptia servitute Abrahami progenies erepta est, nihil inde melius videtur, quam ut Legi mosaicae sensim veluti aperiretur aditus, et commodior aliquando via paullatim sterneretur. Nam cum illud propositum haberet Deus, ut, aberrante a pristina vitae innocentia ac Patrum exemplis universo genere humano, eamdemque fere oblito naturae vocem in tanta ac tam communi labe, populum sibi verae Religionis custodem secerneret, hujusque mores restitueret ad priscae Religionis integritatem, paranda certe Lex erat consentanea, suoque tempore promulganda: sicuti factum est.

Et reapse ipse est Moyses, qui plenitudine potestatis suae, qua a Deo insignitus est in regimine populi, Sacerdotii munus inter cetera officia explevit ad patriarcharum morem. Ac ideo post exitum ab Aegypto erexit altare in deserto (Exod. c. XVII. 15). Item paulo post (c. XXIV. 4.) extructo altari, misit juvenes ex filiis Israel, qui holocausta offerrent et victimas pacificas. Quos Chaldaeus Interpres, Paraphrastes, et Onchelos ex primogenitis Israel fuisse putarunt juxta veterum ritum.

Cum autem admodum laboraret Moyses in rebus populi dijudicandis, ait ei Jethro. « Esto tu (Exod. c. XVIII.) populo in his, quae ad Deum pertinent, ut referas quae dicuntur ad eum, ostendasque populo coere-

monias et ritus colendi etc. » Cui annuens Moyses « viros elegit, qui judicabant populum omni tempore. Quidquid autem gravius erat, referebant ad eum, minora tantummodo judicantes. » Quod consilium repetens Moyses in Deuteronomio c. 1. 17. ita expressit: *Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, et ego audiam illud.* Idest quae graviora sunt, quae Legis interpretationem expostulant, uno verbo quaeque recta ad Deum pertinent, ac egent divino lumine, et superna illustratione, referantur ad me, et ego respondebo juxta quod mihi divinitus revelatum fuerit, adeo ut rectum et inappellabile instituatur judicium. Quod Flavius ipse in Lib. III. Antiq. c. IX. testatur inquiens, Moysen in Tabernaculum ventitantem, oracula, quoties opus erat, a Deo referre.

Ac itaque legitur in Levitico (c. XXIV.) quemdam mulieris filium ex viro aegyptio genitum, maledixisse Domino. Qua re delata ad Moysen, ipse consuluit Dominum; qui respondit: *Blasphemans nomen Domini, morte moriatur.* Item Moyses consuluit Dominum (Num. c. XV) de eo, qui ligna collegit in agro die Sabbati: *Morte moriatur homo ille,* respondit Dominus Moysi. Similiter (Num. c. XXVII) Moyses retulit causam *filiarum Salphaad ad judicium Domini. Qui dixit ad eum: justam rem postulant filiae Salphaad etc.* Et ita explanantur et firmantur praefata verba: *Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, et ego audiam.*

Cum autem Moyses hoc expleret Sacerdotis magni officium, ac in omnibus studeret bono reipublicae hebraicae, haud solum aetati suae prospiciebat sed et posteritati, quod maximum erat, adeo ut cuncta beneverterent juxta mentem divinam in populi salutem *usque ad praefinitum tempus a Patre.* Eaque propter ex Dei jussu, qui sibi adstarent, sibique succederent in regimine populi, et in ordine sacerdotali, quod erat maximum, cujus judicio omnia sacra et civilia committenda erant, providit Moyses [1].

Ac interim ex familia Levi selegit Aaronem fratrem suum, qui Sacerdotio fungeretur, jam a Deo vocatus et constitutus socius Moysi in legatione ad Pharaonem, ut poneret verba sua in ore ejus, et mediator foret inter ipsum Moysen et populum. Iste Sacerdos magnus, cujus praeclara munera doctrina et sanctitas refulserunt quoque in externo

[1] Nostra porro disquisitio praecipue vertit adversus ea, quae scripsit Ackermann in *Archaeologia biblica* c. III. 278. §. 237. *De judiciis et poenis:* « Ex Lege mosaica per omnes urbes erant judices, qui etiam pagis adjacentibus jus dicebant» appellationes vero et causae graviores ad summum judicem, sive rectorem Reipublicae, et ejus defectu ad summum Sacerdotem (Deuter. c. XVII. 8. 9.) et demum ad regem spectabant: qui in causis difficilioribus sententiam summi Sacerdotis rogasse videtur. Post exilium rursus judices inferiores et superiores designati sunt (Ezra c. VII. 25.); causae vero graviores et appellationes deferebantur ad praefectum provinciae, vel ad summum Sacerdotem, donec aetate Machabaeorum supremum tribunal institueretur etc. »

illius ornatu, quo, Deo mandante, cumulavit illum Moyses; adeo ut totus Israel cujusque tribus ac etiam sacerdotes de eadem stirpe Levi agnoscerent et colerent illius excellentiam ac supereminentem auctoritatem, scientes, eum solum judicem et doctorem infallibilem constitutum esse a Deo in Israelis regimine.

Et re quidem vera, in c. XXVIII. Exodi, ait Deus Moysi: « Applica » quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis de medio filiorum » Israel, ut Sacerdotio fungantur mihi, Aaron, Nadab, et Abiu, Eleazar » atque Ithamar. Faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam » et decorem. Et loqueris cunctis sapientibus corde, quos replevi Spi- » ritu prudentiae, ut faciant vestes Aaron, in quibus sanctificatus mi- » nistret mihi.... Portabitque Aaron nomina filiorum Israel in Rationali » judicii super pectus suum, quando ingredietur Sanctuarium, memoriale » coram Domino in aeternum. Pones autem in Rationali judicii *Urim* » et *Tummim* doctrinam et veritatem, quae erunt in pectore Aaron, » quando ingredietur coram Domino: et gestabit judicium filiorum Israel » super cor suum in conspectu Domini semper. »

Interpretes judaei et christiani unanimes docent ex praefatis verbis *gestabit judicium filiorum Israel super cor suum,* Aaronis summi Sacerdotis designari auctoritatem juris dicendi: ac una divinitus ei traditam exprimi veritatem judiciorum suorum, adeo ut errare non possit in iis decernendis, quae ad Religionem spectabant et reipublicae bonum. Quod privilegium unius summi Sacesdotis erat. Quapropter vocatus est Sacerdos magnus, ceteris praestans gradu et auctoritate. Ipse solus judex omnium; et omnes ad eum se recipiebant pro notione veritatis. De Aarone dico et suis successoribus in Pontificatu ex ejusdem genere natis.

Synagogae magistri item (Buxtorfio teste in Lexico chaldaico-talmudico) inquiunt: « Sacerdos duplex est *Haccohen haggadol* Sacerdos magnus, et *Haccohen hedioth* Sacerdos vulgaris vel communis. Sacerdos magnus octo induebatur vestibus sacris; sacerdos vulgaris quatuor tantummodo. Dicitur Sacerdos magnus, quia magnus fuit in sapientia, in virtute, in decore, in divitiis et annis. » Item de *Urim* et *Tummim* addunt: « Ea signa sacra erant in pectorali ornamento Aaronis, ex quibus oracula divina cognoscebantur. *Urim* a luce habuerunt nomen, quod ad quaesita indicanda extraordinariam lucem acciperent, et quasi miraculose fulgerent. Et *Tummim* dicuntur perfectiones et executiones lucis, idest consilii divini, quod per hoc vocabulum significatur. » Et ita judaeorum doctores.

Notandum tamen est, tunc Aaronem ministerium sacerdotale in tabernaculo perfecisse circa sacrificia (Num. c. XVI. 46). In ceteris vero quoad judicium pronunciandum de rebus dubiis ad Deum referendis, Moyses pergebat, sicuti antea, consultum Dominum: eique Dominus respondebat. Et in his et similibus circumstantiis Aaron a Moyse man-

datum Domini accipiebat, ac populo tanquam interpres vel nuncius communicabat. Et quamvis saepissime Moyses et Aaron simul a Domino vocentur, et ad utrumque simul loquatur Deus; Moyses tamen partem praecipuam gerebat in universali populi regimine, quippe prius a Deo electus est, et primus missionem divinam sortitus.

Similiter post Aaronis obitum Eleazarus, qui eidem successit in Pontificatu, etsi una cum Moyse regebat Israelis gentem: tamen Moyses adhuc primatum tenebat ad ea, quae erant ad Dominum. « Dixit Do-
» minus (Num. c. XXVI.) ad Moysen et Eleazarum filium Aaron Sa-
» cerdotem... Locuti sunt autem Moyses et Eleazar Sacerdos in campe-
» stribus Moab etc. » Et hoc ordine, vivente Moyse, perrexit respublica hebraica, donec, eo defuncto, suprema auctoritas tota cessit in manus summi Sacerdotis Eleazari: nec alius in posterum agnoscebatur judex Israelis in sacris seu in cujusque generis negotiis, nisi summus Pontifex ex Aaronis stirpe.

Et quidem (Num. c. XXVII. 18. etc.) « dixit Dominus ad illum
» (Moysen): tolle Josue filium Nun virum, in quo est spiritus, et pone
» manum tuam super eum. Qui stabit coram Eleazaro et omni multitu-
» dine: et dabis ei praecepta, cunctis videntibus, et partem gloriae tuae,
» ut audiat eum omnis Synagoga filiorum Israel. Pro hoc, siquid agen-
» dum erit, Eleazar Sacerdos consulat Dominum. Seu juxta textum
» hebraicum: Et consulat pro eo in judicio *Urim* coram Domino. Ad
» verbum ejus (Eleazari) egredietur et ingredietur ipse Josue et omnes
» filii Israel cum eo et cetera multitudo. Fecit Moyses, ut praeceperat
» Dominus: cumque tulisset illum (Josue) statuit eum coram Eleazaro
» Sacerdote et omni frequentia populi. Et impositis capiti suo manibus,
» cuncta replicavit, quae mandaverat Dominus. »

Cum interim mandatur Josue, ut sistat se coram Eleazaro, qui pro eo consulat Dominum in *Urim*, et ad illius nutum ipse Josue et omnis populus egrediatur, idem est ac diceretur: omnis populus una cum Josue morem gerant summo Sacerdoti Eleazaro: seu omnia negotia publica sive sacra seu profana ex Sacerdotis magni judicio expediantur. Et quamvis ex Dei nutu Josue ipse designaretur dux Israelis post obitum Moysis, nihilominus Josue auctoritas subordinata fuit Eleazari voluntati. Praeclare enim dicit Scriptura: *Pro hoc, si quid agendum sit, Eleazar Sacerdos consulat Dominum.* Hinc comprehenditur, teste Scriptura, cum adhuc viveret Moyses, in rebus arduis nec Aaronem nec Eleazarum etsi Pontificatu maximo insignitos, consuluisse Dominum; aut ad eos esse judicium delatum. Ast ipse Moyses ad se avocabat judicium; et is, consulto Domino, respondebat, sicuti paulo ante in hoc ipso Capite dicitur ipse, quaestionem filiarum Salphaad ad Deum retulisse. Defuncto vero Moyse, tota hebraeorum politia devoluta est supra Pontificem maximum; cujus judicium inappellabile habebatur. Cunctam

enim auctoritatem suam transmiserat Moyses ex jussu Domini in manum Eleazari, ut hinc transiret in omnes successores suos.

His positis, rite explanantur sequentia Deuteronomii dicta c. XVII. 9. 10. « Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris » inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram, » et judicum in portis tuis videris verba variari: surge et ascende ad » locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Et venies ad sacerdotes » levitici generis, et ad judicem, qui fuerit illo tempore; quaeresque ab » eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies quodcumque dixe- » rint, qui praesunt loco, quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta » legem ejus, sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram » neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis » imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, aut decreto judi- » cis, morietur homo ille, et auferes malum de Israel ».

Ex hoc loco Moyses futuram populi conditionem considerans in terra Chanaam, cujusque tribus aptos judices constituendos mandat, quaestiones dirimendi causa inter eos de sensu Legis. Quae si expeditu difficiles apud eos forent, illas revocandas esse ait ad sacerdotes levitas et ad judicem, et ad locum ab ipso Deo statuendum. Ac ideo, cum dicit ad sacerdotes levitas recurrendum esse et ad judicem illius aetatis pro causae definitione, unum notat Sacerdotem sicuti unum judicem: quorum judicato quicumque restitisset, morte mulctandum esse statuit.

Cum autem dicit *sacerdotes levitas,* non quod plures simul decernerent in eadem causa, intelligit: ast ut doceret tales seligendos esse de tribu Levi, singulos non simul, sed pro parte sua seorsim, Hierarchae qualitate et aetate designatos in populi regimine. Ideoque paulo post subdit, Sacerdotem unum ministerio fungentem coram Domino judicium ferre. Unum enim Sacerdotem magnum dicit sicuti unum judicem. Unum *Sciophet* judicem nominat principem populi, veluti Josue ac ceteros ejusdem successores usque ad Saulem, sive *Melech* regem uti Saulem et ejus posteros usque ad Zorobabel, sive *pachat* ducem ab ipsius aetate et infra.

Quamvis autem duo hi a Moyse nuncupentur, unus Sacerdos magnus et alter judex in quaestionibus populi expediendis: attamen, teste Flavio contra Apionem, de quo inferius, ac suffragante Rabbi Abenezra in hunc locum, sub ipso *Sciophet* judicis nomine (vel alio titulo *Melech* regis) ille intelligitur, qui explicat Legem de manu Sacerdotis. Quovis itaque titulo seu *judicis,* vel *regis,* aut *ducis* insignitus ille foret, in cunctis a Sacerdotis magni sententia pendebat, Legis mosaicae custodis et interpretis: qui a Deo constitutus erat doctor et judex infallibilis cujusque quaestionis ad suum tribunal delatae; proindeque inappellabile tenendum erat judicium suum. Et hoc Moyses expressit illis dictis: *neque ad dexteram, nec ad sinistram recedes ab eo,* quod a Sacerdote

statutum fuerit. Et idcirco, uti nuper notatum est de Josue in ducem Israelis electo, dicitur egressus ejus et ingressus a Sacerdotis ore pendere, ut concludatur, dicta de *Sciophet* judice et de *Cohen* Sacerdote decernente, explicanda esse de decreti executione ex judicis parte, a summo Sacerdote prolati: adeo ut simul reipublicae curam gerentes juxta divinum mandatum, unus, idest Sacerdos decerneret, et alter decreta ex illius auctoritate in populo expleret.

Et hoc idem sibi vult dictum in Deuter. c. XIX. 17. de teste mendace adversus proximum suum, adducendo ante Dominum et in conspectu sacerdotum et judicum. Item Pontificis excellentia super omnem Israel patet ex illius praesentia et sermone ad milites bellum aggressuros (c. XX. 2). Quod amplius indicatur in sequenti c. XXI. 5. ubi casus exponitur hominis occisi a viro ignoto, ac deferendus ad judicium filiorum Levi, « quos, ait Moyses, elegit Dominus, ut ministrent ei, et » benedicant in nomine suo: et juxta verbum eorum erit omnis causa » et omnis plaga. »

Plures tamen ex Philonis testimonio Legis verba de *Sacerdote et judice, qui fuerit iis diebus,* exponentes « judices, inquiunt, non alii sunt, quam sacerdotes et sacerdotum princeps; et ideo non duos fuisse unum de tribu Levi et alterum de alia tribu, nec duos simul ex eadem tribu; sed unum Sacerdotem magnum tum rerum sacrarum, cum judiciorum quorumcumque praesidem designatum fuisse putant. Et ob hoc citant ejusdem Deuteronomii c. XXI. 5. et Ezech. c. XLIV. 23. Conferas Philonem in notis Tractatus *De Constitutione principum.* Quod ultra magis patefiet.

Quomodocumque demum in vocabulis *Sacerdos et judex,* sive unus aut duo comprehendantur viri, nobis revera satisfacit, quod statuit Moyses in consummatione Legis et vitae suae, dicens (Deuter. c. XXXI. 9. et c. XXXIII.) se scripsisse et tradidisse hanc Legem sacerdotibus filiis Levi. Quos deinde alloquitur inquiens: « Perfectio tua, et lux tua viro » sancto tuo, quem probasti in tentatione et judicasti ad aquas contra» dictionis.... Hi custodierunt eloquium tuum, et pactum tuum serva» runt, judicia tua o Jacob, et Legem tuam o Israel.... Benedic Do» mine fortitudini ejus; et opera manuum illius suscipe. Percute dorsa » inimicorum ejus: et qui oderunt eum, non consurgent. Quasi diceret: iste Levi, hic custos, iste interpres, judex et doctor Legis, in cujus conspectu conterentur hostes; et inimici ejus non praevalebunt ei. In quo praefigurabatur Sacerdos vere magnus Christus, et Petrus ejusdem Vicarius, cui non praevaluissent inferorum portae.

Ac interim concludatur ex mosaica Legislatione constare, unum Sacerdotem magnum rerum divinarum et humanarum arbitrum supremum a Deo institutum esse, ut duceret populum Jsrael usque ad praefinitum tempus a Patre, quo misit Filium suum totius mundi Redemptorem.

CAPUT. II.

Mosaica statuta de jure pontificali exposita et confirmata a successiva sacra hebraeorum Historia.

Superius dictum est de Josue, quamvis a Deo eligeretur dux filiorum Israel, nihilominus in exercitio missionis suae, mandatum ei fuisse a Domino per Moysen, ut se referret ad Eleazarum Sacerdotem magnum, eique obtemperaret: « Pro hoc (Num. c. XXVII.) siquid agen» dum erit, Eleazar Sacerdos consulet Dominum. Ad verbum ejus (Elea» zari) egredietur et ingredietur ipse (Josue) et omnes filii Israel cum » eo et cetera multitudo. » Quapropter cum ab initio c. 1. 7. inquit ei Dominus: « confortare et esto robustus valde, ut custodias et facias » omnem Legem, quam praecepit tibi Moyses servus meus; ne declines » ad dexteram vel ad sinistram, ut intelligas cuncta, quae agis: » Haec verba non absolute capienda sunt, quasi Josue Legem percurrens, per seipsum interpretaretur, ac secundum eam faceret, exclusa Sacerdotis audientia, praesertim in ejus applicatione, sed relative, Pontificis nempe admisso consilio. Et ob hoc sicuti simul citantur in Libro Josue, ipse et Eleazar, ita ubique praecedit Sacerdotis nomen et auctoritas.

Quod etiam putat Rosenmüllerus, de Josue missione disserens in c. 1. « Quae, ait, Jovam deinceps Josuam exsequi jussisse legimus, ei videntur per Pontificem maximum pallio et collari sacro pro more indutum, declarata fuisse. Jam postquam Josua designatus fuisset, qui post Moysis obitum populi dux sit futurus, ei injungitur, ut in majoris momenti negotiis Eleazarum Pontificem adeat; qui pro eo oraculum *Urim* et *Tummim* siscitaretur (Num. XVII, 18. 21.). Dignitate et auctoritate praecessisse Eleazarum inde colligitur, quod Josua secundo loco commemorari solet. Vide Num. c. XXXIV. 17. Josue c. XIV, 1. c. XIX, 52. c. XXI. 1. »

Et id manifeste expletum deinde vidimus in Historia Judicum c. XX. 28. ubi Phinees Eleazari filius Sacerdos magnus stetit coram Arca Dei, consuluitque Dominum, num exeundum esset in praelium contra filios Benjamin. Cum respondit Dominus: *ascendite; tradam enim eos in manus vestras.* Item in Libro I. Regum c. I. et II. texitur historia Eli Sacerdotis magni, cui totum creditum fuit regimen Israelis. Deinde in c. XIV. Achias summus Sacerdos consuluit Dominum circa Saulis expeditionem adversus philisthaeos. Haud secus in c. XXII. Achimelech Sacerdos magnus Dominum interrogavit pro David. Similiter in c. XXIII. instante David, Abiatar Sacerdos magnus consuluit Dominum, num ipsi Davidi dimi-

candum esset in philisthaeos. Nec aliter (in Lib. II. c. 11. V.) David per Abiatarem indutum Ephod consuluit Deum; sicuti ex mandato Jojadas Sacerdos constituit Joas regem super Israel (2. Paralip. c. XXIII.) et sicuti in spiritu Dei Zacharias filius Jojadae, Sacerdos magnus stetit in conspectu populi et dixit eis etc. (2. Paralip. c. XXIV. 20). Et ubicumque legitur in priscis Scripturis haec formula *consulere Dominum*, aut similia, intelligitur, Dominum ineffabili ratione respondisse interroganti. Quo privilegio Sacerdotem magnum praesertim ac perpetuo ditatum fore in regimine judaicae gentis docuit Moyses; ita ut quodvis in populo ageretur difficile negotium praesertim publicum magnique momenti, illius judicium expectandum erat a summo Sacerdote tantum, quamvis aliquando non exprimatur Sacerdos consulens, sed rex; vel alius dicatur consuluisse Dominum.

Quare Flavius ita sentiens in Libro VII. Antiq. c. IV. praefata Libri II. Regum c. II. et V. verba interpretatus, addit magni Sacerdotis nomen mediatoris inter Deum et Davidem, etsi non expressum ibidem fuerit. Scribit enim: « Judaeorum vero rex, cum nihil sine vaticinio aut Dei jussu, vel ejus de futuris sponsione non fretus, sibi facere permittebat, praecepit Pontifici, ut quid Deo placeret, vel qualis foret praelii exitus, significaret. ». Et paulo post subjecit: « Rege vero iterum de eventu oraculum consulente, respondit Pontifex etc. » Nec aliter reapse exponenda sunt lecta in c. XXX. 7. Libri 1. Regum, ubi dicitur David consuluisse Dominum: « Et ait David ad Abiatar Sacerdotem filium » Achimelech: applica pro me Ephod: et applicavit Abiatar Ephod pro » David; et consuluit David Dominum. » Quasi diceret David: tu Abiatar indutus Ephod (cui impositum erat oraculum *Urim* et *Tummim*) consule Dominum pro me. Ita Menochius, Estius, et in his Grotius aliique.

Interim tamen animadversionem repetunt, quae scribit Auctor Paralipomenon (Libro II. c. XIX.) ubi Josaphat rex, sublata idololatria, mosaicam Legem renovat in populo; mandavitque levitis sacerdotibus et principibus familiarum, ut judicium in causam Domini judicarent in Hierusalem sicuti in urbibus Judae et Israel. « Omnem causam, quae » venerit ad vos, fratrum vestrorum, qui habitant in urbibus suis inter » cognationem et cognationem, ubicumque quaestio est de Lege, de » mandato, de coeremoniis, de justificationibus, ostendite eis, ut non » peccent in Dominum, et ne veniat ira super vos et super fratres » vestros. Sic ergo agentes, non peccabitis. Amarias autem (alias Aza- » rias) Sacerdos, *harosc* princeps super vos quoad omnia, quae perti- » nent ad Deum, et Zabadias filius Ismahel, dux pro domo Judae in » omnibus, quae attinent ad regem: et praefecti levitae coram vobis. » Confortamini et facite; et erit Dominus vobiscum. »

In his porro, quae hic statuit Josaphat, perspicue referuntur ad

c. XVII. de appellatione ad summum Sacerdotem in quaestionibus dijudicandis. Ideoque cum ait Josaphat: *Amarias Sacerdos caput sive princeps super vos erit,* respicit levitas sacerdotes et primores Israel constitutos in Hierusalem: quibus mandat subjectionem principi sacerdotum, ita ut ipse solus in causis, quae sunt ad Dominum, judex habeatur. Scilicet, ipse caput, ipse princeps super vos, ipse doctor vester, cujus decretis obsequemini. Nemo cum eo socius in judicando, quae Domini sunt. Quamvis levitae sacerdotes secundi ordinis populum imbuant divina Lege; attamen vobis praestat Sacerdos magnus, a quo cuncta obscura et dubia explicantur, juxta quod ab initio mandavit Deus. Coram vobis est unus Amarias Sacerdos magnus Dei voluntatis interpres.

Quae vero subdit Josaphat de Zabadia principe domus Judae constituto super negotia domus regis, non nisi istius comprehendit in aula regali praefecturam ex multis a Davide institutis, seorsim a regia potestate, super populum Israel. Non enim praesumitur Josaphat tam prudentem virum regimen populi tradidisse Zabadiae; quasi ipse iners aut consilii inops foret rex. Quod sane falsum probatur tam ex praecedentibus quam ex sequentibus ipsius factis, quibus ad Legis observantiam et ad Dominum patrum suorum revocare nisus est populum: nec amplius ea ignorans, quae Deus Moysi mandavit in electione Josue ducis Israelis; ut is nempe per Eleazarum Sacerdotem magnum consuleret Dominum; *ad cujus verbum egrediebatur et ingrediebatur Josue ipse et omnes filii Israel cum eo.* (Num. c. XXVII. 21). Eo autem magis si Scripturae attendatur dicenti, in iis praefuisse Amariam, quae erant ad Dominum, cunctis comprehensis negotiis, ita ut quae incerta erant ac dubia, ad Deum referentur, ut judicium certum pronunciaretur.

Quapropter quavis aetate, seu in quacumque conditione consideretur populus Israelis, sivi ante regni .institutionem, vel eo mediante, aut post, nullimode desiit, nec imminuta fuit Sacerdotis magni auctoritas, sed perpetuo eadem mansit: cujus judicium seu in re sacra, sive civili, ut Dei oraculum, infallibile reputatum, a populo sicuti a magistratu accipiebatur reverenter. Et hoc successive, et quidem post captivitatem expletum fuisse, una cum Scripturis, persarum quoque et aliarum nationum edicta testantur in Libro Esdrae citata.

Is enim (Libro 1. c. VII. 10. 25.) Sacerdos magnus de genere Sadoc divinitus constituitur princeps et judex omnium israelitarum e captivitate reducum in Judaeam: « Esdras enim paravit cor suum, ut investi-
» garet Legem Domini, et faceret et doceret in Israel praeceptum et
» judicium. Et paulo post, Artaxerses supremam ejusdem potestatem et
» sapientiam ei ex divino favore collatam miratus, inquit: Tu autem
» Esdra secundum sapientiam Dei, quae est in manu tua, constitue ju-
» dices et praesides, ut judicent omni populo, qui trans flumen, his
» videlicet, qui noverunt Legem Dei tui, sed et imperitos doce libe-

» re etc.» Et ob hoc iterum in Libro 11. c. VIII. dicuntur apud Esdram congregati principes familiarum, universi populi, sacerdotes et levitae *ut interpretaretur verba legis*, quippe ceteris cujusque tribus et gradus superna munitus auctoritate praestitit in exponendis ipsius Legis verbis. Et hoc est, quod Deus per Moysen mandavit Sacerdoti magno, qui constitutus est custos, doctor et interpres infallibilis Legis; e cujus ore pendebant omnes cujusque tribus, tum duces populi, cum levitae, cujusque classis forent in ordine sacerdotali. Unus ipse judex summus constitutus omnium; et ei omnia ab Artaxerse commissa sunt negotia sacra et civilia juxta mosaicam constitutionem.

Ceterum, cum Esdras constituit judices et praesides, qui populum regerent, nequaquam concluditur judicis vel praesidis sententiam esse Sacerdotis magni decretis praeferendam: ast illius praeferri judicium, qui missionem tradit et potestatem regendi, sicuti ab initio statuit Moyses in electione Josue ducis Israelis, quem Eleazari auctoritati subjecit. Hinc autem magis patefiunt statuta Moysis in c. XVII. Deuteronomii circa Sacerdotis et judicis munus in causis agendis populi.

Cum interim haec de Esdra Sacerdote scribo, non est praetereundum, quod de eo putant Flavius et Calmet. Primus in Libro XI. c. V. Antiq. asserit ea ipsa Esdrae aetate fungi Sacerdotio Joachimum, cui successit Eliasib; Esdram vero Sacerdotium inter judaeos tunc Babylone sitos exercentem, Hierosolymam venisse ab Artaxerse missum, ut regeret populum. Calmet vero in Dissertatione *De successione summorum Pontificum*, inquit, etsi nonnulli putent Esdram tunc Pontificatu munitum esse, attamen nunquam hoc munus explevisse.

Adversus hanc opinionem stat, quod legitur in Praefatione *Jad chazachà* Maimonidis. Ibi enim dicitur Simeon Justus fuisse Pontifex post Esdram, per haec indicans Esdrae munus supremi Pontificis. Ast quod validius urget, sumitur primum ex ipsius Esdrae Libro 1. c. VII. de ejusdem genealogica ex Aaronis et Eleazari familia: «Post haec autem » verba in regno persarum, Esdras filius Sarajae, filius Azariae, filii » Elciae, filii Sellum, filii Sadoc, filii Achitob, filii Amariae, filii Aza- » riae, filii Marajoth, filii Zarahiae, filii Ozi, filii Bocci, filii Abisuae, » filii Phinees, filii Eleazari, filii Aaron Sacerdotis ab initio.

Insuper ex Libro 11. c. VIII. intelligitur, eumdem Esdram super gradum ligneum ascendentem, legisse Legem Moysis, eamque interpretatum esse, circa se stantibus sacerdotibus et levitis. Quare non videtur dubitandum quin is summi Sacerdotis tunc expleverit officium Hierosolymis prae aliis, qui hoc munere indigni reputati sunt. Reapse, si accurate expendantur dicta c. X. Libri 1. Esdrae, eruitur ipsum constitutum esse judicem illorum, qui praevaricati sunt Legem Moysi, et duxerunt uxores alienigenas, in quibus numerantur nonnulli ex Jesu Pontificis posteris. Unde videretur, idem Esdra ex Aaronis et Eleazari genere

successisse in Pontificis maximi locum post reditum suum a Babylonia (sicuti aliquando Sadoc, Abiatare amoto, successit) ut scandala tolleret et errores emendaret.

Quanto vero honore afficeretur successivo tempore post Moysem Sacerdos magnus, docet Auctor Ecclesiastici in c. XLV. de Aarone locutus: « Excelsum fecit Moyses Aaronem fratrem suum, et similem sibi de » tribu sua. Statuit ei testamentum aeternum, et dedit illi Sacerdotium » gentis; et beatificavit illum in gloria.... Complevit Moyses manus illius. » Factum est illi in testamentum aeternum, et semini ejus sicut dies » coeli, fungi Sacerdotio, et habere laudem, et glorificare populum suum » in nomine ejus.... Et dedit illi in praeceptis suis potestatem, in testa- » mentis judiciorum, docere Jacob testimonia; et in Lege sua lucem » dare Israel. »

Badvellus et Grotius etsi heterodoxi ex praefatis Ecclesiastici dictis tantam in Pontifice maximo auctoritatem mirati sunt, ut non solum jus illi collatum esse asseruerint judicandi et decernendi, quae ad Religionem spectarent; sed et quaevis secularia negotia ejus judicio commissa fuisse, cum constitutus esset a Deo doctor et lux populi, ut Legem intelligeret doceretque. Nec aliter revera sonant elogia, quibus Simeonem Oniae filium prosequitur divinus Scriptor, illum nuncupans stellam matutinam in medio nebulae, solem lucentem supra Templum Dei: circa quem, quasi plantam Cedri in monte Libani, stabant omnes sacerdotes filii Aaron, divinae majestatis typum in eo reveriti. Quam quidem dignitatem non tantum Aaroni sed et filiis ejus jure quodam haereditario datam esse ait Scriptura, perpetua successione possidendam.

Quod vero egit Esdras magnus in Hierusalem post Babylonis captivitatem, hoc idem Judithae aetate c. IV. perfecit Eliachim, cui uni regimen reipublicae creditum erat; et cujus ceteri sacerdotes extra Hierusalem siti, parebant imperio.

In Historia porro Machabaeorum plura continentur argumenta ad statuendam supremam Pontificis hebraeorum auctoritatem: cujus non tantum probatur genealogia ex tribu Levi et de genere Aaronis: sed fulget quoque zelus pro patriis legibus, et quod maximum est, inde mirifica perhibentur exempla divinae providentiae in jure pontificio servando juxta statutum Moysi. In quibus notandum est impium Heliodori facinus (Libro 2. c. III.) adversus Oniam summum Sacerdotem; quare divinitus flagellatus, sensit omnipotentis Dei manum: cessavitque ab incepto; et ejusdem Oniae precibus consecutus est salutem.

In his Libris interim notatur Mathathiam Sacerdotem fuisse ex familia Joarib ex genere Phinees ortum; cui successere Judas, Jonathas, Simon pater Joannis. Qui unus post alium Pontificatum maximum obtinuere, sacra et civili potestate adaucti, sicuti narratur in utroque Libro.

Post quam vero unius summi Sacerdotis ex tribu Levi et stirpe

Aaronis in totius Israelis gentis regimine praestantiam et auctoritatem patefecimus, diluendum manet quod saepe legitur in Scripturis de principibus sacerdotum vel pontificibus, eodem tempore ministerio functis.

Pro hujus rei intelligentia recurrendum est ad id, quod ait Scriptura in Num. c. III. de variis levitarum officiis in Tabernaculo, et deinde in Templo juxta familias suas earumque duces; cum cujusque familiae unus ceteris praeferebatur in ministerio sacro. Et isti vocabantur modo *nesihim* nunc *neghidim*, alias *sarim* vel *rhascim*, latinis respondentes vocabulis *principes*, *duces* et similibus. Ex. g. in citato capite Eliasaph, Elisapham, Suriel, Eleazar *nesihim* titulo principes appellabantur cujusque familiae Levi, cui praeerant. Item in Libro I. Esdrae c. X. 5. legitur: « Et surrexit, Esdras, et adjuravit *rascè* principes sacerdotum levita» rum, et omnem Israelem etc. In Libro II. c. XII. 5. Isti *rascè* prin» cipes sacerdotum et fratres eorum in diebus Jesuh. Similiter in Li» bro 1. Paralipomenon c. XXIV. 4. legitur: Inventique sunt filii Elea» zari plures *rascè* principes virorum quam filii Ithamari. Divisit autem » eis, hoc est filiis Eleazari, *rascim* principes per familias sexdecim: » et filiis Ithamari per familias et domos suas octo. »

Horum autem unusquisque specialem praefecturam obtinebat in Sanctuario, sive in genere sacerdotum, sive levitarum. Quorum quidem, prout numero crescebant familiae, ita et numero augebantur illarum praefecti; sic tamen ut distinguerentur ab uno Sacerdote *haggadol* magno. Cui et successoribus suis perpetuus in ordine sacerdotali primatus a Deo per Moysen traditus est supra omnem Israelem sicuti supra cunctos praefatos principes sacerdotum et levitarum, jugiter permansurus usque ad Sacerdotis veri, idest Christi, apparitionem in mundo. Quapropter licet Eleazarus in Num. c. III. dicatur *nesi nesiim* princeps principum levitarum, non hinc tamen indicatur, ipsum per hunc titulum Sacerdotio magno functum esse in Israele. Tunc enim vivebat pater ejus Aaron. Posteaquam vero obiit pater, tunc obtinuit Sacerdotium magnum. Idcirco in c. XX. 28. legitur, Moysen vestibus sacris exuisse Aaronem jam moriturum, ac induisse filium ejus Eleazarum.

Et quidem non plures summi Sacerdotes ex Aaronis stirpe eodem tempore populum regebant, sed unus tantummodo ceteris sacerdotibus praecellens. Quod perspicuum est in historia Regum et in Libris Esdrae, ita ut sive ex Eleazari vel ex Ithamari familia eligeretur Sacerdos magnus (quod ob varias circumstantias, aliquando factum esse Scriptura testatur) nihilominus uno cessante e munere Sacerdotis magni, alter eligeretur: nec unquam duos simul eodem tempore, parique auctoritate legitur hoc munere functos secundum mosaicam constitutionem; quamvis innumeri secundi ordinis sacerdotes invenirentur de tribu Levi, altari ministrantes, vel alibi docentes populum.

Nec insuper obstat, quod legitur in Libro II. c. VIII. de duobus

eodem tempore summo Sacerdotio functis, Sadoco nempe et Abiathare in regno David. De his ita disserit Rabbi David Chimchi: « *Erant Sacerdotes*, idest principes sacerdotum. Statuit enim David Sadocum ut esset Sacerdos magnus de filiis Eleazari, et ei secundus foret Abiathar filius Achimelech de semine Ithamari, quamvis Abiathar adhuc esset vivus. Jam Salomonem scimus ejecisse Abiatharem, ne esset Sacerdos, et hoc David jussu. » Paulo post in c. XV. addit Chimchi: « Magistri nostri docuere eo tempore Abiathari ablatum esse Sacerdotium magnum, et Sadocum in locum ipsius successisse ». Hinc Grotius putat, vivente Abiathare, Sadocum fuisse *Sagan* idest Vicarium seu Suffraganeum, qui in absentia Sacerdotis magni omnia ejusdem munera explebat. Talmudistae vero, Buxtorfio teste sub hoc vocabulo, statuunt hunc *Sagan* ad dexteram Sacerdotis magni sedere; ac addunt, nullum fieri posse Pontificem, nisi prius fuisset *Sagan*. Cujus exemplum ab Eleazaro erui potest, vivente Aarone.

Nequis vero ob eam, quae saepe in populo Israel, sicuti in tribu Levi praesertim paulo ante captivitatem babylonicam, invaluit praevaricatio ob idololatriam, illudatur circa perseverantiam Sacerdotii magni usque ad Christum, praesto est Ezechiel, qui ex superna visione circa annum XIV. ab Urbe excisa in c. XLIV. scribebat: « Sacerdotes autem » et levitae filii Sadoc, qui custodierunt coeremonias Sanctuarii mei, » cum errarent filii Israel a me, ipsi accedent ad me, ut ministrent » mihi et stabunt in conspectu meo, ut offerant mihi adipem et sangui- » nem, ait Dominus Deus. » Et in c. XLVIII. « Sacerdotibus, ait, San- » ctuarium (seu qui sanctificati sunt) erit de filiis Sadoc, qui custodie- » runt coeremonias meas, et non errarunt, cum errarent filii Israel, sicuti » et erraverunt levitae. » Cum ergo dicit Propheta, sacerdotes ex stirpe Sadoc custodisse divinas coeremonias, duo testatur, primum mosaicam Religionem servatam fuisse in filiis Sadoc Sacerdotis magni, cum plures ex tribu Levi a Dei cultu defecissent. Secundo perennitatem statuit Sacerdotii summi in familia Sadoc de filiis Aaronis.

Demum in hac quaestione circa Pontificis praerogativas usque ad Christum permansuri ex Aaronis genere, electi pro divinae Legis conservatione et interpretatione, ac in Israelis judicem et doctorem infallibilem, non est ejus praetereunda distinctio a prophetarum speciali missione. Qui ex quavis tribu forent, statutis temporibus a Deo vocati, mittebantur vel ad omnem Israelem, sive ad privatos quosdam, aut ad exteras gentes, tanquam monitores et praecones rerum futurarum. Ex adverso summus Sacerdos de Aaronis stirpe ab assumptione ministerii sacri, divinitus edoctus et hinc inerrans, totam regebat israelitarum gentem, et pergebat usque ad Christi adventum in suis successoribus.

CAPUT III.

Eadem thesis probatur magisque explanatur a Philone iudaeo, ex Josepho Flavio, aliisque sacris et profanis monumentis.

Hucusque ex divinis Scripturis eruta de uno Sacerdote magno, penes quem auctoritas supra totum Israelem fundata fuit a Deo, firmat Philo in Tractatu *De specialibus legibus,* ubi civitates refugii notans pro iis constitutas, qui caedem involuntariam admisissent, et unde nefas erat egredi usque ad summi Sacerdotis obitum, scribit: « Cum igitur Lex dicit: *non revertetur exul incolumis, donec moriatur Sacerdos magnus,* perinde valet ac si dicat, donec moriatur summus Pontifex, publicus omnium cognatus existens, cui soli, quae vivorum pariter ac mortuorum sunt, permittitur dijudicare. » Alibi *De eo, quod a Deo mittantur somnia,* inquit: « Quando Sacerdos magnus intrat intima sacraria, variam illam vestem exuit, sumens aliam lineam factam a bysso purissima. Haec significat firmitatem, incorruptionem et splendorem fulgidissimum ..... Quibus intelligitur eum, irrisis figmentis coecis mortalium, appetere immortalitatem; ac postremo illustratum veritatis splendore purissimo, nullam posthac admissurum falsam opinionem tenebris amicam. »

Item in Libro *De justitia* et hinc *De constitutione principum* addit: « Lex vero interdicto justissimo vetat, qui rerum curam et tutelam suscepit, ne dolose in populo versetur .... Quoniam autem plurima elabuntur e mente hominis, eamque fugiunt utpote implicitam tot sensuum turba per vanas opiniones facile decipientium, imo sepultam in mortali corpore ceu quodam tumulo, non pudeat judicem fateri nescire quod nescit. Primo enim id mentitus ille, fiet seipso deterior, veritatem exterminans ex anima. Quin insuper laedet eos, quibus jus dicit, coecas sententias proferens, cum quid justum sit, non videat.

« Quoties igitur non satis causas perspiciet propter perplexitatem earum et caliginem, judicia recuset, et ad judices sapientiores referat. Isti vero quinam alii sunt, quam sacerdotes, et sacerdotum ἔξαρχος καὶ ἡγεμὼν princeps et dux? Veri enim cultores Dei, qui mente pollent plurimum, ne levia quidem errata transigunt propter excellentiam summi Regis, in cujus versantur obsequiis. Ideoque praecipitur omnibus sacerdotibus, ut sobrii sacra faciant, ne subrepens delirationis potus hebetet oculos animae. Et fortasse, quoniam verus Sacerdos simul etiam vates est, non tam generis, quam virtutis beneficio consecutus Sacerdotium veri Numinis. Prophetae sane nihil ignotum est, quippe habet in semetipso solem intelligibilem et lucem omni umbra carentem, ut facile percipiat ea, quae sensum effugiunt, et sola ratione comprehenduntur. »

Ex praefatis discussionibus liquet, Philonem reipublicae hebraicae summam constituisse in magno Sacerdote. Cujus judicium, (cum dicit alios, qui populo praesunt judices, cujusque tribus sint, esse fallibiles) infallibile haberi ostendit. In primis, ait, humanitas illusu facilis apparet, in altero mentis claritas ut sol, in rerum discretione. In primis dubia praevalent, instabititas, anxietas. In secundo fiducia, alacritas, constantia. In *Arconte* seu duce populi, judicat homo, in Sacerdote judicat Deus. Ideoque merito Philo summum Sacerdotem prae aliis vocat *vatem*, sive *prophetam*, ita ut nihil sit, quod eum lateat, quemadmodum prophetae, qui futura praedicebant, aut populum docebant non ex propria, seu humana scientia, sed duce et adstante Spiritu Sancto in omnibus suis dictis, ne unquam errarent; testibus Scripturae formulis: *Haec dicit Deus: dictum Domini: vade et dic populo huic: ecce dedi verba mea etc.* Ideoque in Libro III. *De Mose*, summum commendans Sacerdotem, cujus capiti imponitur Cidaris loco diadematis, docet, eum qui Sacerdotium gerit, quanto tempore Sacerdotio fungitur, praestare omnibus, et non solum idiotis, sed et regi ».

Cum ergo talia sint Philonis Legis admodum periti testimonia de praerogativis Sacerdotis magni supra judicem quemcumque constitutum in populo, praeclarissime explicantur, quae dubia videntur Deuteronomii c. XVII. dicta: « Veniesque ad sacerdotes levitici generis, et » ad judicem, qui fuerit illo tempore: quaeresque ab eis, qui indicabunt » tibi judicii veritatem etc. » Quisquis enim foret judex, vel rex, aut dux extra tribum Levi, judicio Pontificis magni subdebatur perpetuo.

Quapropter idem Philo in hoc eodem Libro statuens, in perfectissimo imperatore res quatuor requiri, regnum nempe, legislationis facultatem, Sacerdotium, vaticinationem, « per Sacerdotium, inquit, curam gerat rerum divinarum, per vaticinationem, ut, quae ratione percipi nequeunt, praecinat. » Quod quidem firmavit in Libro *De profugis*: « Dicimus enim, ait, summum Sacerdotem non esse hominem, sed θεῖον λόγον *divinum verbum*, omnium non voluntariorum tantum, sed et involuntariorum peccatorum expertem: » in iis videlicet, quae versabantur in institutione populi: tunc enim Dei personam gerebat.

Hinc quoque Origenes Homilia 2. in Leviticum n. 1. scribebat: « Observandum sane est, quod in peccato Pontificis non addit Legislator, quia per ignorantiam, aut non voluntate peccaverit. Neque enim cadere ignorantia potest in eum, qui ut ceteros doceret, provectus est ». Non immerito igitur Sacerdos magnus in Synagoga *vates* dicebatur, cum ex superna scientia et hinc infallibilis docebat populum, et judex inerrans habebatur. Quapropter Diodorus siculus ex eorumdem judaeorum traditione, in Ecloga 1. Libri XL. de illo notavit: « Hunc judaei pro nuncio et interprete jussorum Dei habent. Hunc ajunt in concionibus publicis et congressibus mandata proferre; atque in hac parte tam mo-

rigeros esse judaeos perhibent, ut extemplo in terram prostrati, hunc sibi intrepretem a Deo datum, adorent. »

Flavius in Antiq. Libro III. c. VIII. n. 1. de Aaronis Sacerdotio inquit: « His peractis, priusquam dedicarentur, apparuit Deus Moysi, jussitque ut ἱερωσύνην Sacerdotium Aaroni fratri suo conferret ea virtute praedito, ut jure prae ceteris hunc honorem assequeretur. Qui, advocata populi concione, virtutem illius recensuit et probitatem, et pericula, quae pro eis passus est..... Nunc Deus ipse, cujus est Sacerdotium, Aaroni hunc honorem deferendum decrevit; et hunc Sacerdotem elegit quippe justitia vobis praepollentem etc. » Huic et uni quidem Aaroni Sacerdotium contulit Deus, non aliis, etsi innumeris, filiis Levi. Hunc solum elegit ex omnibus fratribus suis; eumdemque hoc munere cumulavit Deus: cui deinde Eleazar successit.

Quomodo autem Deus Aaronem et successores de sua stirpe, natu majores, Sacerdotio decoravit, cum et plures essent sacerdotes levitici generis, et qui sacrificarent et docerent populum viam veritatis, explicavit Historicus ipse in Libro II. c. XXIII. contra Apionem: « Apud nos autem, ait, qui credimus ab initio positam Legem divina voluntate, nihil aliud pium est, quam hanc sub integritate reservare..... Sacerdotibus autem in communi quidem res praecipuas dispensare committit. Ἀρχιερεῖ summo vero Pontifici aliorum sacerdotum ἡγεμονίαν ducatum credidit: quos utique non divitiis, neque aliis quibusdam spontaneis aviditatibus praecellentes Legislator ad hujus honoris culmen instituit. Sed quicumque sapientia vel temperantia aliis praestare noscuntur, eis praecipue culturam divinae placationis injunxit. Contemplatores enim omnium judices contentionum et punitores culpabilium, sacerdotes esse decreti sunt... Hunc (Deum) placant quidem sacerdotes. Dux autem horum primus semper est juxta genus: qui ante alios sacrificabit Deo. Custodiet leges, de dubiis judicat, et puniet a lege convictos. Huic quisque non obedit, poenas luet, tamquam qui in ipsum Deum impie gesserit. » Ex his Flavii dictis cum clarescunt, quae mandat Moyses in Deuteron. c. XVII. 9. 10. 11. tum rite explanantur, quae alibi scribit de hebraeorum Synedrio, aut de eorum regimine aristocratico et monarchico. [1]

Quanta vero religione Pontificis magni personam ac jura eidem credita ab ipsius primaeva institutione observarint hebraei, testis est Julius Caesar: cujus decretum pro Hyrcano summo Sacerdote citat Flavius in Libro XIV. c. X. Ant. n. 2. ubi notatur tam unius Sacerdotis magni potestas, quam ejusdem munus in judicandis ad Israelis disciplinam spectantibus. Statuit enim Caesar « Hyrcanum Pontificem judaeorum; ac more patrio illud munus perpetuo retinere: jura quoque pontificalia

[1] Confer Iosephi Flavii Opera edita a Sigiberto Havercampo an. 1726 cum notis ad citatum Lib. III. c. VIII.

omnia habere eum et filios ejus. Ac decernit, siqua controversia exorta fuerit de judaica disciplina, judicium penes ipsum esse. » Cum itaque jubet Caesar, more patrio jus pontificium exercere Hyrcanum, subintelligitur mosaica et divina institutio; quam nulli praetergredi licebat.

Veruntamen quae hucusque ex veteri Testamento ex Philone et Flavio de summi Sacerdotii primatu supra ceteros levitas et sacerdotes, ejusque praerogativis praesertim quoad ejus judicium propheticum idest infallibile a primaeva sua institutione usque ad Christum, firmantur et luculenter explanantur a Joanne Evangelista in c. XI. 49. Qui de Concilio locutus pontificum et pharisaeorum adversus Jesum, inquit: « Unus au-
» tem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis;
» vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus mo-
» riatur homo pro populo, et non tota gens pereat. Hoc autem a seme-
» tipso non dixit: sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quod
» Jesus moriturus erat pro populo etc. »

Quid ergo sibi vult Evangelista, vocans Caipham Pontificem anni illius, nisi Sacerdotem ex istius serie, unde Scriptura hebraica in discriminis indicium a sacerdotibus inferioris gradus, *gadol magnum* dicit, a Deo in familia Aaronis institutum, penes quem tunc erat Pontificatus ac simul prophetia, idest Spiritus Sancti adsistentia? quomodocumque putare liceat, utrum hujus honoris dignus nec ne fuerit. Prophetavit quidem, quia erat Pontifex, asserens ita fieri oportere de Christo. Contendit cum aliis principibus sacerdotum inferioris gradus: qui nec intelligebant nec sciebant (sicuti ei divinitus inditum fuit) quid fieri oporteret de Jesu in salutem populi ac totius gentis [1].

Ceterum nostro argumento de unitate et auctoritate Sacerdotis magni suffragatur quoque Apostolus ad Hebraeos, collatione exacta Pontificatus mosaici cum christiano. In hac enim Epistola patefacere conatur Paulus, unum tantummodo ex familia Aaronis ministerium sacrum perfecisse, et quidem a Deo, nec ab homine, vocatum ad hoc munus: nisi quód eo augustius Sacerdotium Christo demandatum fuit a Patre, quo melioris et amplioris foederis esset ipse Jesus conciliator; ac unum temporale et alterum foret aeternum.

Et hic repetere juvat, quae Henricus Scharbau in *Observationibus sacris*, de Chaipha ejusque vaticinio c. XXVII. scribit: « Certum quidem est, Aaronem summum Pontificem dono prophetico instructum fuisse, cum Deus ipsi hanc praerogativam promitteret: Loquere ad eum (Aaronem), ita legitur in c. IV. Exodi 15. Loquere ad eum et pone

Quodcumque vero Talmudistae arbitrati sint de Concilii sive Synedrii magni antiquitate et privilegiis eorum, quibus constitit; nihilominus vix ejusdem memoria in Scripturis reperitur ante Esdrae aetatem; et amplius illius membra nonnisi Sacerdotis magni consiliarii reputanda sunt, veluti ex praefato Flavio eruitur et ex Caiphae dictis in medio Synedrii prolatis.

verba mea in ore ejus; et ego ero in ore tuo et in ore illius: et ostendam vobis quid agere debeatis. Quod ipso facto concessit, veluti paulo post ait Dominus ad eumdem: Vade in occursum Moysi in desertum, adeo ut magna cum persuasione hanc prophetandi facultatem jactaret, inquiens in c. XII. Numerorum 2. Num per solum Moysem locutus est Dominus? Nonne et nobis similiter est locutus? Quin etiam placuit Deo, auxilio *Urim* et *Tummim*, beneficium istud in successionibus Aaronis continuare.

» Neque haec res ulli dubio subjecta est, cum passim in Scriptura occurrant exempla eorum, qui Sacerdotes summos *Urim* et *Tummim* adhibentes, Deum consuluerunt, quid faciendum sibi, vel omittendum esset. Apparet id aliquoties vel ex historia Davidis, cum Kehilaeis esset succurrendum, cum Hebronem esset cedendum, cum bellum adversus philistaeos gerendum, cum causa diuturnae penuriae inquirenda esset etc. Et haec praerogativa per *Urim* et *Tummim*, Deum consulendi ita erat propria summo Pontifici, ut reliqui omnes excluderentur [1]. »

Deinceps in c. XXIX. « De Caipha summo Sacerdote, etsi viro improbo ac tamen propheta, inquit voluisse Deum, ut ex ipsa Sede pontificia propheticum affatum prodiret, quo minus superesset excusationis judaicae genti. Sedebat enim Caiphas in Cathedra Mosis; erat successor Aaronis in publico officio constitutus Sacerdos magnus, totius Synagogae magister; proindeque ad ipsum, qui Jesum comprehenderant, hunc duxerunt, ut judicaretur (Matthaei c. XXVI. 57.) »

Item apud Joannem c. XVIII. 19. dicitur Pontifex interrogasse Jesum de discipulis suis et de doctrina. Ipse Caiphas Sacerdos magnus in his solus judex rogat Jesum: qua auctoritate ille discipulos colligeret, novam sectam institueret: mores legemque corrigere et nova dogmata spargere ausus fuisset. Haec ad Pontificem pertinebant: illius namque erat de doctrina et rebus ad Religionem spectantibus cognoscere. Proindeque cum minister Sacerdotis magni dedit alapam Jesu, quanquam iniquissime, testatus est quanta reverentia acceptanda erant Pontificis verba. Et quidem quaestio de Christi doctrina coram eo, utpote judice supremo, pertractanda erat: nisi quod sibi admodum perpendendum tunc erat, typum coram antitypo adstare: et proinde jure primus alteri cederet oportere, super quem quievit Spiritus Domini, (ab altero amotus, qui erat figura,) postquam prophetavit: *necesse est ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat.*

In Misnà ex Surenhusio, Tractatus *Jomà* sive *De die expiationis*,

[1] In his porro quae hic scribit Scharbau de Aaronis praerogativis, nequis offendatur ob hujus praevaricationem (Exod. c. XXXII.) cum annuens populi votis, erexit altare vitulo aureo, eidemque sollemnia edixit, licet inter cetera animadvertere, Aaronem, cum haec facta sunt, nondum pontificalibus vestibus indutum, nec oleo inunctum, nec potestate sacra insignitum fuisse.

ubi plura notantur de Sacerdotis magni praerogativis c. VIII. n. 5. legitur, *illum consulere Dominum non pro privato, sed pro rege, pro Synedrio et pro concione populi.* Hinc liquet Pontificis magni auctoritas, qualiscumque foret Israelis magistratus, sive in uno, aut in pluribus repraesentatus. Et hoc perspicue fatentur Synagogae magistri, qui praefata verba interpretati, docent Spiritum Sanctum Sacerdoti magno adstitisse, ne erraret, in quibus consulebatur: « Necesse enim erat, inquiunt, ut Spiritus Sanctus Pontificem erudiret ne haereret incertus, quale responsum redderet ». Ac ideo prophetam illum vocabant tanquam a Deo detentum, et divinitus instructum cum ad populum alloqueretur. Hoc idem vero statuunt, Moysi mandatum revocantes (Num. c. XXVII. 21.) in electione Josue ducis populi. Unde firmatur, quod superius in eo loco diluimus, et in sequentibus circa Davidis normam in consulendo non per se, sed per Pontificem, Dominum.

Quapropter, etsi sub Judicum regimine degerent israelitae, vel monarchica, sive aristocratica, seu quaecumque foret reipublicae hebraicae forma usque ad Christum; attamen penes Sacerdotem magnum ex Aaronis genere a Deo vocatum, divinae Legis custodem et interpretem, supremum omnium quaestionum judicium perpetuo perstitit; a cujus judicio infallibili et hinc inappellabili recedere nefas erat.

Neque adversus hoc facit, quod legitur in *Misnà* Tractatu *Sanedrim* c. I. n. 5: « Tribus, pseudoprophetes et Sacerdos magnus non nisi a 71. judicum consessu judicantur. » Et paulo post c. II. n. 1. « Sacerdos magnus judicat et judicatur, testimonium dicit, deque ipso dicitur. » Hinc Corradus Ikenius aliique putarunt imminui Sacerdotis magni, quam defendimus, auctoritatem. Nihilominus haud ipse sensit in praefatis *Misnà* verbis, nequaquam agi de fallibilitate Sacerdotis magni in judicio solemni, sed de ejusdem peccabilitate personali aut privata, a qua nemo in hac vita immunis evadit: sicuti peccavit Heli, incorreptam sinens pravitatem filiorum suorum. Ideoque in hoc casu peccans Sacerdos magnus, aliorum judicio subdebatur sicuti privatus homo, eademque ratione, qua in sequente n. 2. dicitur: « Rex neque judicat, neque judicatur. Non dicit testimonium, nec in ipsum dicitur etc. » Ceterum nemo summo Pontifice major est, ait ibi Maimonides. Et hinc nec fallibilis erat, nec Synedrii judicio obnoxius, cum Sacerdotis magni munere functus in Cathedra Moysi sedens, aliquid decernebat, et quasi vates prophetabat. Istud vero maxime elucet in Caipha, qui hac praeditus auctoritate in Synedrio pontificum et pharisaeorum, ut supremus Pontifex prophetans, illorum arguit ignorantiam, et ait: « Vos nescitis quid» quam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro » populo et non tota gens pereat. » Et cum ita loquitur Caiphas, judicium suum de Jesu certum ostendit; ceterosque ignaros arguit, qui in Synedrio convenerant consulturi.

Hinc sapienter J. Ligtfootus in hunc locum scripsit: « Neque tamen respectus ad Pontificatum plane excludendus videtur, cum voluerit Deus sine dubio, hoc exemplo, ad finem vergente Sacerdotio levitico, manifestum facere, se ministerio ac Sacerdotio a se instituto favere; et Pontificatum per se esse divinum et legitimum ministerium; etsi Pontifex sit impius. Quin, et istud notandum, voluisse Deum, ut ex ipsa Sede pontificia profeticum affatum prodiret, quo minus superesset excusationis genti judaicae. »

Postquam vero Pontificatus mosaici jura hucusque vindicavimus, addere praestat, quae Flavius citatus in Antiquit. Libro XX. c. X. notavit; ubi divini Sacerdotii in populo israelita repetens originem, docet: « hoc munere primum functum esse Aaronem: quo defuncto mox successisse filios; ac deinde in illorum posteritate mansisse hunc honorem perpetuum. Unde patria consuetudo obtinuit, neminem Dei Pontificem fieri, nisi descendentem ab Aaronis sanguine; nec eam dignitatem concedi vel regibus alio genere ortis. » Postea Historicus texit horum Pontificum seriem ad suam usque aetatem. In qua tamen fatendum est, etsi legitima admittatur ab omnibus illorum successio ex genere levitico, variare inter se interpretes in aetate, nominibus et personis rite statuendis eorum, qui hoc supremo officio functi sunt. De quo consule Dissertationem c. p. Calmet: *De ordine et successione summorum Pontificum apud judaeos,* in Praefatione Libri Judith. Ad quam remisso lectore, concludemus, Sacerdotem magnum, a Deo institutum veteris Synagogae magistrum, superno privilegio ceteris sacerdotibus, sicuti laicali potestati jugiter praestantem, qualecumque foret Israelis regimen, nunquam usque ad Christi adventum cessasse. Ac ideo, sive solus ipse judex in medio populi, aut stante monarchia, vel sub ducibus, sive in clade Templi sub assyriis, vel in captivitate degens, perstitit ipse tamen in ministerio suo fidelis, neque ad dexteram nec ad sinistram iens, perpetua Dei adsistentia regens, docens et firmans populum juxta divina et mosaica statuta.

CAPUT IV.

Unus Deus, una Lex, una Metropolis omnium judaeorum Hierosolyma, unum Templum, unus Sacerdos magnus.

Postquam supernam Sacerdotis magni auctoritatem et primatum ostendimus supra ceteros sacerdotes sicuti supra duces et reges Israel, illud quoque attendendum est, quod attinet ad unitatem doctrinae mosaicae fideliter custoditam apud omnes judaeos et proselytas ubicumque degerent, ob ejusdem Sacerdotis magni studium pro hac unitate, sicuti ob istorum reverentiam erga eumdem. Cuncti namque ex stirpe Jacobi seu ex proselytis illorum Deum colentium, Hierusalem pie memorabant, et frequentius visebant, quam ideo vocarunt suam metropolim, non quod in ipsa nati forent, sed quod ibi Templum Dei situm erat, sacrificium et Sacerdos magnus divinae voluntatis interpres, ac unus eorum magister in exponendis et judicandis quae de Lege erant, ac potissimum pro unitate custodienda religionis, morumque disciplina. Unus Deus, una Lex, unus Sacerdos magnus, ac una metropolis omnium mater; ad quam concordes sive persona, sive mente cuncti se conferebant tamquam ad salutis portum.

Quapropter Philo aegyptius in Libro 11. *De monarchia* scribebat: « Sic ne apud privatos quidem focos permisit Deus rem divinam facere, sed vel ab extremis terris ad hoc Templum proficisci jubentnr sacrificaturi. Quin etiam morum experimentum maxime necessarium capere volunt. Nemo enim nisi caste ac pie sacra facturus sustineat, relictis cum patria cognatis amicisque, peregrinari. Sed videtur a potentiori erga pietatem affectu ductus, cum se et divelli a necessariis et amicissimis quasi membris conjunctissimis, patiatur. Id verum esse cuilibet apparet. Innumeri enim ex innumeris civitatibus terra marique ab Oriente et Occidente, septentrionibus et meridie, singulis festis ad Templum hoc confluunt, quasi ad quemdam portum et perfugium commune, vitae negotiosae ac tumultuariae tranquillitatem quaerentes. Et remissi a curis, quibus per totam vitam oppressi gravantur, respirant paulisper, degentes hilariter; et concepta bona spe, vacant otio sanctissimo, pietati ac religioni, cum hucusque ignotis amicitiam conjungentes, et promiscuis epulis ac libationibus morum suavitatem et firmissimam concordiae fidem adhibentes etc. » Item in *Legatione ad Cajum* subdit: « Pro sancta vero Civitate consentanea dicenda sunt. Est ea, ut dixi, patria mea, verum metropolis non unius regionis Judaeae, sed et multarum propter colonias inde temporibus emissas in regiones finitimas, Aegyptum etc. »

Et hoc testantur quoque Dolabellae litterae pro Hyrcano hebraeorum Pontifice scriptae ad magistratum ephesiorum et totius Asiae Minoris: in quibus cura ejusdem Pontificis et studium comprobantur pro judaeis degentibus in iis locis. Quare petiit Hyrcanus a Dolabella, ut sineret eis juxta mosaica statuta vivere, nec ullus eos cohiberet ab exercitio patriorum rituum. Et hoc idem scripsit Hyrcanus ad magistratum laodicensium, ut judaeis inter eos habitantibus, venia daretur sabbata et alia sacra peragendi secundum patrias leges; ut testatur Flavius in Libro XIV. Archaeologiae c. X. n. 12. 20. Hinc statuitur, in provinciis etiam a Judaea dissitis extendi summi Sacerdotis auctoritatem supra omnem Israelis gentem, ejusque obsequium adstrui erga antiquam metropolim. Huic rei suffragatur s. Lucas in Actis c. II. Spiritus Sancti narrans descensum super apostolos, ac omnium ideo stuporem judaeorum et advenarum Hierosolymis tunc adstantium ex omni natione, quae sub coelo erat; qui ad hanc civitatem et Templum convenerant honorandi causa Deum Israelis.

Neque adversus id facit, quod nunnulli praesumunt, schisma judaeorum Alexandriae ob Templum ab his ibi extructum. De eo agit Flavius in Libro XIII. c. III. n. 3. Antiq. « Onias autem, ait, Pontificis Oniae filius, qui profugus Alexandriae degebat, videns Judaeam vastatam a macedonibus, eorumque regibus et sibi aeternam memoriam parare volens, decrevit, a rege Ptolemaeo et regina Cleopatra per litteras petere, ut sibi liceat in Aegypto, instar illius hierosolymitani, Templum aedificare, et in eo levitas et sacerdotes ex suo genere constituere... Onias loco impetrato, extruxit ibi Templum et altare Deo ad hierosolymitani similitudinem, sed minusculum et pauperculum . . . Invenit etiam Onias ibi et judaeos quosdam sibi similes sacerdotes et levitas ». Hoc autem pie sapienterque egit Onias, ut israelitae ex Judaea ob macedonum vexationes in Aegyptum profecti, a falsis religionibus et pravis gentium ritibus abstinerent: et uni Deo vero, sicuti Hierosolymis, sacra facerent; quin tamen ullimode scinderetur concordia hebraeorum alexandrinorum cum vetusta eorum Metropoli, teste ipso Philone nuper citato.

Et hoc amplius roboratur in praefato Libro XIII. c. VI. Antiq. quum maximam judaeorum Aegyptum incolentium sollicitudinem ostendat adversus samaritas pro conservatione antiquissimi illius Templi: « Judaei vero, ait, qui Alexandriae habitabant, valde erant solliciti pro tuentibus jura Hierosolymorum Templi, aegre ferentes, auctoritatem antiquissimi et nobilissimi in orbe Templi vocari in discrimen ».

Praeterea epistolae duae, quas judaei Hierosolymorum scripserunt ad suos fratres aegyptios (sicuti legitur in c. I. Libri II. Machabaeorum) circa festum Purificationis Templi (ab Antiocho violati) et Scenopegiae agendum, mutuam concordiam indicant et istorum reverentiam erga veterem Metropolim, magisque subjectionem decretis, quae a Synedrio

subscripta et a summo Sacerdote sancita erant. Et hoc reapse confirmatur ab historia Versionis septuagintaviralis, Alexandriae in commodum conflatae hebraeorum ibidem degentium, et ab Eleazaro Pontifice et a Synedrio hierosolymitano comprobatae.

Hinc Cicero in Oratione pro L. Flacco inquit: « Cum aurum, judaeorum nomine, quotannis ex Italia et ex omnibus provinciis vestris Hierosolymam deferri soleret, Flaccus sanxit edicto, ne ex Asia exportari liceret. » Flaccus enim accusatus fuit, quod edixisset ne ulterius ab Asia deferretur illud aurum. Quam prohibitionem cum suo auctore etsi Tullius tuereter, attamen paulo post abrogatam fuisse ab Augusto, narrat Flavius Antiq. Lib. XVI. c. VI. 3. [1].

Et quid sibi vult talis judaeorum consuetudo pecuniarum collectas mittendi Hierosolymam, nisi eorumdem fidei et religionis unitatem in Templum sanctum? Quod quidem famosissimum tunc haberi et per universum mundum honorari, et quo omnes non solum judaeos in orbe diffusos, sed etiam ex gentibus viros pios ac reges munera deferre, testatur Scriptura Machabaeorum c. II. et III. Lib. II. Sicuti namque undique hebraeorum diffundebatur gens, ita et dilatabatur Sacerdotis magni potestas, et omnium in eumdem reverentia.

Et ob hoc in Actis apostolicis c. XI. Lucas enarrans Pauli missionem ad synagogas Damasci et quidem extra Palaestinae fines, a summo Sacerdote acceptam, ait: « Saulus adhuc spirans minarum et caedis » in discipulos Domini accessit ad principem sacerdotum, et petiit ab » eo epistolas in Damascum ad synagogas; ut siquos invenisset hujus » viae viros ac mulieres, vinctos perduceret in Jerusalem. » Nisi enim summus Sacerdos totum Israelem sub se contineret, nec usque Damascum misisset; nec judaei ibidem degentes suo obtemperassent imperio.

Cum itaque ex allatis testimoniis talis esset conditio hebraeorum

[1] Et hic relate ad Caji Caesaris et Augusti decreta, superius citata ex Libro XIV. c. XII. et ex Libro XVI. Flavii Antiq. quibus judaeis in Palaestina ac alibi permittebatur juxta ritus suos vivere, sabbata custodire, pecuniarum collectas et conventus facere, (cum aliis gentibus coitiones vetarentur,) et quod maximum est, eorum quaestiones et varia negotia expedire liceret secundum mosaica statuta per Pontificem maximum, haec notentur nostris temporibus accommodata. Quod scilicet praefati principes, religionis patroni, pietatem sanae philosophiae junctam coluerint. Eapropter etsi Moysi Legi non se devoverint; nihilominus illam mirati sunt, sicuti qui illam profitebatur, ita ut non solum liberos judaeos in suis ritibus, sanctitate et antiquitate eorum inspecta, decreverint esse, sed et obsequium et benevolentiam in illos ostenderint per privilegia iisdem concessa, aliis negata. Ast hoc magis mirum in Cajo Caesare (veluti in suo successore Augusto), qui religionis vindex et impietatis acerrimus hostis, totius orbis imperator, scribens ad Ethnarcham hebraeorum, Pontificis maximi titulo illum vocat, quem ipse sibi Caesar inscripsit in imperii exercitio. Et quidem jure: cum enim gentis judaicae decreverit immunitatem in cunctis negotiis sacris et profanis; ejusque Pontificem judicem agnoverit quaestionum, quae in ea supervenissent, sequebatur, ipsum Caesarem nec judicium exercere posse inter judaeos, nec ideo Pontificis maximi judaeorum sibi vindicare nomen in illius reverentiam Pontificis, qui ab aevo antiquissimo divinitus ad hoc ministerium vocatus erat.

erga Metropolim et Templum, necessario sequitur, eosdem non tantum considerasse locum sanctum, sed proprie qui in loco sancto ministrabat Sacerdos magnus de Aaronis stirpe, a Deo constitutus judex totius populi.

Cunctis expeditis circa summi Sacerdotii in gente israelitica praerogativas, praecipue spectantes ad ejusdem unitatem, perpetuitatem et infallibilitatem in exponendo divinae Legis sensu, haud videtur comprobandum quod ex Schola Joannis Jahni scripsit Ackermann in Archaeologia biblica c. III. p. 278. n. 237. *De judiciis et poenis*, jam ab hujus quaestionis initio citatus, dicens: « Ex Lege mosaica per omnes urbes erant judices, qui etiam pagis adjacentibus jus dicebant: appellationes vero et causae graviores ad summum judicem, seu rectorem reipublicae, et ejus defectu ad summum Sacerdotem, ac demum ad regem spectabant; qui in casibus difficilioribus sententiam summi Sacerdotis rogasse videtur etc. »

Et quidem, cum ita disserit Ackermann, Scripturae oblitus est dicentis, Deum scientiam Legis ejusque interpretationem levitis peculiariter impertivisse. « Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, et Legem exqui- » runt ex ore ejus. Et ob hoc prophetans Moyses in Benedictionibus » (Deuter. c. XXXIII.) Levi ait: Perfectio tua et doctrina tua viro » sancto tuo. Hi custodient eloquium tuum, judicia tua et Legem tuam » o Israel. » Quod privilegium praecipue ac perpetuo mansit in familia Aaronis. Immerito ergo putavit Archaeologus in hujusmodi quaestionibus ob defectum rectoris reipublicae, vel judicis, aut regis extra tribum Levi electi, tunc recurrendum esse ad summum Sacerdotem; quasi aliquando defuissent de tribu Levi, qui docerent populum. Ac item nullo jure dubitat, num rex, vel judex, sive dux aliquando rogarit Pontificem maximum in rebus gravioribus. Fortasse oblitus est Ackermann, quae primus Moyses in Lege statuenda mandavit Josue duci designato in Israele, ut pro eo (Josue nempe) siquid agendum erat, Eleazar Sacerdos magnus consuleret Dominum? (Num. c. XXVII. 21.) Forsitan nescivit Ackermann, quae idem Moyses praecepit principibus electis ex populo in judices, ut, siquid eis difficile visum foret in judicando, referrent ad se? (Deuter. c. 1.) Ac proinde, si Josue in regimine populi se subjecit decretis et consiliis Eleazari Sacerdotis, cur ceteri Josue successores, sive duces, sive reges se subduxerint a mandato Legislatoris? ita ut, cum circumstantiae arduae id postularent, neglecto Pontificis oraculo infallibili, aliunde quaererent quod humanum erat, incertum et dubium?

Ceterum israelitae fideles firme tenebant infallibile judicium summi Sacerdotis ex familia Aaronis electi: sicuti tale privilegium credebant divinitus ei collatum; adeo ut omni tempore, quamdiu stetit vetus Synagoga a Deo protecta, idest usque ad Christum, perpetuo ac incessanter

sicuti Pontificatus, ita unitas illius ac infallibilitas perstiterint. Et siquando nonnulli ex judicibus, aut regibus, sive ducibus speciali revelatione muniti sunt: vel a prophetis edocti, seorsim a Sacerdotis magni interventu, aliqua mandarunt in populo, nihilominus nunquam defuit ejusdem Pontificis sanctio opportune decernentis, talem visionem specialem, aut prophetiam superna dispositione contigisse, nec aliter accipiendam esse. Et quid aliud indicant Interpretes alexandrini patria traditione imbuti in transferendo hebraica Legis verba (Exod. c. XXVIII. 30) *pones autem in rationali judicii* (Aaronis) *Urim et Tummim* τὴν δήλωσιν καὶ τὴν ἀλήθειαν *doctrinam et veritatem;* nisi hoc singulare Pontificis maximi privilegium illi soli a Deo assignatum vera absque illusione docendi? Quapropter Thomas Her. Hornaeus in Tomo III. *Introductionis in sacram Scripturam, sectione 2. de levitis* n. 3. p. 280. ex recentioribus Criticis et quidem heterodoxis, nostrum firmans argumentum adversus Ackermann, Sacerdotem magnum Israelis *omnium controversiarum supremum arbitrum* vocavit.

Et hoc est, quod ex Scripturis eruitur et traditionibus judaicis et aliunde de Pontificis maximi praerogativis in Lege vetere. Quae cum futurorum umbrae forent, et hinc defuturae ob Christi novi Sacerdotii institutoris adventum, transferendae erant in eum: quem ipse Christus statuit Ecclesiae suae *Petram*, eumque summi Pontificatus cumulavit decore, et ampliore ornavit gloria, veluti in sequentibus dicetur.

CAPUT V.

De institutione et praerogativis novi Sacerdotii in Ecclesia christiana beato Petro commissi; quod veteris complementum, usque ad mundi finem duraturum erat.

Hucusque primam hujus quaestionis partem expendimus; ac patefecimus quanti momenti habitum sit in antiqua Synagoga Sacerdotium magnum: a quo, utpote inter Deum et homines mediatore, omnia pendebant reipublicae hebraicae bona, religio, incolumitas, perseverantia et gloria. Cum autem haec adeo sint manifesta, ut omnes sive sacri vel profani scriptores testimonium perhibeant; tantumdem luculentissimum est, post sacrificium Christi Jesu Sacerdotis magni in Cruce, ubi se obtulit Deo Patri victimam in peccati expiationem, omnimode defecisse Sacerdotium leviticum alterius typum, sicuti umbra evanescit in conspectu radiorum solis. Ac ita mirabiliter expletum vidimus Danielis vaticinium de judaeorum metropoli, de Templo, de sacrificio, et de Sacerdotio typico: quae tollenda erant, ut locum cederent novo Christi Templo veroque Sacerdotio.

Reapse in Hierosolymorum eversione ac Templi non solum cessavit sacrificium; sed, quod maximum est, desiit quoque Sacerdos magnus de tribu Levi de familia Aaronis a Deo constitutus doctor et judex infallibilis totius populi judaici. Ac insuper ex judaeorum dispersione confusae sunt tribus Israel ita ut, quod antea sedulo custoditum fuit circa cujusque tribus distinctionem in illarum genealogia, post illud tempus defuerit; nec ullus hebraeorum hucusque asserere possit, se ad illam potius quam ad alteram pertinere tribum. Quod potissimum de Juda et Levi dicendum est; unde Christus rex et Sacerdos magnus nasciturus erat novi regni, novique et quidem perfecti Sacerdotii institutor. Et hinc natio illa tot aucta a Deo privilegiis, quae ob rituum suorum sanctitatem, Templi magnificentiam, suique Pontificatus amplitudinem eo usque populorum assecuta erat obsequium, orbisque magnatum Cyri, Artaxersis, Alexandri magni, Ptolemaeorum, Antiochi magni, Senatus romani, Caesarumque sibi comparaverat benevolentiam ac reverentiam, quasi repente facta est omnium gentium ludibrium. Cum enim haec omnia christiani fateantur, ipsi quoque, etsi aegre, fatentur judaei excoecati; cum ab octodecim et ultra seculis una cum regno et Templo cessasse patet Sacerdotium leviticum; nec amplius habere Pontificem inter se et Deum mediatorem, qui pro seipsis oret et consulat Dominum, ejusque interpretetur voluntatem.

Istud praeterea manifestissime eruitur ab historia Actuum apos. c. III. et IV. ubi Pontificatus leviticus typicus alteri reali christiano adstat, cujus munus Simoni Petro traditum est: qui cum simul convenire non poterant, necessario ùnius terminus, ut alter succederet, sequebatur. Cum enim, uti ibidem legitur, Petrus potestate a Christo accepta, in nomine ejusdem Christi, apprehensa claudi manu, allevasset eum, unde istius plantae consolidatae sunt: et hinc eadem potestate usus, populum doceret, ex prophetis ostendens, Jesum Christum verum esse mundi Redemptorem a Deo missum in salutem Israelis, factum est ut adunaretur Concilium. Cui inter ceteros adstitere duo Pontifices Anna et Petrus, unus judaeorum, christianorum alter; unus veteris Synagogae magister, alter novae Ecclesiae doctor; unus a Moyse alter a Christo designatus; unus mosaicae alter christianae doctrinae defensor, unoquoque adversus alterum pro sua parte contendente: donec exitus quaestionis comprobavit, Petrum, nequaquam vero Annam, tunc exercere legitime magisterium sacrum, cum ipse Petrus plenus Spiritus Sancti locutus est, ac prodigio dicta confirmavit; et Annas cum ceteris testatus est, prodigium manifestum factum esse per Petrum: quod negare non potuerunt.

Quamobrem perrexit idem Petrus, statuens hujus Christi regnum, in priscis Scripturis praefiguratum, jam advenisse, seque a Domino electum et vocatum, ut Jesum evangelizaret; nec aliud esse sub coelo nomen hominibus datum in salutem: nec ideo seipsos jure cohibendos ab Evangelii praedicatione. *Si justum est,* inquit Petrus, *in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum, judicate.* Quibus sane verbis veluti deinde factum est, indicabatur, quanta Petri Pontificis maximi foret auctoritas, talia loquentis coram senatu judaico circa consummationem Sacerdotii levitici; adeo ut deinceps non istius, sed Petri attendendum esset doctrinae, umbra fugata a Christi splendore; qui super hanc firmam Petram collocavit Ecclesiam suam.

Ac interim ad hanc nostram hucusque aetatem expletum vidimus, quod sapienter in Synedrio Hierosolymorum Gamaliel locutus est de apostolis, qui Christum docebant esse verum Redemptorem Israel a prophetis praenunciatum. Ipse enim Gamaliel omnium testis mirabilium ab apostolis in nomine Jesu patratorum, coram senioribus populi obtestatus est: « Et nunc, ait (Actuum c. V. 38.) itaque dico vobis, discedite » ab hominibus istis, et sinite illos; quoniam si est ex hominibus con- » silium hoc, aut opus istud, dissolvetur. Si vero ex Deo est, non pote- » ritis illud dissolvere; ne forte et Deo repugnare inveniamini. » Quare cum ob oculos nostros a longa seculorum serie stet manifestus christianae religionis triumphus, probatur in consilio Dei fuisse apostolicam praedicationem; et perperam conari et conatos esse adversus eam tam judaeos quam gentes et cujusvis generis Christi hostes.

His praemissis, cum non ultra sit in Synagoga quaerendum Sacer-

dotium, nec qui illo fungatur secundum primaevam institutionem, necessario recurrendum est ad Ecclesiam; ubi Christus Jesus praesignatus in Sacerdotio mosaico, ad Patrem, unde venit, reversurus, Sacerdotium ab ipso Patre sibi commissum, tradidit Petro non solum eisdem praerogativis, quibus aliquando insignitus fuit Aaron in regimine totius Israelis, sed et sublimioribus.

Et reapse in missione et consecratione Aaronis inquit Scriptura, ipsum ex divino praecepto de medio fratrum suorum electum in Sacerdotem magnum, gestasse super cor suum judicium filiorum Israel tanquam omnium judicem, quae ad eum revocanda erant illorum negotia, sive sacra sive profana. Item de Eleazaro illius successore in Sacerdotio, mandat Deus, ad ejusdem nutum egredi et ingredi debere Josue ducem Israelis cum omni populo. Et hoc ait Deus de uno Sacerdote magno totius gentis judice constituto et doctore.

Christus porro in veteri Pontificatu et quidem in uno Sacerdote magno Aarone et in suis successoribus praefiguratus, Ecclesiam suam regendam uni commisit Simoni, ad eum translato Sacerdotio; eique dixit: « Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. Tibi » dabo claves regni coelorum. Confirma fratres tuos. Pasce agnos meos. » Pasce oves meas. » Quasi diceret: sicuti ab ore Aaronis Sacerdotis magni pendebat totus Israel, ac amplius ipsi levitae et sacerdotes, cujusque forent gradus; ita ab ore Petri totus pendeat christianus orbis, ac una ceteri ministerio sacro addicti, cujusque ordinis sint in munere ecclesiastico. Joannes in Evangelio c. XI. 47. ait. Coacto concilio de eo, quod faciendum erat circa Jesum, Caiphas Sacerdos magnus respondit, divinitus decernens, necesse esse ut unus (Jesus) moriatur, cui omnes acquieverunt. Item s. Lucas in Actis c. 1. 15. agens de apostolorum conventu post Christi ascensionem, primum collocat Petrum: eumdemque primum inducit loquentem coram aliis apostolis: « In diebus illis exurgens Pe» trus in medio fratrum dixit (erat autem turba hominum simul fere » centum viginti): Viri fratres, oportet impleri Scripturam etc. »

Hinc, veluti ex aliis locutionibus patet, non solum loquitur primus Petrus; sed cum auctoritate, quid faciendum esset, nec aliorum apostolorum expectans judicium, dicit: *oportet impleri Scripturam.* Absolute ait implendum esse, quod David praedixit in Psalmis de Juda proditore. Cujus Petri verbis ceteri obsecuti sunt, mittentes sortem in electione Mathiae. Paulo ante, idest quadraginta fere diebus, Caiphas summus Sacerdos in Synedrio superna scientia illustratus, pontifices et pharisaeos arguit nescientes, necesse fore, *ut unus moreretur pro populo.* Paulo post quadraginta nempe dies, similiter Petrus (Moysi sublato Sacerdotio) a Christo designatus Ecclesiae suae Sacerdos magnus absolute coram apostolis docet, *oportere impleri Scripturam etc.* Ac praeterea Evangelista de Caipha addidit, *cum esset Pontifex anni illius;* videlicet quod hucus-

que legitimum Aaronis Sacerdotium magnum staret ; nec tamen ultra hoc tempus pergeret in conspectu Christi antitypi illius Sacerdotii. Quod in aeternum perseveraturum, in coelum ascendens Jesus, Simoni Petro et successoribus gerendum tradidit, inquiens, *pasce agnos meos: pasce oves meas.* Quod munus statim a Christi Ascensione explevit, divinitus docens, *oportet impleri Scripturam.* Cujus sermoni ceteri attendentes statuerunt etc. Ex his itaque constat, quanta inter ceteros apostolos polleret auctoritate Petrus. In numero apostolorum citatur primus, quamvis non primus fuisset ad apostolatum vocatus. Insuper loquitur primus, cui ceteri plaudunt, et hoc ob reverentiam potestatis sacrae a Christo acceptae in Ecclesiae suae regimine.

In Exodo c. XXVIII. 12. per Moysen mandat Deus: *Portabit Aaron nomina filiorum Israel super utrumque humerum ob recordationem.* Per haec satis declaravit, omnia indiscriminatim populi negotia humeris unius Pontificis magni imposita fuisse. Unius videlicet humeris, non plurium, hoc impositum fuit onus; cui perpetuo se subjecit Aaron et successores. Ita Christus ait Simoni Barjona: *Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam.* Ad unum, nempe Simonem, nec ad plures alloquitur Christus.

Praeterea in Num. c. XVII. legitur, quomodo virga Aaronis inter ceteras virgas mirum in modum floruerit, ut indicaret Sacerdotium a Deo Aaroni et familiae suae traditum esse, neque ceteris tribubus, nec aliis familiis etiamsi de tribu Levi; et amplius ut doceret, quodcumque statuerat Moyses in electione Aaronis, ex Dei mandato patratum esse, nec ultra ulli licere Pontificatum sibi vindicare. Ita, cessante Sacerdotio levitico, ut christiano locum cederet, hoc privilegium mirabili ratione innovavit in Petro apostolo Christus. Interrogante enim Jesu discipulos, quid ipsi putarent de se, respondit Simon: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Quo responso audito, subdit ipse Jesus, illum non ex scientia humana sed ex superna revelatione ita locutum fuisse: *Quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est.*

Ac proinde veluti, Deo volente, germinavit virga Aaronis in supremi Sacerdotii signum, exclusis aliis de tribu Levi; ita, Deo volente ac revelante, Christus commisit Petro summum Sacerdotium atque Ecclesiae suae gubernaculum: *et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam,* exclusis ceteris, in quibus superna scientia non germinavit ad confitendam Christi divinitatem. Et sicuti Deus fuit in ore Aaronis, cum loqueretur Pharaoni et filiis Israel: ita Deus dixit, se futurum in ore Petri in ligando et solvendo in terris, quae liganda et solvenda erant in coelis. Et sicuti in Aaronis ore erat Deus, et hinc ob istius verba et signa populus Israel credidit; ita de ipso Petro ait Christus: « Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu « aliquando conversus confirma fratres tuos. » Et ob hoc populus chri-

stianus firme credidit et credit per os Petri locutum esse et loqui Christum. Aaron Sacerdos magnus tanquam ex Dei ore locutus, infallibilis extitit in sua doctrina: itemque Petrus apostolus Sacerdos magnus eodem infallibilitatis privilegio cumulatus fuit, a Jesu vocatus ad suam regendam Ecclesiam.

Super Cathedram Moysi (inquit per Matthaeum Christus c. XXIII.) *sederunt scribae et pharisaei.* Et quid sibi vult talis sessio in Moysi Cathedra, nisi ipsius Legis mosaicae docendae et explicandae auctoritatem habere legitimam, qui ab ipso Moyse, Deo mandante, constitutus est Sacerdos magnus et suae Legis interpres? Et hinc, quum absque potestate legitima in Templo nulli fas erat docere, accesserunt principes sacerdotum et seniores populi ad Jesum dicentes (Matth. c. XXI. 23): *In qua potestate haec facis? Et quis tibi dedit hanc potestatem?* scientes, summum Sacerdotem ex Aaronis familia, vel alium ex istius mandato hac potiri facultate, sicuti de Esdra legitur in 2. Libro c. VIII. « Stetit » autem Esdras scriba super gradum ligneum, quem fecerat ad loquen- » dum .... Et in die secundo congregati sunt principes familiarum uni- » versi populi, sacerdotes et levitae ad Esdram scribam, ut interpreta- » retur eis verba Legis. » Quod munus Christus in Templo et in synagogis » explevit, ut ait Evangelista c. VIII. erat docens eos, sicuti potestatem » habens. Unde et dicit Lucas c. IV. « Stupebant in doctrina ejus; quia » in potestate erat sermo ipsius, » utpote judex, cujus non est argumentari, sed pronunciare. Quam potestatem Christus ipse veteris Sacerdotii antitypus, per signa manifesta sibi vindicans, tradidit Petro, ut confirmaret fratres suos, ut pasceret agnos, et oves gregis sui, nec ideo unquam ejus deficeret fides.

Nec aliter ad Hebraeos inquit Apostolus c. V. 4. « Nec quisquam » sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Sic et » Christus non semetipsum clarificavit ut Pontifex fieret: sed qui locu- » tus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. » Idest Aaron unus ad summi Sacerdotii dignitatem accitus fuit jussu et consilio Dei; qui per se illum elegit, et electionem miraculo virgae florentis confirmavit. Item Christus unus Sacerdos a Deo Patre constitutus, Simonem unum vocavit ad Pontificatum, eumque, inter apostolos electum, statuit Petram, supra quam aedificanda erat Ecclesia, ut hanc regeret, nec unquam illusione caperetur in suo magisterio.

De Aaronis et filiorum suorum praestantia Pontificatus, per *Urim* et *Tummim* expressa, prophetavit Moyses inquiens in Deuteronomio c. XXXIII. 8. « *Urim* et *Tummim* tua, o Domine, sunt viro sancto tuo... » Docebunt judicia tua Jacobum, et Legem tuam Israelem. Percuties » lumbos inimicorum suorum; et osores ejus non stabunt, idest non » praevalebunt. » Ita in Evangelio de Petro ait Christus: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam,* idest Petram.

Ceteroquin, si Deus unum Sacerdotem magnum tantis cumulavit praerogativis, tantaque munivit auctoritate in regimine populi et in expositione Legis, quod nemini contendere licet, quare illius successoribus eadem privilegia subtraxerit aut imminuerit? Non erat fortasse idem Deus Israelis, qui Aaronem constituit Pontificem magnum, et ille, qui Eleazarum, vel Sadoc probavit, sive quotquot illis in eo ministèrio successerunt, ita ut aliqui dubia, alii contraria, sive falsa docerent in medio populi? Nonne absurdum foret ita putare?

Similiter, si Pater Filio omnem dedit potestatem in coelis et in terris, cur Filius, hac accepta a Patre potestate, et Petro suo Vicario in terris tradita, quare hanc potestatem negarit successoribus suis in Ecclesiae gubernaculo, ita ut illuderentur, vaga, vel incerta, sive falsa docentes in fidelium coetu? Et si usque ad consummationem seculi duratura sit Christi Ecclesia, cur magisterium illius infallibile uni, vel cuidam, neque cunctis asserendum erit fuisse concessum Petri ejusdem successoribus, quemadmodum factum est in antiqua Synagoga?

Hinc, uti corollarium, sicut Hierusalem olim Templum Dei, centrum religionis totius Israelis, civitas pontificalis talis extitit, quam gentes quoque prosequebantur honore; ita Roma, diruta Hierusalem, ut typus cederet veritati, facta est omnium gentium, quae crediderant, metropolis. Et quemadmodum Hierusalem olim non solum a Templo nobilitata fuit sed magis a Pontificatu, cui sacra curae erant; ita urbs Romae pariter nobilitata est a Petri Cathedra. Cum enim in hac ipse sederit et per suos successores sedeat; totius orbis catholici facta est fidei magistra, ut fides ejus annuntiaretur in universo mundo.

Novissime, si ob tantam sane Sacerdotis magni potestatem Aaronis et successorum suorum, istis, neque aliis, traditam, puniti sunt Core, Dathan et Abiron, qui rebellantes hoc spreverunt privilegium; et si divinam ultionem expertus est Ozias rex, qui Azariae Sacerdoti restitit, adolere volens incensum super altare thymiamatis; et si a Deo percussus periit Alcimus Pontificatus sacri usurpator: haud secus inde a Deo morte mulctati sunt Ananias et Saphira, coram Petro mentiti de venditione agri: et pari modo Simon magus a Petro eodem audivit: *Pecunia tua tecum sit in perditione . . . non est tibi pars in sermone isto.* Item Natalius, qui lucri et honoris cupiditate allectus ab haereticis, Petri Cathedram, ubi tunc sedebat Zephyrinus, ascendere ausus est, flagris tota nocte ab angelis caedebatur, donec in se factus, diluculo ad pedes Pontificis advolutus, veniam petiit de tanto facinore (teste Eusebio Hist. Eccl. Lib. V. c. XXVI). Nec secus puniti sunt et puniendi erunt quotquot insurrexere et insurgent adversus Petri successores, sacrosanctam illius auctoritatem profanantes, aut pessundantes.

CAPUT VI.

Ex veterum Patrum et interpretum testimonio sensus discutitur Christi verborum: Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.

Post haec, ut magis pateat Petri supra ceteros apostolos, et hinc illius successorum in Pontificatu supra episcopos praestantia, sicuti aliquando Aaron sacerdotibus et levitis praestitit in gentis judaicae regimine, diluenda manent Domini verba: καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατασχύσουσιν αὐτῆς *et portae inferi non praevalebunt ei,* sive *adversum eam:* quae sedulo expensa valde prosunt claritati et argumenti munimini. Hucusque graeci et latini interpretes, praesertim recentiores, pronomen αὐτῆς foeminini generis indiscriminatim ad Petram et ad Ecclesiam retulere, unum et idem considerantes Petram et Ecclesiam, idest fundamentum et aedificium ei superstructum: et hinc nullimode putarunt officere Evangelistae sensum, quomodocumque acciperentur ea duo vocabula; sive dicatur: *portae inferi non praevalebunt adversus Petram,* seu *adversus Ecclesiam.*

Verumtamen, penitius ponderata Christi locutione, videtur prónomen αὐτῆς potiori jure ad Petram reportandum. Non enim dicit Scriptura, ταύτης *istam* nempe Ecclesiam, sed αὐτῆς *illam* scilicet Petram. Quod quidem ex veterum Patrum comprobatur testimoniis. Origenes, postquam pro more suo allegorice lusit de hoc *Petra* vocabulo, transit deinde ad sensum litterae: « *Et portae inferorum non praevalebunt ei.* Cui, inquit, *ei?* Utrum Petrae non praevalebunt, in qua aedificat Christus Ecclesiam; aut ei Ecclesiae non praevalebunt, quam aedificat supra Petram, non exprimit manifeste. Tamen constat quia nec adversus Petram illam, super quam aedificatur Ecclesia, nec adversus Ecclesiam, quae aedificatur super hujusmodi Petram, portae praevalebunt inferorum: quemadmodum *neque via serpentis super petram,* secundum quod in Proverbiis positum est, *poterit inveniri.* Adversus quem autem portae praevaluerint inferorum, ille neque Petra dicendus est, super quem Christus aedificat Ecclesiam: neque Ecclesia, quae super Petram aedificatur a Christo. Quoniam, sive qui Petra inambulabilis est serpenti, sive qui vere Ecclesia est, fortior est portis sibi adversantibus inferorum propter Christum virum sapientem, qui aedificavit supra Petram Ecclesiam suam ». Quamvis itaque ab initio dubitet Origenes, cui pronomen αὐτῆς referendum sit; attamen concludere videtur, potius Petro Christum, qui vera Petra est, repraesentanti, convenire, quam Ecclesiae fundatae super illam. Et sane paulo post ex ejusdem Petri dictis: *quoties in me peccaverit frater meus,* pronomen *eam* intelligit absolute *petram*: cui portae non praevalent inferorum ».

Et hoc ipsum docet s. Asterius in Sermone VIII. *De ss. apostolis Petro et Paulo,* dum scribit (per Petrum consistere ecclesiarum firmitatem et stabilitatem » ad Petrum nec ad Ecclesiam revocans dicta *adversus eam.* S. Iraeneus in Libro III. Contra haereses c. III. « Petri Cathedram, inquit, contra quam nunquam praevaliturae sint superbae inferorum portae ». Item s. Hilarius in hunc Matthaei locum, scripsit: « O digna aedificatione illius Ecclesiae Petra: quae infernas leges et tartari portas, et omnia mortis claustra dissolveret ».

S. Ambrosius in Libro *De Incarnationis dominicae Sacramento* c. VI. « Petrus, ait, qui respondit pro ceteris, immo prae ceteris: et ideo dicitur fundamentum ». Et in c. V. n. I. « Fides ergo est Ecclesiae fundamentum. Non enim de carne Petri, sed de fide dictum est: *quia portae mortis ei non praevalebunt.* Sed confessio vincit infernum. Et haec confessio non unam haeresim exclusit: nam cum Ecclesia multis, tanquam bona navis, fluctibus saepe tundatur, adversus omnes haereses debet valere Ecclesiae fundamentum ». Petrum ergo sive Petram appellat in his, *ei non praevalebunt* s. Ambrosius. Non Ecclesiam proprie, ast Ecclesiae fundamentum Petrum, dicit expugnare haereses, quem prae ceteris elegit Dominus Ecclesiae rectorem. Aedificii enim basis ea est, quae fluctibus procellae resistit immobilis.

Item s. Epiphanius (Haeresi 30.) adversus Ebionaeos n. 2. docet « qualia sint instrumenta daemonis, καὶ πύλαι ἅδου μὴ κατισχύουσαι τῆς πετρας, καὶ τῆς ἐπ' αὐτῆς οἰκοδομηθεῖσης ἁγίας Θεοῦ Εκκλησίας et portae inferorum non praevaliturae Petrae, neque super istam aedificatae sanctae Dei Ecclesiae ». Augustinus *Contra partem Donati* « Ipsa est Petra, ait, quam non vincunt superbae inferorum portae. »

Chrysostomus in hunc eumdem locum scribit: « Nam uni Deo sunt propria, nempe peccata solvere, Ecclesiam in tanto fluctuum concursu immobilem reddere; hominemque piscatorem, toto impugnante orbe, firmiorem petra reddere. Haec se illi daturum pollicetur, ut Pater Hieremiam alloquens, dicebat, se posuisse illum sicut columnam ferream, et sicut murum etc. » Simonem sane cum praemiserit s. Doctor, factum fuisse firmam fidei Petram, adversus hanc subdidit, nunquam portas fuisse praevalituras inferorum; ita ut, posita immobilitatis causa, par sequeretur effectus. Eaque propter ait, immobilem futuram Ecclesiam ob hujusmodi piscatoris firmitatem, qua eum munivit Dominus. Adversus igitur Petrum, non vero contra Ecclesiam irritos fore docet Chrysostomus inferorum conatus: ac nonnisi ut consequentiam consideravit Ecclesiae stabilitatem, quatenus corpus capiti jungitur.

Item Leo Papa I. scribens ad Leonem imperatorem et ad episcopos et clericos aegyptios (de quibus infra) bis citat hoc testimonium: et in utroque pronomen *eam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam,* non inscribit Ecclesiae, sed Petrae: « Nec pedes vestros, inquit, pecca-

torum visa pax dimoveat; quos in ea Petra fixos habere debetis: adversus quam nec portas inferi praevalere legistis. »

In Epigrammate ad b. Petri honorem, quod Achillaeo episcopo spoletino inscribitur, haec leguntur carmina.

Namque illi Deus ipse caput, qui corporis extat
Propterea Petrae nomen habere dedit;
Dicens, esto Petrus, quoniam fundabo super te
Quam mihi nunc toto molior orbe domum.
In te per cunctas consistit Ecclesia gentes
Vincit et inferni carceris imperium [1].

Ezenganus armenus in Commentario Matthaei c. XVI. ait « At tu cerne virtutem Domini quod virum unum Piscatorem omnibus lapidibus duriorem effecerit ita, ut licet totus orbis impetum faciat *in illum*, non poterit praevalere ». Verba igitur *adversus eam* non ad Ecclesiam retulit sed ad Petram Ecclesiae fundamentum. In Synaxario apud eosdem armenos die VI. Kal. Januarii dicitur: « Petrus, qui a Domino accepit virtutem ut ipsi portae inferi praevalere non possint.

Item in Libro Carminum eamdem servat relationem, quum secernens apostolos, discipulos et sectatores, scripsit: « Choragus vero horum trium generum in Sede fidei, *Petra inexpugnabilis* a portis inferi, Ecclesiae caput et petra etc. In Missali gothico de Festo Cathedrae b. Petri occurrit: « In confessione Petri est fundamentum Ecclesiae; nec adversus *hanc Petram* portae inferi praevalent etc. »

In Sermone s. Odonis de Festo Cathedrae b. Petri legitur: « Haec fides (Petri) diabolum vincit. Haec erutos mundo inserit coelo; et portae inferi adversus eam (Petri fidem) praevalere non possunt ».

In Oratione Pontificis Romani in Die natali episcopatus sui, dicitur: « Deus, qui nec Ecclesiae tuae usque ad consummationem seculi te defecturum, nec inferni portas *apostolicae confessioni* praevalituras esse promisisti etc. »

Petrus cellensis gallus sec. XII. Sermone de Petri Cathedra, concludit: « Transferamus nos itaque a Cathedra Moysi ad Cathedram Petri, quia non possunt *adversus eam* portae inferi ». Paulo post subditur: « Haec Sedes Petri, idest Petra . . . fragosa quaeque haereticorum conciliabula elidit et allidet etc. [2] ».

S. Maximus taurinensis episcopus in Homilia De Petro apostolo ex verbis: *Tu es Petrus* etc. inquit: « Petra autem erat Christus. Recte consortium meretur nominis, qui consortium meretur et operis. In eadem

[1] Primo editum est a c. v. I. B. De Rossi: Bullettino di Archeologia cristiana seconda serie, anno secondo N. III. p. 117.

[2] Septem praefata testimonia decerpta sunt ex Opusculo egregio M. A. Rampolla: *De authentico Romani Pontificis magisterio solemne testimonium ex monumentis liturgicis Romae* 1870.

enim domo Petrus fundamentum posuit ». Et in Homilia ss. Octavii, Aventitii, et Solatoris ex praefato testimonio: *et portae inferi non praevalebunt ei* addit: « Si ergo apostolo et martiri Petro inferni porta non praevalet, quisquis sociatur martyri, tartaro non tenetur »

De reliquo, non tantum prisci Patres et interpretes graeci, latini, et armeni, in vocabulis *adversus eam*, comprehenderunt Petrum potiusquam Ecclesiam, sed et in heterodoxis recentiores Bibliorum commentatores: in quibus Hammondius. Is enim in *Novum Testamentum* cum notis Joannis Clerici de vocabulis *adversus eam*, ait multo verisimilius esse, de Petro solo ibi agi, cum antecedentia et consequentia ad Petrum non ad Ecclesiam pertinent. Nec obstat, quod solet pronomen ad nomen proxime antecedens referri: nam et frequenter cum remotiore conjungendum, ut saepe observarunt Scripturae interpretes ».

Cum ergo ex praemissis Patrum veterum expositionibus verba: *et portae inferi non praevalebunt adversus eam,* referenda sint magis ad Petrum quam ad Ecclesiam, hinc merito sequitur eosdem Patres hoc *Petrae* titulo, supra quam instruenda erat Ecclesia in seculum duratura, non tantum Christum nuncupasse ac ejus discipulum Simonem Bariona, sed et ipsius Petri successores, quotquot post eum vocatos ad hanc regendam, et hoc ob ejusdem Ecclesiae perennitatem et stabilitatem, quam ei adversus hostium conatum promisit Christus.

Et ad hunc sensum revocantur, quae Nyssenus scripsit in Laudibus b. Stephani: « Celebratur Petri memoria, qui apostolorum est caput, et una quidem cum ipso cetera Ecclesiae membra glorificantur. Dei vero Ecclesia in ipso solidatur. Hic enim juxta praerogativam sibi a Domino concessam, firma et solidissima petra est, super quam Salvator Ecclesiam aedificavit ». Idest stante Petra, stabit Ecclesia. Et hinc cum dicit Jesus *super hanc Petram,* non semetipsum sed Simonem digito, vel nutu designavit. Et id reapse conveniebat proposito reddendae rationis impositi nominis.

Et sane, primo loco Christus erat mystica Petra: deinde vero hoc eodem nomine decoravit Simonem Vicarium suum, ut pari magisterio fungeretur in Ecclesia veluti Christus illius fundator. Idcirco, sicuti aliquando in Lege Moysi Sacerdos magnus in pectore suo mysticum signum gerebat veritatis (et Deus veritas est immobilis et infallibilis) ac veluti in Evangelio Christus Dei, qui est veritas infallibilis et immobilis, nuncupatur Petra: ita hoc titulo vocavit Simonem, ut sciret, se in pectore suo verbum gerere veritatis, quae nunquam ab ore suo deficeret, ut staret fides sua, suosque confirmaret fratres.

De reliquo, quam hucusque expendimus interpretationem verborum: *et portae inferi non praevalebunt adversum eam,* idest *Petram,* Apostolus quoque commendasse videtur. Nullibi enim in suis epistolis occurrit absolutum Ecclesiae nomen tanquam docentis, sive magistrae; sed potius

ut discentis a Christo Pastore, et ab illis qui in ea positi sunt doctores ad ipsius aedificationem. Ex. g. in Actis c. XX. 17. legitur: « A Mileto » autem mittens (Paulus) Ephesum, vocavit presbyteros Ecclesiae. Paulo » post v. 28. attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus San- » ctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei. » Non itaque Ecclesia Dei regit episcopos, sed episcopi regunt eam. Item Paulus 1. ad Corinthios c. IV. 17. inquit se in omni Ecclesia docere.

Et haud secus in c. XIV. 4. « qui autem prophetat, Ecclesiam Dei » aedificat. Similiter ad Ephesios c. V. 23. Christus dicitur caput Eccle- » siae. Sed sicut Ecclesia subjecta est Christo... ut exhiberet ipse sibi » gloriosam Ecclesiam sine macula... Nemo enim unquam carnem suam » odio habuit: sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclesiam. Et » in c. IV. praecedente 11. 12. et ipse (Christus) dedit quosdam quidem » apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios » autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus » ministerii in aedificationem corporis Christi. » Christus ergo et in persona sua pastores et episcopi docent et aedificant Ecclesiam, nequaquam vero Ecclesia docet et aedificat Christum vel pastores et episcopos. Proindeque ubi dicitur: *et portae inferi non praevalebunt adversus eam,* non proprie intelligitur adversus Ecclesiam, sed potius adversus Petrum (qui Christum in se et in posteris suis repraesentat) pastorem et doctorem ejusdem Ecclesiae.

His positis, si interpretes promiscue in pronomine *eam* aliquando *Petram,* quandoque comprehenderint *Ecclesiam*; hanc tamen considerarunt non in corpore ejusdem, sed potius in suo capite, sicuti ait Apostolus (1. ad Timotheum c. III. 15.) *ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est Ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.* Non enim Ecclesia per se est columna et firmamentum veritatis; sed Deus, cujus est Ecclesia, firmamentum vocatur veritatis. Ita Ecclesia columna veritatis dicitur, quatenus Petrus, supra quem fundata est, propugnaculum veritatis sit; qui nunquam errat, cum in Cathedra sedens eamdem Ecclesiam docet.

Ceteroquin nemo ignorat, cum Ecclesia in suo corpore undique et perpetuo a satana cribretur, plura tam ex minoribus quam ex majoribus suis membris non praevaluisse ejusdem insidiis; ast superata periisse, et adhuc perire, variis erroribus maculata, sicuti historia haeresum amplissime testatur. Quamobrem frustra clamarunt veteres, ac potissimum nunc temporis nationalium ecclesiarum juris propugnatores, dicentes ex. g. ista ecclesia gallica, illa ecclesia germanica, haec hispanica, illa angla, ista graeca, alia italica, haec syriaca, illa armena, ista ethiopica, haec rhuthena, illa africana, ista americana etc. Frustra singularum praerogativas ab earum initio, seu dilatatione, vel vetustate petitas extollunt. Perperam illarum ecclesiarum episcopos, metropolitas, primates, patriarchas jactant.

Quamvis enim cunctae ecclesiae, quae sub coelo sunt, seorsum sumptae, immediate vel mediate ab apostolis fundatae sint, nihilominus cum sint ipsae earumque episcopi membra corporis et hinc fallibiles, istas cum suis pastoribus subjecit Christus, primus pastor et totius Ecclesiae petra, Simoni Barjona; eumque ideo et successores ejus in Cathedra Romana vocavit Petrum tanquam stabile fundamentum aedificii ecclesiastici: unde ceteri, quicumque forent, instabiles confirmandi essent. *Tu Simon vocaberis Cephas:* tu solus Petra et non alii tecum, adeo ut, cum vox tui solius, vel in societate fratrum tuorum resonet per terrarum orbem, cuncti audiant et credant, te divinitus edoctum in tractando de rebus fidei et moribus, infallibile pronunciare judicium.

Et hinc sapienter Leo in Sermone III. De assumptione sua scripsit: « Commune erat omnibus apostolis periculum de tentatione formidinis; et divinae protectionis auxilio pariter indigebant; quoniam diabolus omnes exagitare cupiebat et elidere. Et tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur. Et pro fide Petri proprie significatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo munitur; et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per Petrum apostolis conferatur. » Et ob hoc in Sermone IV. subdit: « Ex Romanae Sedis firmitate firmitas pendet episcoporum et episcopatus. »

Idcirco, sicuti in vetere Synagoga Sacerdos magnus dicebatur doctor Jacob, lux Israel, stola gloriae indutus, prae fratribus suis excelsus, sanctus sanctorum, ex omnibus viventibus electus, veritatis judex, divinae Legis interpres authenticus; ita Sacerdos magnus Simon in Ecclesia Christi eisdem et hujusmodi distinctus est titulis, ut exprimeret non tantum excelsam et divinam potestatem in sacro suo magisterio supra ceteros apostolos; sed et repraesentaret realiter in suo ministerio illum, a quo constitutus est Petra suae Ecclesiae.

Et quidem ex hoc Petrae titulo factum est ut a Patribus Simon iste deinde vocaretur ovium archipastor: coryphaeus apostolorum: apostolorum fastigium; sublimissimus apostolorum: princeps et dux discipulorum: apostolorum exarcha: totius mundi ovium praefectus: ecclesiarum procurator: ecclesiarum episcopus: omnium fidelium pater et magister: mundi curator: discipulorum primas: lingua discipulorum: apostolorum oculus: coelorum custos: primogenitus clavigerorum, per quem omnes ligandi atque solvendi acceperunt potestatem: caput et lingua fratrum suorum: imago et persona Christi: Ecclesiae fundamentum: aedificii caput: Pontifex prototypo similis: in throno sedens terrarum orbis: Sacerdotii caput: in cujus manus mundus totus traditus est. [1]

[1] Hujusmodi tituli decerpti sunt ex Didymo, Ephraemo syro, Chrysostomo, Hieronymo, Augustino, Asterio, Leone Papa, Theophilacto, Elia episcopo Anbarae apud Assemani: *Bibliotheca Orientalis* Tomo III. p. 260. Ast commoditatis causa conferas, quae

Et quis unquam in monumentis christianis alterum legerit, tanta titulorum honorificorum copia adauctum fuisse, nisi illum, cui Jesus dixit: *Tu es Petrus: pasce oves meas*? Ceterum, nisi ita ab antiquis temporibus cunctis fidelibus persuasum esset de persona Petri, cur tam studiose Porphyrius (teste Hieronymo in Commentario Epistolae ad Galatas) hujus apostoli decus et splendorem obtenebrare conatus est? Quare tam sollicite iste christianis exprobrat, quod Petrus apostolorum princeps reprehensus sit a Paulo, maculam erroris inurere illi volens? Et quare idem Julianus (teste Cyrillo alexandrino in Libro IX. contra eumdem) cavillatur, et eximium inter ss. apostolos Petrum, et hypocritam esse dicit, et per Paulum reprehensum? Nisi enim Julianus, sicut antea Porphyrius, ex universali fidelium consensu didicissent, Petrum totius Ecclesiae tunc haberi doctorem, ceterisque apostolis, sicuti et Paulo, auctoritate excellere, frustra insultassent christianis, quod Paulus ipse Simonis corripuerit errorem et simulationem. Satis existimarunt ambo, Christi hostes, Petrum redarguere, ut ita infirmaretur ipsius divina ac suprema potestas in regimine Ecclesiae, quemadmodum hodie illorum fidelissimi discipuli satanico nisu contendunt.

Praeterea non solum Ecclesiae Patres tantis cumularunt elogiis Simonem Barjona, sed et successores suos in Pontificatu, tanquam intime conscii, eamdem Simonis sub Petri nomine auctoritatem transfusam esse in cunctos, qui postea hanc Cathedram ascenderunt, eosque una cum Romana universas orbis christiani ecclesias regere. Et si veterum documenta percurrerimus, limpide hoc patefiet: ac insuper constabit illos in appellationibus minus invocasse Ecclesiam Romanam quam ipsius Ecclesiae Caput, titulos hujusmodi praeferentes, quibus indicarent et a Petro eorum esse successionem, paremque in universa Ecclesia potestatem.

Ita quemvis Petri successorem appellantes, hunc modo vocarunt Christi Vicarium, Petri Cathedram, Sedem Romanam, Fundamentum Ecclesiae: alias Primatem ecclesiarum, Episcopum episcoporum, Ecclesiam principalem, Pontificem maximum, Petrae apostolicae Arcem: modo πρωτοκαθεδρίαν primam Cathedram, Thronum Ecclesiae Romanae: nunc Judicem supremum, Praesidem Ecclesiae, Radicem et Matricem Ecclesiae, Cathedram Principis apostolorum, Antistitem primae Sedis. Et saepius per antonomasiam modo Thronum apostolicum, nunc Solium apostolicum, alias Ecclesiam apostolicam, ejus fundatorem inspicientes, nuncuparunt. Quos titulos deinceps in prosecutione Operis praetulisse Ecclesiae Patres videbimus, haud ignaros, cunctos Petri successores eadem

praeclare scripsere praefatus Rampolla, *De Authentico Romani Pontificis Magisterio ex monumentis liturgicis Ecclesiae universae:* Romae 1870; alter Stephanus Azarian: *Ecclesiae Armenae Traditio de Romani Pontificis primatu jurisdictionis et inerrabili magisterio:* Romae 1870, aliique.

CAPUT VII.

Divinum Deuteronomii testimonium c. 1. 17: Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me et ego audiam, *a Synagoga ad Ecclesiam Christi translatum: cujus depositarius Petrus, et post eum Linus, Anacletus, Clemens, Soterus.* [1]

In antiqua Synagoga Legis mosaicae oeconomia deposita fuit in manibus summi Sacerdotis: cujus munus erat ipsius statuta servandi, docendi eaque exponendi, quae obscura viderentur in ejusdem Legis applicatione: « Quod si difficile, mandavit Moyses, vobis aliquid visum fue» rit, *referte ad me et ego audiam.* In quibus verbis rite intelligitur et » explanatur consilium Jethri eidem Moysi praebitum (Exod. c. XVIII. » 19.) cum ait: Esto tu populo in his, quae ad Deum pertinent, ut re» feras verba ad Deum ipsum. Seu juxta textum originalem: Esto tu » huic populo e regione Dei, seu coram Deo, vel interpres apud Deum. » Idest, consule tu Dominum. Et hinc praemissa: *referte ad me et ego audiam,* idem sonant ac diceret Moyses: divinitus edoctus respondebo interrogationibus vestris.

Hinc paulo post (Deuter. c. XVII.) sub eodem sensu statuit Deus, ut quodcumque difficile videretur in Lege aut ambiguum, et verba variarent judicum, qui fuerint in iis locis, deferendum esset ad locum a Domino electum, et ad Sacerdotem magnum, qui fuerit iis diebus: cujus judicio standum erat. Unde eruitur, non solum tunc ad se, sed et imposterum post obitum suum, omne negotium dubium sive arduum reportandum esse ad Pontificis Cathedram. Et hoc sane expletum vidimus perpetuo ab universa Israelis gente, quae undique ex cunctis terrae plagis, tanquam salutis portum, Hierosolymam frequentabat; in qua Templum Domini erectum fuit, et Pontificis magni Cathedra concordiae signum et fidei unitatis, sicuti superius dictum est.

Nunc autem pro argumento nostro jure dicenda est Roma metropolis nostra; cujus typus extitit Hierosolyma cum suo Templo et Pontificatu infallibili. Huc sane a Christianismi initio fideles confugerunt, et modo pariter confugiunt veluti ad salutis portum pro fidei stabilitate et concordia, ubi sedet, qui veteri Pontifici substitutus est novus Pontifex in plenitudine potestatis ad servandum novum aedificium a Christo fundatum. Moyses, hebraeorum Legislator, moriturus omnem auctoritatem in Legis custodia, executione et expositione (Aarone defuncto) uni

[1] In hoc tractatu Pontifices tantum nominabo, quorum supersunt quaestioni congrua documenta, et aliorum scripta qui ad eosdem appellarunt usque ad s. Leonem I.

Eleazaro Pontifici tradidit. Jesus christianorum Legislator, ascensurus ad Patrem, cunctam auctoritatem in evangelica Lege servanda et exponenda, uni Simoni Barjona commisit; eique mandavit: *pasce agnos meos: pasce oves meas.*

Et hic est Petrus, supra quem Dominus fundavit Ecclesiam suam; et ad quem referenda sunt et erunt omnia christifidelium negotia, quaecumque obscura et dubia visa fuerint. *Petra autem erat Christus.* Et ad Simonem apostolum ait Jesus: *tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam.* Quasi diceret: ipse Petrus referte ad eum; ipse pro me respondebit vobis, vosque confirmabit, *confirma fratres tuos.* Ipse pastor agnorum et ovium. Ipse vos reget, pro quo rogavi, ut non deficeret fides sua.

Dixi vero, non tantum ad solum Petrum munus incubuisse fratres confirmandi, regendique Christi oves et agnos; sed et ad omnes successores suos a Deo vocatos in regimine universae Ecclesiae, quemadmodum Dominus non tantum Aaronem Pontificem magnum et magistrum totius Synagogae constituit: ast cunctos quoque posteros suos pari dignitate donavit, ut ex Moysi Cathedra docerent ac fratres confirmarent.

Ac revera post Christi ascensionem apostoli ac ceteri discipuli haud ignari Christi verborum ad Simonem Petrum, quem suum Vicarium in terra constituit totius mundi pastorem, et ducem ut solveret et ligaret in terris, quae solvenda et liganda erant in coelis, ad hunc Petrum, sicuti antea ad Jesum, se retulerunt tanquam veritatis centrum et unitatis. Cui itaque Dominus dixit: *pasce agnos meos: pasce oves meas.* Hunc quidem Petrum, hujusmodi a Christo accepto primatu, et cum primatu jurisdictione supra cunctos fideles, legimus in Actis apostolicis (c. I. 16. c. II. 14) exurgentem in medio fratrum ac dicentem absolute: *Viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus per os David de Juda etc.* Eademque ratione Petrus ille sane est, qui cum undecim stans, levavit vocem suam et locutus est judaeis de Jesu nazareno. Item Petrus ille est, qui repletus Spiritu Sancto, locutus est ad principes populi et seniores, asserens Jesum Nazarenum lapidem esse factum in caput anguli etc. Et ille quidem est Petrus, ad quem appellarunt seniores judaeorum et graeci, qui crediderant, ab Antiochia mittentes Hierosolymam, et ab eo quaerentes num graeci, qui crediderant subjiciendi forent circumcisioni. (Act. IV. 8. c. XV. 1. 2. etc.) In qua disceptatione surgens Petrus, statuit nullimode, qui ex gentibus crederent, circumcisioni subigendos. Petrus similiter ille est, qui in Epistola 2. c. III. 15. 16. de Pauli apostoli epistolis locutus ait, « in eis quaedam « inveniri difficilia intellectu; quae indocti et instabiles depravant, sicuti « ceteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem. »

Et ille est, quem testatur Clemens alexandrinus in Libro VI. *Institutionum,* postquam Marcus discipulus ejus scripsisset Evangelium, aucto-

ritate sua confirmasse, et ecclesiis legendum fuisse traditum; ac insuper ab eodem apostolo Alexandriam missum Marcum, ibique fundasse ecclesiam. Petrus ille est, quem Eusebius in Chronico, non unius dioecesis episcopum, aut cujusdam provinciae vel nationis metropolitam vocat; verum ex veteris Synagogae more, cujus unum caput *Haccoen haggadol* Sacerdos magnus a Deo constitutus est Pontifex, talem compellavit Simonem Petrum levitici et mystici Pontificatus finem et novi initium: *Petrus apostolus*, ait, *natione galilaeus christianorum Pontifex primus.* Demum Petrus ille est, qui cum Paulo apostolo, fundata ab his et aedificata Ecclesia Romana, Lino τὴν τῆς ἐπισκοπῆς λειτουργίαν ἐνεχείρισαν episcopatus ministerium tradiderunt (Euseb. Hist. Eccles. Lib. V. c. VI.)

Et hîc interim quoad apostolorum missionem ab ipso Christo acceptam praedicandi Evangelium in omnes gentes, eorumque in diversas provincias orbis profectiones ut hoc munus explerent, notandum est, eosdem, quamvis ab initio ex speciali privilegio mundi regiones peragrantes, undequaque Evangelii semina spargerent absque ullo praedicationis confinio, nihilominus successive pro ordine servando, messe fidelium collecta, captivantes gentium mentem in obsequium fidei, quoscumque inter fideles aptos invenissent verbi Dei ministros, secum ducentes, eisque imponentes manus ut acciperent Spiritum Sanctum, episcopos constituisse, unicuique distribuentes peculiarem regionem pro ministerii sui exercitio.

Hoc autem perspicue eruitur tam e Scripturis apostolicis quam a priscis Ecclesiae monumentis. Et ad haec appellat Eusebius in Historia ecclesiastica, enarrans religionis christianae et apostolicae missionis primordia, sicuti et gesta episcoporum, qui apostolis successerunt in regimine ecclesiarum, unicuique antistitum definita jurisdictione juxta earum ecclesiarum terminos. Hinc Historicus in Lib. II. c. I. ait, post ascensum Salvatoris, Petrum, Jacobum et Joannem, alterum Jacobum nomine Justum Hierosolymorum episcopum elegisse. Item in Lib. III. c. IV. narrat Timotheum ecclesiae ephesinae obtinuisse episcopatum, sicuti et Cretae Titum; et ex traditione dicitur Dionysius areopagita fuisse atheniensis antistes. Nec secus in c. XI. ait post Jacobi martyrium, ut est fama, apostolos et ceteros discipulos convenientes, elegisse episcopum Hierosolymorum Symeonem filium Cleophe. In c. XXIII. inquit: « Postquam Joannes apostolus reversus est ab insula Patmos Ephesum, ad finitimas provincias se contulit, partim ut episcopos constitueret, partim ut ecclesias integras ordinaret, partim ut alios in clerum disponeret. Quod ostendit ipse in Apocalypsi c. I. et II. scribens septem ecclesiis idest Asiae, Ephesi, Smyrnae, Pergami, Thyatirae, Sardis, Philadelphiae, et Laodiciae; quarum unicuique constituti erant angeli sive episcopi. Deinde in c. XXXVI. subdit, Ignatium post Petrum episcopatum Antiochiae sortitum esse; sicuti Polycarpum apostolorum discipulum fun-

ctum esse episcopatu ecclesiae smyrnensis, et Papiam urbis Hierapolis; quemadmodum, ut nuper dictum est, Marcus Petri discipulus ecclesiae alexandrinae nuncupatus est praesul. Horum unicuique, inquam, ab ipsis apostolis divisa est regio, ubi munus episcopale exerceret, quin alter in alterius transiret provinciam, servato tamen in perpetuum obsequio in apostolorum principem Petrum, supra quem fundata erat Christi Ecclesia.

Non enim a Christo, proprie loquendo, plures fundatae sunt ecclesiae, sed una tantum. Et hinc apostoli, quamvis undique ecclesias fundarent, earumque constituerent episcopos; satis tamen conscii eorum verborum, quae Jesus coram ipsis dixit Simoni: *tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam,* ac insuper dicti memores: *ego autem rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua,* ut hinc confirmaret fratres suos, et agnos ovesque pasceret, non est dubitandum, ipsos apostolos undique annunciantes verbum Dei, hoc neglexisse Christi documentum, unitatis doctrinae suae tesseram; sicuti nec multo minus putandum eorum discipulos ecclesiarum episcopos constitutos, ignorasse vel non animadvertisse illorum sensum verborum; quibus Simon Petrus omnium caput vocatus fuit fidelium, qui credidissent, seu potius omnium pastorum pastor, doctor et judex; et consequenter necessario ad hunc, quoties oporteret, appellandum, atque ab eodem expectandum esse responsum suis appellationibus: *referte ad me et ego audiam.* Quod quidem in sequentibus manifestissime patefiet.

Post Petri martyrium, Cathedram illius ascendit Linus, qui clavibus regni coelestis acceptis, eadem usus suprema super universam Ecclesiam auctoritate, qua cumulatus est Petrus in damnatione haereseos simonianae, cum menandrianorum error in Oriente serperet, hunc refutavit, damnavitque. Hinc in Libro *Praedestinatus* inscripto, adversus Haereses, haec notantur: « Secunda haeresis a Menandro menandrianorum, qui mundum non a Deo sed ab angelis factum esse testantur. Hos sanctus Linus episcopus, secundus apostoli Petri, a consortio conversationis nostrae ejectos, aeterna damnatione mulctavit: docens rationabiliter secundum sanctas Scripturas veteris Testamenti, Deum, qui cum Moyse locutus est, hunc esse omnium Creatorem; et nihil in creaturis omnibus esse, quod possit pro sui natura esse vituperabile. Omnia enim, quae culpabilia judicantur, actu non conditione culpantur. »

Clemens I. deinde, tertius Romae Pontificatu functus, in epistola ad ecclesiam corinthiorum, indicia satis luculenta praebet primatus sicuti et auctoritatis supra omnes mundi antistites, nedum horum obsequii erga Petri Cathedram: quare corinthii ad hanc appellarunt in quaestione inter illos agitata de episcopatu. Eusebius in Libro III. c. XVI. et in Libro V. c. VI. postquam notavit hunc Clementem apostolos vidisse, eorumque praedicationem adhuc auribus suis insonasse, addit: « Hujus Cle-

mentis temporibus, cum gravissima dissensio Corinthi exorta esset inter fratres, Ecclesia Romana (per ipsum) praeclaras litteras corinthiis scripsit; quibus eos ad pacem et concordiam revocaret. [1]

Hoc autem manifestius eruitur ab ipsius epistolae tenore; ubi Clemens ipse c. I. ait (ex versione Coustantii p. 9): [2] « Propter calamitates ac casus adversos, qui nobis acciderunt, fratres, videbimur tardius convertisse ad eas res, quae a vobis, dilecti, quaesitae sunt. » Deinceps in cc. 40. 41. 42. 43. 44 de Hierarchiae ordine disserens Papa, mosaica statuta de summo Sacerdote appellat; ejusque munera varia distinguit ab iis, quae secundi ordinis sacerdotes obibant; et narrat, quomodo ad contentionem sedandam de Pontificatu maximo, sola Aaronis virga germinavit. Huic enim soli creditum erat hoc privilegium. Quam regulam (subdit Clemens) secuti sunt apostoli in episcoporum, presbyterorum et diaconorum institutione. Quibus omnibus praefectus est summus Sacerdos, a Christo constitutus in persona Petri et successorum suorum, totius orbis christiani rector. Quorum ipse Clemens unus, jure meritoque a corinthiis interrogatus respondet, et ex magisterii sui munere docet, decernitque ut judex supremus: *referte ad me, et ego audiam.* Interim hinc perspicue constat, relate ad ea, quae infra ex Canone nicaeno de Episcopi Romani primatu supra universam Ecclesiam, Clementem jurisdictionem exercuisse supra Corinthi episcopatum; ac ideo illuc misisse, uti legitur in fine epistolae, Claudium, Ephebum, Valerium, Vitonem cum Fortunato: « quos, ait, in pace cum gaudio ad nos remittite: ut citius optabilem nobisque desideratissimam pacem et concordiam annuntient. » Cujus missionis praxis in Synodo nicaena legitur firmata.

In hoc loco vero meminisse refert, quae Eusebius saepe repetit de cathedris episcopalibus Romae, Alexandriae, Antiochiae, Hierosolymorum ab apostolis, vel potius a Simone Petro erectis. Quarum unam, romanam videlicet, graeco vocabulo πρωτοκαθεδρίαν *primam Cathedram* nuncupavit Historicus, (Hist. Ec. Lib. V. c. XXVIII.) non honoris tantum causa sed et amplius jurisdictionis; ad quam ideo aliarum episcopi se referebant, quoties opus foret, tanquam discipuli ad magistrum, quemadmodum jam expletum cernimus sub Petri, Lini et Clementis pontificatu; itemque factum est in posterum.

Idem porro in Lib. IV. c. XXIII. Hist. Eccles. [3] de Dionysio corin-

[1] Veteres Patres, si excipias s. Irenaeum, qui ex epistolae titulo scriptam hanc arguit ab Ecclesia Romana, concordes Clementi Papae eam inscribunt. Tantaque vero prisci auctoritate praeditam existimarunt epistolam ut Bibliorum sacrorum codicibus inserta plerumque occurrat.

[2] Petri Coustant presbyteri et monachi Ordinis s. Benedicti Epistolae Romanorum Pontificum et quae ad eos scriptae sunt. Tom. I. Parisiis 1721.

[3] Eusebius Pamphilus Historiae Ecclesiasticae Libri decem etc. Edidit Henricus Valesius cum notis: Parisiis an. 1659.

thiorum episcopo locutus, ait illum plures scripsisse epistolas, quarum unam ad Ecclesiam Romanam: in qua hujus laudat antiquam institutionem subveniendi christianorum egestatibus, ubicumque degerent: « Et hunc morem, scribit Historicus, beatus episcopus vester Soter non servavit solum, verum etiam adauxit, tum munera sanctis destinata copiose subministrans; tum fratres huc peregre advenientes *tanquam filios Pater amantissimus* beatis sermonibus consolatus. »

Et sane, quae breviter in hoc loco notat Eusebius de collectis et sermonibus consolatoriis, quibus usus est Soter Pontifex erga peregrinos, ad se de longe Romam venientes, quosque solabatur et docebat veluti pater illorum et doctor, paternam universalis Ecclesiae curam ostendit, nec non pontificium in toto orbe magisterium et auctoritatem, Petro apostolo antea traditam et in successores suos transfusam.

CAPUT VIII.

Eleutherus, Victor, Zephyrinus, Fabianus.

Ab Eleutheri Pontificis aetate et successorum ejus in Historia ecclesiastica saepe memoria occurrit s. Irenaei presbyteri ac deinde episcopi lugdunensis. Priusquam vero illius acta et scripta expendantur circa quaestionem nostram, illud praeclarum praeferatur testimonium de Ecclesia Romana ab apostolis Petro et Paulo fundata, de qua ita loquitur: « Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem *necesse est* omnem convenire Ecclesiam; hoc est eos, qui sunt undique fideles; in qua semper ab iis, qui sunt ubique, conservata est ea, quae est ab apostolis traditio. (De haeres. Lib. III. c. III. n. 2.) » Paulo post n. 3 citat praefati Clementis epistolam quam ἱκανωτάτην *sufficientissimam* vocat, ubi ad pacem eos congregat, eorum fidem reparat et annuntiat quam in recenti ab apostolis acceperat traditionem.

Et quis est iste vir, qui ita disserit de potentia atque principalitate Ecclesiae Romanae a duobus apostolis erectae; et ad quam *necessario*, nec arbitrarie neque pro lubitu, ait convenire omnes fideles cujusque regionis ulla absque vel dignitatis seu privilegii distinctione, apostolicam doctrinam, sive verae fidei christianae depositum discendi causa? Est inquam, Irenaeus, qui in Asia, priusquam in Galliam proficisceretur, (Euseb. Hist. Eccles. Lib. V. c. XX. Hieronymus Ep. 29.) Polycarpum audivit et Papiam, et quem Tertullianus vocat omnium doctrinarum curiosissimum exploratorem; et quem s. Epiphanius testatur auditorem fuisse auditorum apostolorum. Idcirco quae Irenaeus ipse docet et scribit de Petri Cathedra, ad quam cunctas ecclesias in toto orbe fusas, referendas esse dicit, a viris apostolicis, qui ab ipsis apostolis edocti, in Asia verbum Dei evangelizarunt, didicit, nobisque tradidit credenda. [1]

His praemissis, quae hujus viri aetate facta sunt in Ecclesia, nostroque apta proposito, percurrantur. Ex praefati Eusebii testimonio in Lib. V. c. III. orta est controversia inter Galliae fratres de Montani,

[1] Cum talia loquitur Irenaeus de Ecclesiae Romanae primatu, neminem lateat, quae de se narrat s. Episcopus cum Florino valentiniano disputans: « Vidi enim te, inquit, cum adhuc puer essem, in inferiori Asia apud Polycarpum, splendide agentem in palatio, et magnopere laborantem, ut te illi approbares. Etenim ea, quae tunc gesta sunt, melius memoria teneo, quam illa, quae nuper acciderunt, adeo ut et locum, in quo assidebat beatus Polycarpus cum dissereret, illius eo adventum et introitum, formam et modum vitae, corporis effigiem, disceptationes ac sermones, quos ad populum habebat, et necessitudinem vitaeque usum cum Joanne et reliquis, qui ipsum Dominum vidissent, se habuisse narravit, et quo pacto memoraret eorum sermones . . . . videar mihi posse rite percensere. » Euseb. Hist. Ecc. Lib. V. c. XX.

notandum est adversus quorumdam opinionem, Pontificem nequaquam excommunicationis decretum emisisse, quamvis obscure de hac re disserat Eusebius; sed tantummodo (ex graeco) ἀποτέμνειν πειρᾶται *secare minatur*. Hinc Valesius in notis subdit: « Irenaei epistolae et aliorum episcoporum satis arguunt, rem adhuc in pendenti fuisse, nec damnationis sententiam etiam tum a Victore in asianos fuisse prolatam. Cum enim Irenaeus Victorem decenter monet, ne integras Dei ecclesias morem antiquum custodientes a communione abscindat, indicat, nondum easdem fuisse abscissas. » Idem putat Photius in Bibliotheca Cod. 120.

His animadversis de Victoris et Irenaei sano consilio circa excommunicationis decreti suspensionem (quum opportunius talis disciplinae regula ad Concilium nicaenum remissa fuerit, ubi statutum est uno eodemque die dominico ab omnibus celebrari oportere festum Paschatis) attendendum modo superest, quod quaeritur, idest super Asiae ecclesias sicuti undique juxta Canonem apostolicum, pontificiae auctoritatis exercitium, ad quam cuncta negotia referenda erant; et quam episcopi totius orbis, in quibus maxime orientales, religiose reverebantur ceu divinitus Petro et successoribus traditam.

Et hoc quidem amplissime patet ab ipsius Irenaei dictis ibidem notatis de praefata quaestione: « Presbyteri, ait s. Episcopus Victori, ante Soterem, qui Ecclesiae, cui tu jam praees, praeficiebantur, Anicetum dico, Pium, Hyginum, Telesphorum, Xystum, licet neque ipsi hoc festum eo die, quo episcopi Asiae observarunt, neque aliis post se ita observare permitterent, nihilominus cum episcopis illarum ecclesiarum, in quibus ita observabatur, ad se accedentibus (quid vero magis repugnat, quam ut hi hoc, illi illo modo observent) pacem inter se et concordiam perpetuo retinuerunt; et nunquam propter istum varium illius festi observandi modum fuere ulli aliquando ab Ecclesia ejecti. Sed presbyteri illi, qui te anteiverunt aetate, tametsi minime illud ita observent, his tamen episcopis, qui in aliis ecclesiis idem sic observabant, Eucharistiam misere. Et cum beatus Polycarpus, Aniceto episcopatum administrante, Romam adventarit; cumque ille et Anicetus de aliis rebus, de quibus inter se discrepabant, pauca contulissent, confestim pax fuit inter eos conciliata, quin pro hoc festo observando, quod controverversiae caput videbatur, charitatis vincula ruperint etc. »

Quid sane ex his Irenaei dictis praeclarius revelatur circa propositum nostrum? Cum enim is Victori, ait ad antecessores suos Pontifices (a seculi secundi initio vel ab aevo apostolico) ad Anicetum nempe, Pium, Hyginum, Telesphorum, Xystum, de cunctis terrae plagis accessisse episcopos de aliqua re consulturos, in quibus Polycarpus praestitit, manifeste confirmatur Petri successorum primatus, ac omnium Ecclesiae antistitum erga ipsius Cathedram observantia; ad quam ideo, cum necesse foret, confugiebant.

Non est porro hïc praetereundum, quod saepe scribit Tertullianus de Ecclesia Romana ab apostolis Petro et Paulo fundata. Cujus dicta ita sunt exposita, ut patescat hujus Ecclesiae Pontificatus (propter Petri dignitatem, qua a Christo Jesu munitus est) auctoritas supra cunctos fideles et quidem supra totius orbis Christiani episcopos; qui ab eo accipiebant missionem; ejusque parebant decretis. In Libro *De praescriptionibus adversus haereticos* n. 36 de ecclesiis disserens ab apostolis erectis, inquit: « Age jam qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuae, percurre ecclesias apostolicas.... Si autem Italiae adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est. Statu felix Ecclesia: cui totam doctrinam apostolicam sanguine suo profuderunt; ubi Petrus passioni dominicae adaequatur etc. » Cum ergo Auctor ait, *habes Romam, unde nobis quoque auctoritas praesto est,* nec semetipsum nec africanos tantum intelligit, sed et omnes catholicos, exceptis haereticis ab Ecclesiae sinu evulsis.

Eaque propter Tertullianus alibi Petri successorem Victorem vel potius Zephyrinum citans, hunc vocat *Pontificem maximum, Episcopum episcoporum, benedictum, bonum Pastorem, virum apostolicum.* Et ita scribit in Libro *De pudicitia:* ubi sane ponderanda sunt, quae huic Pontifici exprobrat propter veniam moechis et fornicariis poenitentibus dandam. Ait enim in n. 1. « Audio etiam edictum esse propositum et quidem peremptorium. Pontifex maximus, Episcopus episcoporum dicit: *Ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimitto.* O edictum, cui adscribi non poterit bonum factum. Et ubi proponetur liberalitas ista? Ibidem, opinor, in ipsis libidinum januis, sub ipsis libidinum titulis. Illic ejusmodi poenitentia promulganda est, ubi delinquentia ista versabitur. Illic legenda est venia, quo cum spe ejus intrabitur. Sed in Ecclesia legitur, et in Ecclesia pronuntiatur, et virgo est. Absit, absit a sponsa Christi tale praeconium. »

Quamvis immerito Tertullianus talem Pontifici Romano exprobret indulgentiam, quam antea, ut ipse fatetur, admisit; ac etsi valde illusus sit, cum sibi visum fuit, huic obsistere pontificiae definitioni, nihilominus admodum hoc decretum proposito facit ad stabiliendam ab eo tempore supra universam Ecclesiam pontificis jurisdictionem et judicium ejusdem personale seorsim a Synodo. Cum enim dicit Tertullianus *per edictum peremptorium,* idem est ac diceret: Papa per seipsum solum, absque aliorum interventu, absolute in persona Petri pronunciavit: *Ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis, dimitto.*

Per idem tempus Origenes Adamantius, ipso Eusebio teste Hist. Eccl. Libro VI. c. XIV. Ecclesiam Romanam eodem regente Zephyrino, se in Urbem advenisse scribit, cum sibi in votis fuisset, sicuti ipse dicit alicubi, hanc Ecclesiam antiquissimam videre, ubi non multum temporis moratus, discessit. Et ob hoc subdit idem Historicus, Origenem litteras

dedisse Fabiano Pontifici de sua orthodoxîa adversus insimulatores, qui apud illum ceu de fide non recte sentientem incusarant. Et quemadmodum ab Asia scripsit Origenes ad Sedem apostolicam invocans hujus judicium in sua causa; ita et sui accusatores et quidem haeretici ad hanc Sedem retulere calumniosas imputationes adversus illum; ita ut per accusatores et accusatum testimonium simul redderetur jurisdictioni Episcopi Romani super illas provincias.

Nunc vero priusquam ulterius progrediatur, obiter ex praefatis notetur, ab aevo apostolico (a divi Pauli exemplo, qui Antiochia Hierosolymam venit ad Petrum ob circumcisionis controversiam) excitatis in Orientis ecclesiis dissidiis, cuncta Romam ad Petri Sedem delata fuisse ab episcopis illius regionis. In quibus censendi sunt Polycarpus, Irenaeus, Origenes, sicuti et ceteri episcopi, quorum nomina silentur ab ipso Irenaeo in praefatis litteris, quosque ait Urbem advenisse sub Aniceto, Pio, Igyno, Telesphoro et Xysto praeter eos, qui per epistolas negotia sua cum illis tractarunt. Hinc rogo ego, quare isti ex dissitis regionibus Romam adierunt ad Petri successorem? Quare isti in suis dioecesibus, aut penes metropolitam Synodo adunata, discussa quaestione, non emisere definitionem, quin ultra Pontificis judicium appellarent? Nihilominus adhuc usque historia sincera testatur, episcopos totius orbis ab aevo apostolico vel per epistolas aut per seipsos quibusvis inter eos ortis quaestionibus, judicem supremum Pontificem agnovisse ejusdem definitiones humiliter veneratos; sicuti tantumdem testatur, prout necessitas postularet, Sedem apostolicam usque ad ultimos Occidentis et Orientis fines Petri vocem pervenire fecisse: *Referte ad me, et ego audiam.*

CAPUT. IX.

Cornelius, Stephanus, Xystus II, Dionysius, Felix, Melchiades, Silvester.

Si ex praefatis ob documentorum defectum argumentum nostrum haud tam splendide coruscavit, attamen a Dionysii alexandrini aetate et infra quam maxime illustratur et confirmatur. Teste namque Eusebio Lib. VI. c. XLIII. Hist. Eccles. Cornelius Papa scribit ad Fabium antiochenum, ei notificans quae in Synodo Romana decreta erant adversus novatianos; per haec satis indicans Papa, una cum primatu, jurisdictionem suam supra illam ecclesiam et episcopum. Insuper in his litteris Cornelius narrat Fabio, quae Novatus per fraudem studuit, ut episcopus Romae fieret: « cum tamen eum praeteriret, unum solum Episcopum oportere esse in Ecclesia Catholica. »

Paulo post in postremo Capite hujus Libri testatur Historicus praefatum Dionysium ad Cornelium scribentem, hunc valde commendasse ob ipsius epistolam contra Novatum. Similiter in Libro VII. c. II. ait Eusebius, Dionysium ad Stephanum Papam dedisse litteras de baptismatis innovatione: « propterea quod tunc temporis non exigua quaestio et controversia concitata erat: utrum oporteret eos, qui se a quocumque haereseos genere revocassent, lavacro baptismatis repurgari; cum ex consuetudine ab antiquis ducta temporibus de hujusmodi hominibus in Ecclesiam recipiendis, solae preces cum manuum impositione adhiberi solerent. » Quare ergo ob praefatam controversiam Dionysius consuluit Romae Antistitem, nisi Canonis apostolici certior fuisset, hujusmodi quaestiones judicio ejusdem subjiciendas esse?

Hic autem non est praetereundus decreti sensus a Stephano Papa sanciti adversus rebaptizantes, quod summatim Firmilianus Caesareae Cappadociae episcopus citavit, ut refelleret, in epistola 75. ad Cyprianum: « Atque ego (Firmilianus ait) in hac parte juste indignor ad hanc tam apertam Stephani stultitiam, quod qui sic de episcopatus sui loco gloriatur, et se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiae collocata sunt, multas alias petras inducat, et ecclesiarum multarum nova aedificia constituat, dum esse illic baptisma sua auctoritate defendit. Nam qui baptizantur, complent sine dubio Ecclesiae numerum. Qui autem baptisma eorum probat, de baptizatis et Ecclesiam illic esse confirmat. Nec intelligit obfuscari a se, et quodammodo aboleri christianae Petrae veritatem, qui sic prodit et deserit unitatem. »

In his Firmiliani dictis quis non miretur, qualis et quanta tunc temporis extiterit pontificiae auctoritatis altitudo et latitudo, nullo ab ea orbis christiani termino excluso, dum Stephanus ex se, *Petri successor et veritatis Petra,* absolute pronuntiavit, haereticos non esse rebaptizandos? Ceterum, si tantisper Firmiliani lugenda est illusio (quae tamen ipsius zelo extra scientiam remittenda) tantumdem encomio cumulanda est ejusdem, sicuti et ceterorum, retractatio, qui errorem suum emendantes, pontificio decreto subscripserunt.

Hoc autem testatur Historicus in citato Libro VII. c. V. ubi idem Dionysius monet Stephanum de concordia inita in ecclesiis orientalibus, Novati errore repudiato: « Jam scito, frater, omnes Orientis ecclesias, quae antea fuerant propter errorum perversitatem nonnulla dissensione distractae, ad concordiam denuo esse reductas: cunctos etiam ecclesiarum praesides, qui ubique locorum sunt, summo animorum consensu conspirare; et ob pacem hanc praeter omnium expectationem constitutam, incredibili affici laetitia: Demetrianum dico Antiochiae episcopum, Teoctistum Caesareae, Mazabanem Aeliae (Hierosolymorum), Marinum Tyri, mortuo Alexandro, episcopum, Heliodorum Laodiceae, defuncto Thelymidro, antistitem, Helenum Tarsi, et cunctas Ciliciae ecclesias: Firmilianum etiam et totam Cappadociam. Illustriores solum episcopos nominatim perstrinxi, ne vel litterae videantur aliquanto prolixiores; vel nominum enumeratio lectori satietatem et molestiam afferat. Syria porro universa et Arabia, quibus identidem necessaria suppeditatis; et quibus etiam modo scripsistis epistolas, Mesopotamia quoque, Pontus atque Bithynia, ne longum faciam, omnes ubique gaudio exultant; et uno animorum consensu et fraterna charitate Deo gloriam impertiunt. Ista Dionysius scribit ad hunc modum. »

Cernito igitur in quaestione de haereticis rebaptizandis, repudiata Novati sententia, et accepto Cornelii Papae decreto antiqua consuetudine roborato ita ut reciperentur in Ecclesiam errantes, praeviis tantummodo precibus cum manuum impositione, cernito, inquam, quanta animi alacritate cuncti Orientis episcopi et metropolitae concordes pontificiae definitioni obsecuti sint. Ac tantumdem in his literis mirare sollicitudinem Sedis apostolicae usque ad ultimos terrae fines scribendi, mittendique pecuniarum collectas ad fidelium egestates levandas, ut una cum vita mortali mutua aleretur charitas; fideique unitas custodiretur, cujus centrum Roma constitutum erat; ubi Petri fides in successoribus suis stabilis perseverabat ad confirmandos fratres, sicuti tunc factum est sub divino beati Cornelii magisterio.

Ac ideo, sicuti nuper dictum est, Cornelius scribens ad Fabium antiochenum de Novati schismate ejusque intrusione contra leges canonicas, in Petri Cathedra, inquit: « hunc Novatum ignorare, unum Episcopum oportere esse ἐν καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ in Catholica Ecclesia. Quasi

dixisset, unum Romae Episcopum Catholicam regere Ecclesiam. Hac porro eadem locutione, eodemque sensu expressa utitur idem Papa in epistola ad Cyprianum carthaginensem: « Nec enim ignoramus, ait, unum Deum esse, unum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, unum Spiritum Sanctum, unum Episcopum in Ecclesia Catholica esse debere. » Hinc si Cathedra veritatis in Ecclesia Catholica una sit; et si Episcopus unus dicatur regere christianum orbem, necessario excluduntur ab hac unitate ceterae episcopales cathedrae. Et si dixeris, plures in facto in Christi Ecclesia haberi cathedras et episcopos super has sedentes, tunc necessario cogimur ad illationem, has cathedras cum suis episcopis in inferiori gradu constitutas, pendere ab illa una suprema; in qua concluditur et firmatur unitas fidei et actionum. Ac proinde jure stat titulus a primaeva aetate Episcopo Romano inscriptus *Episcopus episcoporum.*

Et hoc quidem sacro Ecclesiae Catholicae titulo decoratur Episcopatus Romanus eo quod sit radix et matrix Ecclesiae universalis; ex quo hujus Episcopus Petri successor totum regit christiauum orbem. Ac idcirco Cornelius asseveravit coram Fabio, cunctisque ecclesiarum ceterarum antistibus, unum non plures esse oportere hujus Romanae Ecclesiae praesulem: qui Romae in Cathedra Petri sedens, romanos regeret ac totius mundi pasceret episcopos: *pasce agnos meos: pasce oves meas.* Hinc jure a Cornelio Episcopus Romanus *Ecclesiae Catholicae* dicitur *praeses,* quemadmodum Petro dixit Christus: *et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam.* Non quasdam Occidentis vel Orientis ecclesias dixit Jesus se aedificaturum supra Petrum; sed universalem Ecclesiam, ipsius Christi nomine vocatam christianam, in toto orbe diffusam significavit Petro ejusque successoribus traditam esse regendam. [1]

Praeterea in Cypriani epistolis de hoc argumento notanda sunt, quae presbyteri et diaconi urbis Romae ad s. Martyrem scribunt, qui de lapsis in persecutione, illos consuluerat. Et cum clerus commendet Cypriani studium erga Ecclesiam Romanam, inquiunt se, defuncto Papa Fabiano et nondum ob temporum difficultatem electo successore, differre delatis ab eo responsum quaestionibus. Ac interea subdunt (epist. 30): « Quamvis nobis differendae hujus rei necessitas major incumbat, quibus, post excessum nobilissimae memoriae viri Fabiani, nondum est Episcopus propter rerum et temporum difficultates constitutus, qui omnia

(1) Interim in praefatorum confirmationem adest ipse Novatus, qui a suis secum consentientibus, ad Pontificatum evectus (teste Socrate Hist. Eccles. Libro IV. c. XXVIII.) ad omnes πανταχοῦ ubique ecclesias scripsit, mandans, ne eos qui idolis immolarunt, ad sacra mysteria admitterent. Frustra enim scripsisset Novatus antipapa ad omnes orbis ecclesias, et frustra eis mandasset, nisi omnibus sicuti et sibi innotuisset Episcopi Romani jurisdictionem universam pervadere Ecclesiam. Deinde subdit Historicus, dum haec agitabatur controversia, Cornelii litteras Constantinopolim usque supervenisse: quae illis quoque post baptismum peccantibus, indulgentiam spondebant.

ista moderetur, et eorum qui lapsi sunt, possit cum auctoritate et consilio habere rationem etc.» Paulo post pergentes subdunt: « Cujus temperamenti moderamen nos hic tenere quaerentes, diu et quidem multi cum quibusdam episcopis vicinis nobis et appropinquantibus, et quos ex aliis provinciis longe positis persecutionis istius ardor ejecerat, ante constitutionem Episcopi nihil innovandum putavimus; sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse credidimus; ut interim dum Episcopus dari a Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum, qui moras possunt dilationis sustinere, causa teneatur.»

Cum igitur ita decernit clerus romanus, quamvis ipse et ceteri episcopi cum Cypriano rei gravitatem agnoscerent et judicii sollicitudinem, nihilominus judicium suspensum est usque ad electionem Pontificis, scientes hunc judicem solum haberi: quo absente, nihil firmius nec a presbyteris, nec ab episcopis definiri vel sanciri posse. Ille solus *moderator quaestionis* vocatur, *cum auctoritate et consilio rationem habens lapsorum.* Item cum paulo post addunt, ante Episcopi constitutionem nihil esse innovandum, una fatentur, Sedis apostolicae auctoritatem non solum presbyterorum sed et episcoporum auctoritati praeferendam; ideo rescribentes Cypriano, nequaquam sibi nec episcopis commissam esse quaestionis definitionem, nec ab ipsis expectandam rei solutionem. Solum namque judicem cum auctoritate nuncuparunt Episcopum Romanum, ad quem omnia Ecclesiae negotia referenda erant: *Referte ad me, et ego audiam.*

Paulo post in Libro VII. c. VI. subdit Eusebius, Dionysium adversus Sabellii haeresim insurgentem, epistolas scripsisse: quarum exemplaria Xysto Pontifici obtulit; de quibus infra. Item, etsi totius Aegypti patriarcha, veluti tamen discipulum ad pedes magistri in Cathedra sedentis, se exhibet Dionysius in alia epistola ad Xystum (c. IX.) ita ad hunc fatus: « Nam profecto, ait illi, opus habeo frater συμβουλῆς consilio; et γνώμην sententiam expecto a te tamen, ne forte σφάλλωμαι errem, tali ad me delato negotio, etc.» Et quamvis is, dico, vastae regionis metropolita, plures sub se continens episcopos, ac licet alios patriarchas propinquiores haberet consulendos, nihilominus in re tam gravi se ad Occidentem vertit, et Petri successorem consulit, utpote solum, qui judex supremus a Christo constitutus, dubiis suis satisfaceret. *Referte ad me et ego audiam.*[1] Et hinc ipse se ad Petri Cathedram retu-

(1) Conferantur Dionysii scripta, quae supersunt, Romae edita 1796. Item vide Athanasii epistolam *De sententia Dionysii* n. 13. 14: ac amplius quae scribit n. 3. dimicans contra arianos s. episcopi detractores: « Magni certe, inquit, argumenti est in hoc illos vera non dicere, sed virum calumniari: quod nec ille unquam ab aliis episcopis deprehensae impietatis damnatus, episcopatu pulsus sit, ut illi e clero ejecti sunt; neque haereseos propugnandae causa secesserit ab Ecclesia, sed in illa pie obdormierit; ejusque memoria hactenus cum Patribus celebrata, et cum in album relata sit. Si enim eadem, quae

cum sua epistola. Quibus lectis, perpendit gravitas vestra, quonam modo supra memorata controversia accuratissime judicanda sit, et juxta justitiam terminanda etc. » Eusebius Lib. X. c. V. et Coustant p. 327.

Quare Optatus ipse in Libro Adversus Parmenianum donatistam de hac quaestione disserens, scribit: « Caecilianus omnium supra memoratorum sententiis innocens est pronunciatus, etiam Melchiadis sententia; qua judicium clausum est his verbis. *Cum constiterit Caecilianum ab iis, qui cum Donato venerunt, juxta professionem non accusari: nec a Donato convictum esse in aliqua parte constiterit, suae communioni ecclesiasticae integro statu retinendum merito esse censeo.* Sufficit ergo Donatum esse percussum tot sententiis, et Caecilianum tanto judicio esse purgatum. Et tamen Donatus appellandum esse ab episcopis credidit. Ad quam appellationem Constantinus imperator sic respondit: O rabida furoris audacia! Sicuti in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt. »

Hinc tria ex praefatis testimoniis notanda sunt nostrae quaestioni accommodata. Primum, quod Constantinus, etiamsi orbis teneret imperium et hinc seculi causas ad se revocaret, nihilominus fidelis Christi servus sciens, quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei, Deo esse committenda, non est ausus in episcoporum causa judicare, sed Ecclesiae praesulibus eam discutiendam demandavit, et quidem in Urbe, praeside Melchiade Papa. Secundo, Melchiades Papa, quamvis plures convenerint episcopi, audito conflictu de Donato et Caeciliano, ex sese et motu proprio decrevit in communione ecclesiastica retinendum esse Caecilianum, damnatis donatistis. Tertio, quod Constantinus merito distinguat causas gentilium a christianorum causis, exprobrans ideo ipsis donatistis, qui contra Canonem ecclesiasticum interposuerint appellationem, postquam fuerant sententia pontificia damnati.

Demum ponderetur quid donatistae, qui antea acquieverant Synodi adunationi, praeside Melchiade, quid dolose commenti sunt, ut infirmaretur supremum Pontificis judicium. Excogitarunt enim, de traditione sacrorum librorum criminari Melchiadem ejusque successores Marcellum, Marcellinum et Silvestrum, ceteris parcentes episcopis, qui convenerant. Pravus hic mos et perpetuus haereticorum omnium, qui a Sede apostolica extra Ecclesiam facti, conversi sunt ad criminationes Pontificum, a quibus fuerant damnati, ut ita consulerent famae suae, infamantes judices suos, quin una celarent quantum gravitatis et molestiae sibi afferret Episcopi Romani auctoritas.

Hac ipsa aetate adunata est Synodus nicaena adversus Arium Jesu Christi divinitatem et cum Patre consubstantialitatem negantem. Cum vero alibi disseretur de hujus Synodi constitutionibus, nunc tantum satis sit expendere, quod scribit Athanasius *De Synodis* n. 5. inquiens, nihil novi de hoc dogmate in Ecclesiam intrusum; sed quod antea ab apostolis traditum erat et confirmatum: « Synodum, ait, non decrevisse

CAPUT X.

Julius et Liberius.

In Petri Cathedra sedente Julio, nemo nescit, quanta perfidia et livore adversus fidem catholicam ejusque vindices se gesserint ariani, et praesertim adversus s. Athanasium alexandrinum; qui prae ceteris strenue usque ad mortem propugnavit Christi filii Dei cum Patre consubstantialitatem, aeternitatemque. In quo conflictu, quamvis lugenda sint pusillorum scandala in Ecclesia excitata, attamen in hoc, quoad propositum nostrum, manifestatur Pontificatus Romani primatus et auctoritas supra omnes mundi episcopos; vetustaque firmatur praxis ad ejusdem inerrans tribunal appellandi.

Id autem maxime probatur ex Apologia I. ejusdem Athanasii adversus arianos n. 21. ubi inseritur epistola Julii Papae ad Danium vel Dianum Caesareae in Cappadocia episcopum, ad Flacillum antiochenum, ad Narcissum irenopolitanum, ad Eusebium nicomediensem, ad Marem chalcedonensem, ad Macedonium mopsuestenum, ad Theodorum heracleotam sub eusebianorum nomine notos. Qui unanimes scripserant ad Pontificem adversus Athanasium et Marcellum. Cui respondens Papa, ab initio pro sua suprema auctoritate, et ut Ecclesiae magister, ita incipit:

« Legi epistolam vestram, quam mihi mei presbyteri Elpidius atque Philoxenus attulerunt: miratusque sum cum a nobis ex vera dilectione et bona conscientia scriptum esset, contentiose a vobis, et non ut decuit, rescriptum esse. Fastus enim et arrogantia scribentium apparebant in epistola; atqui aliena sunt ista a fide in Christum. Decuit enim eum, qui cum dilectione ad vos scriberet, eamdem vicissim dilectionem, non autem contentionem referre.... Ego certe, cum litteras vestras evolverem, post varias ultro citroque cogitationes, eas supprimendas putavi ea spe, quod crederem saltem aliquos ex vestris adventuros, nec opus fore istiusmodi epistolis, ne, si illae in publicum promerentur, multos hîc dolore afficerent. »

Interim notetur, sicuti ex his dictis eruitur, ad praefatos Asiae episcopos ex officio scripsisse Julium. Qui, cum ipsi arroganter respondissent, denuo ad eos scribit circa Athanasii quaestionem, ubi n. 27. liquet plures ab Asia, ab Alexandria, ab Aegypti provinciis vel scripto, vel per seipsos Romam advenisse ad Petri Cathedram: « Scripsere prius, dicit, Eusebius cum suis contra Athanasium: scripsistis et vos in praesentiarum: scripsere etiam ex Aegypto, et ex aliis provinciis episcopi pro Athanasio. » Nisi enim cuncti in quaestione citati, ariani, vel ca-

tholici aut dubii (quomodocumque se haberent in ordine hierarchico) apostolicum et ecclesiasticum Canonem meminissent, quocum statutum erat, omnia sacra negotia ad Antistitis Romani judicium referenda esse, et hoc ob primatum et jurisdictionem, quibus a Christo cumulatus fuit Petrus cum suis successoribus supra omnem christianorum coetum, frustra catholici ad Julii Papae judicium provocassent arianos aut eusebianos; nec multo minus isti ad eumdem Papam appellassent adversus orthodoxos. Insuper n. 20. dicit Athanasius: « Cum igitur Romam advenissemus, Julius, ut consentaneum erat, litteras scripsit ad eusebianos: misitque duos e presbyteris suis Elpidium et Philoxenum. Illi vero (eusebiani), ut de nostro adventu audierunt, consternati, quod nullatenus expectarent nos illuc venturos, accedere noluere, absurdas causas commenti. » Verum, instans ego dico, quare isti, loco absurdas causas commentandi, ne accederent ad tribunal Pontificis Romani, quare absolute non obtestati sunt, se alienos a pontificia jurisdictione, nec accedere debere, nec velle; si reapse illarum provinciarum metropolitae exempti forent a Cathedrae Romanae subjectione? Ac interim idem Athanasius in Apologia ad Constantium, inquit, se non ad castra fratris sui profectum esse, vel ad alium quemquam; *sed Romam dumtaxat me meamque ecclesiam commendaturus adii.* » *Referte ad me, et ego audiam.*

Hinc progressus Pontifex contra Athanasii insimulatores n. 30. subdit: « At nunc ignoro, qua ratione haec facta sint. Primum enim, si vere dicendum est, non oportuit, cum ad cogendam Synodum misissemus, aliquos judicium Synodi praevertere. Deinde non decuit hoc adversus Ecclesiam innovari. Qualis enim Canon ecclesiasticus, aut qualis apostolica traditio praefert ut, pace agente Ecclesia, ac tot episcopis cum Athanasio Alexandriae antistite consentientibus, Gregorius mittatur externus homo, ignotus, nec a presbyteris postulatus, nec ab episcopis, nec a plebe; sed is Antiochiae ordinatus, Alexandriam vero non cum presbyteris vel diaconis urbis, non cum episcopis Aegypti, sed cum militibus trasmittatur? Hoc autem haud sine querela ajebant, qui huc venere. Etiamsi enim post Synodum reus deprehensus esset Athanasius, non decuit sic praeter jus et fas et contra ecclesiasticum Canonem ordinari quemquam; sed in ipsa ecclesia ex ipso sacerdotali ordine, ex ipso clero ab episcopis provinciae illius constitui: et nequaquam nunc apostolorum Canonem violari. Si enim in quemquam vestrum tale quidpiam commissum esset, nonne clamassetis? nonne violatorum Canonum vindictam postulassetis? Certe, dilecti, hoc, quasi Deo praesente, cum veritate loquimur; ac vobis dicimus, non est hoc pium, non legitimum, nec ecclesiasticum etc. »

Cum ergo Julius mandavit per litteras adunari Synodum in causa Athanasii, docuitque non esse Canones Ecclesiae violandos, et addit, siquis ex. g. ex Athanasii adversariis quidpiam tentasset adversus hanc

Ecclesiae regulam, illos vindictam postulasse a Sede apostolica; hujus Sedis confirmat jurisdictionem supra alexandrinam, sicuti supra ceteras Orientis ecclesias patriarchales. Quod mirifice paulo post Papa in n. 35. explicavit, de arianis conquestus, quod episcopos orthodoxos, eo inscio, ejecissent e sedibus suis: « Oportuit enim, inquit κατὰ τὸν εκκλεσιαστικὸν κανόνα juxta ecclesiasticum Canonem scribere nobis omnibus, ut ita, quod justum fuerit, decerneretur. An ignari estis, hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur; et hinc quod justum est, definiri possit? Sane siqua hujusmodi suspicio in illius urbis episcopum cadebat, ad hanc Ecclesiam illud rescribendum fuit. Nunc autem illi, re nobis non indicata, postea quam quod libuit, egere, nos, quibus ea crimina explorata non sunt, sibi suffragatores esse volunt. Nequaquam talia sunt Pauli statuta: non haec Patres tradiderunt. Sed aliena est ista forma, novum hoc institutum. Obsecro alacriter toleretis. Quae enim scribo ad publicum bonum conferunt. Nam quae accepimus a beato Petro apostolo, ea vobis significo. Non scripturus tamen, quod nota apud omnes ea esse existimem, nisi, quae gesta sunt, nos conturbassent. » Et quid hoc testimonio praeclarius de pontificia jurisdictione supra omnes episcopos?

Marcellus ancyranus de haeresi suspectus, de quo adhuc disputatur, litteras mittit ad Julium Papam: in quibus haec proposito nostro apta, notanda sunt. (Ex Epiphanio Haer. 72. n. 2. circa an. 341.): « Cum nonnulli ex iis, qui, quod parum integre de fide sentirent, antea condemnati sint, quique a me in nicaena Synodo convicti sint, contra me ad Pietatem tuam scribere non dubitaverint, me nec recte, nec cum Ecclesiae doctrina consentanee de fide statuere, ut crimen suum in me transferrent: propterea necessario Romam mihi veniendum, et te commonendum putavi; ut eos, qui contra me scripserunt, arcesseres: ut cum advenissent, de duobus illis a me convincerentur, tam illa ipsa falsa esse, quae in me scripserunt, quam eos adhuc in pristino errore perseverare: et indigna quaedam adversus ecclesias Dei ac nos ipsos illarum praesides esse machinatos. Sed cum illi venire noluerint, tametsi presbyteros ad illos miseris, ego vero anno integro, ac tribus mensibus Romae commoratus fuerim: faciendum mihi omnino censui, ut, antequam hinc proficiscerer, meae fidei professionem tibi sincere, atque ex animo, meaque manu perscriptam efferrem; qualem didici, atque ex divinis litteris sum edoctus: et ut in memoriam tibi revocarem, quae perperam ab illis asseruntur. Ex quibus intelligeres, quibusnam, ad auditores decipiendos, adhibitis sermonibus veritatem occultare conantur. In primis autem negant etc. » Demum, emissa suae fidei professione, Marcellus concludit: « Postremo illud a te peto, ut ejusdem meae professionis exemplum tuis ad episcopos litteris inseras: nequis eorum, quibus accurate cogniti non sumus, illorum de me scriptis adhibens fidem, in errorem inducatur. »

Pontifici ab ipso initio pepercere; sed usque ad urbis ejus cives suum propagarunt furorem, nihil reveriti, quod apostolicus thronus ille sit, nihil quod Roma sit metropolis Romaniae. Nec recordati sunt, se antea illos apostolicos viros in litteris suis nuncupasse. Sed omnia simul commiscentes, omnium una obliviscantur; nec quidquam illis, nisi impietas cordi fuit. Cum enim illum cernerent sanae fidei cultorem et arianae haereseos adversarium; et auctorem omnibus esse, ut eam aversarentur, et ab ea declinarent, arbitrati sunt iniqui homines, se, si Liberium seducere possent, omnes illico superaturos. »

Ex hoc pravissimo ac stultissimo arianorum consilio, inspicito quantum tunc polleret Romani Pontificis auctoritas. Nisi enim haeretici comprehendissent Petri Cathedrae primatum supra universam Ecclesiam, ejusque in judiciis praestantiam, nequaquam studuissent Liberio illudere, eumque cogere ad subscriptionem haereticae formulae. Cui non consensit Papa; licet vulgo conclamatum sit, ipsum arianae fidei subscripsisse. [1]

Theodoretus porro in Hist. Eccl. Libro II. c. XV. colloquium describit Constantii imperatoris cum Liberio Papa, in quo haec notanda sunt in praefatorum confirmationem: « Epictetus episcopus dixit: non fidei causa, nec pro defensione judiciorum ecclesiasticorum, Liberius verba facit, o imperator, sed ut apud romanae Urbis senatores glorietur, imperatorem a se esse superatum. Imperator Liberio ait: quota pars es orbis terrarum, ut tu solus homini impio suffragari velis; et orbis romani ac totius mundi pacem dissolvas? Liberius dicit: *non eo quod sim solus, fidei causa minuitur.* » Non imminuebatur sane fides Liberii, etsi solus foret, cui ob oculos suos perpetuo lucescerent ea divina verba: *ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua;* ut opportune scilicet fratres suos quoque confirmaret in fide dubios, coecosque illuminaret.

Ad Liberii Pontificatum et id pertinere videtur, quod narrat Sozomenes in Libro VI. c. XXII. Hist. Eccl. de quaestione, utrum Spiritus Sanctus ejusdem cum Patre et Filio substantiae censendus esset, aliis pro alteris contra hoc dogma disputantibus: « Cum haec quaestio, ait Historicus, agitaretur et contendendi studio magis ac magis in dies crescceret, Episcopus Urbis Romae, re comperta, scripsit ad Orientis ecclesias, ut Trinitatem consubstantialem et honore et gloria aequalem una cum occidentalibus episcopis confiterentur. Quo facto, utpote controversia judicio Romanae Ecclesiae terminata, singuli quievere; eaque quaestio finem tandem accepisse videbatur. »

---

[1] De commentitio Liberii Papae lapsu ab arianorum perfidia repetendo, alibi peculiari disquisitione disputabitur.

CAPUT XI.

Damasus et Siricius.

Damasus Papa pergens in supremae potestatis exercitio sibi Petri successori a Christo traditae, scribit ad Paulinum Antiochiae episcopum de fide et formula libelli, cujusmodi, qui ab haeresi revertuntur, debeant profiteri. Hujus summa talis est. I. quod integrum hominem susceperit Christus sine peccato. 2. quod unus sit Christus ante secula ex Patre natus, et in tempore a Virgine editus: « Per filium meum Vitalem, ait, ad te scripta direxeram, quae voluntati tuae et tuo judicio omnia derelinquens, et per Petronium presbyterum breviter indicaveram, me in articulo jam profectionis ejus aliqua ex parte commotum. Unde ne aut tibi scrupulus resideret, et volentes forsitan Ecclesiae copulari, tua cautio probanda differret, fidem nostram misimus, non tam tibi, qui ejus nobis fidei communione sociaris, quam his, qui in ea subscribentes, tibi et nobis per te voluerint aggregari, primum debent in ea subscriptione fidei subscribere, quae apud Nicaeam pia Patrum voluntate firmata est etc. »

De his litteris disserens Severinus Binius ait: « Haec scripta sunt hac occasione. Vitalis Antiochiae agens, apud Damasum de appollinaristarum haeresi accusatus, ad fidei professionem citabatur. Qui dum comparuisset, editoque fidei catholicae libello, se injuste haereseos accusatum exclamasset, a Damaso Pontifice sic acceptus fuit, ut ejus causam per has litteras Paulino antiocheno cognoscendam delegasset; libellumque ad ipsum Paulinum daret: cui Vitalis subscripsit. His litteris acceptis ille Antiochiam profectus, oblatam ibidem a Damaso catholicae fidei confessionem subscribendo approbavit. Nisi quod in Christo, sicut carnem humanam, ita mentem fuisse dolose confessus est. Cum itaque ille divinitatem loco mentis fuisse, tacite et callide significaret.... detecta fraude, merito Papae et Concilii sententia damnatus est. » Nostra nunc solum scire interest, Vitalem apud Papam citatum ceu haereticum, Romam venisse ut se defenderet, ac Damasum suae jurisdictionis vi, illius causam delegasse episcopo antiocheno cognoscendam, juxta praxim ecclesiasticam confirmatam a Patribus nicaenis, sicuti infra dicetur. (Labbei Tom. III. pag. 425.)

Similiter in Libello synodico legitur, Athanasio vita functo, Petrum ei successisse in episcopatu alexandrino. Qui ex more scripsit ad Damasum, huic communicans suam ordinationem. Cui Pontifex respondit, per diaconum quemdam γράμματα κοινωνικὰ litteras canonicas mittens. Petrus autem ab arianis ejectus ad eumdem Romam contendit.

(Gallandi Tom. VII. p. 341.) Is, adunata Synodo, Lucium Cathedrae illius invasorem anathemate notavit cum ceteris, qui ei adhaeserant. Ex eodem Libello dicitur, idem Pontifex Romam convocasse Concilium adversus arianos, pneumatomachos et alios plurimos haereticos; et expositam definitionem divinorum Capitum (quae distincte citantur a Theodoreto in Hist. Eccles. Libro V. c. XI.) ad Paulinum Thessalonicam misisse. Item ibidem notatur Meletium, Synodo Antiochiae adunata, Symbolum confirmasse, Marcello damnatis Photino et Apollinario, sacramque definitionem ad Damasum retulisse. Quare perspicue cernitur tum praxis episcopatus alexandrini et antiocheni Petri Sedem, cum opus fuerit, repetendi, tum Romani Pontificis jurisdictio supra Orientis antistites tanquam suo universali regimini subditos: *pasce oves meas.*

Non est hic porro transigenda s. Basilii epistola 70.[1] ad hunc Pontificem scripta, ubi de malis ecclesiae illius regionis ab Illyrico ad Aegyptum usque se protendentibus propter arianos, conquestus, rogat eum, ut ab exemplo majorum opem illis ferat et ait: « Horum unicam solutionem expectavimus miserationis vestrae visitationem: ac nos insuper consolata est mirabilis vestra charitas praeterito tempore, et laeto rumore allato, fore ut a vobis inviseremur, animis ad breve tempus corroborati sumus. Postquam autem spe excidimus, non jam amplius ferentes, eo devenimus, ut vos per litteras obsecremus, ut ad opem nostram ferendam excitemini: et ex his, qui idem ac nos sentiunt, mittatis aliquos, qui vel dissidentes concilient, vel Dei ecclesias ad amicitiam reducant, aut saltem perturbationis auctores vobis clarius indicent; ita ut deinceps vobis manifestum sit, quibuscum communionem deceat habere. Omnino autem nihil exposcimus novi, sed et quod et ceteris olim beatis, Deoque dilectis viris usitatum est praecipue vobis. Novimus enim ex serie memoriae a Patribus nostris interrogatis, et litteris etiamnum apud nos adservatis edocti, Dionysium (Romanum) beatissimum illum Episcopum, qui apud vos et recta fide et reliquis virtutibus enituit, invisisse ecclesiam nostram caesariensem, et Patres nostros per litteras consolatum esse, ac misisse, qui fratres captivos redimerent. Nunc autem difficilior et tristior est rerum nostrarum status, et cura indiget majore.... Quare nisi jam ad suppetias ferendas excitemini, paulo post nec, quibus manum porrigatis, inventuri estis, omnibus sub haeresis potestate redactis. »

Interim quin perquirantur causae (nunquam tamen contemnendae) quibus Damasus sero illius provinciae malis consuluerit, quippe undique Ecclesiae negotiis vexatus, nobis novisse satis est, quanti Caesareae Cappadociae antistes fecerit Petri successoris auctoritatem; et quousque ejusdem pergeret jurisdictio; an scilicet in Occidentis solum, neque vero in

[1] S. Basilii Caesareae Cappadociae archiepiscopi Opera omnia. Parisiis 1730. Tom. III. p. 163.

Orientis assequeretur ecclesias, cum Papam vocat judicem controversiarum et dissidentium conciliatorem illius regionis; et utrum aliquid novi a Damaso peteret Basilius, cum ait Dionysium Papam antea, mediante seculo tertio, scripsisse ad hanc caesariensem ecclesiam? Praeterea Basilius in epistola 68. dicit, Dorotheum Romam profectum esse auxilium rogaturus adversus fidei nicaenae expugnatores. In sequenti epistola 69. ad s. Athanasium inquit: « Nobis autem operae pretium visum est ad Episcopum Romae scribere, ut res nostras invisat. » Digna autem ponderatione eadem de causa prae ceteris putatur epistola 92. ad antistites Italiae et Galliae, (quorum primum Damasum Papam), et subscripta ab episcopis Orientis, idest Asiae minoris, Ponti, Mesopotamiae, Syriae, Armeniae, Aegypti et Thebaidis. Ejusmodi autem sunt sensus, quibus loquuntur ad episcopatum Occidentis, praemittentes, se jam pridem scripsisse, ut sibi ferrent opem, et nondum assecutos: « Neque enim, subdunt, ecclesia una periclitatur, neque duae vel tres in gravem hanc tempestatem delapsae sunt. Nam ferme a finibus Illyrici usque ad Thebaidem haeresis malum depascitur. » Deinde n. 3. « Mediam orbis partem ab errore absorberi ne sinatis: nec fidem apud eos feratis extingui, apud quos primum illuxit. Quid igitur facto opus sit, ut rebus nostris subveniatis, et quomodo commiserationem ostendatis erga divexatos, nullo modo a nobis necesse erit vos discere: sed Sanctus ipse Spiritus vobis suggeret.

« Demum concludunt: Ἐφ' ἅπερ καὶ μάλιστα τῆς παρ' ὑμῶν χρήζομεν βοηθείας, ὥστε τοὺς τὴν ἀποστολικὴν ὁμολογοῦντας πίστιν ἃ παρεπενόησαν σχίσματα διαλύσαντας, ὑποταγῆναι τοῦ λοιποῦ τῇ ἀυθεντίᾳ τῆς ἐκκλησίας· ἵνα ἄρτιον γένηται τὸ σῶμα τοῦ χριστοῦ, πᾶσι τοῖς μέλεσιν εἰς ὁλοκληρίαν ἐπανελθὸν καὶ μὴ μόνον τὰ παρ' ἑτέροις μακαρίζωμεν ἀγαθὰ ὅπερ νῦν ποιοῦμεν, αλλὰ καὶ τὰς ἡμετέρας αὐτῶν ἐπίδωμεν ἐκκλησίας τὸ ἀρχαῖον καύχημα τῆς ὀρθοδοξίας ἀπολαβούσης· τῷ ὄντι γὰρ τοῦ ἀνωτάτου μακαρισμοῦ ἄξιον, τὸ τῇ ὑμετέρᾳ θεοσεβείᾳ χαρισθὲν παρὰ τοῦ κυρίου τὸ μὲν κίβδηλον ἀπὸ τοῦ δοκίμου καὶ καθαροῦ διακρίνειν, τὴν δὲ τῶν πατέρων πίστιν ἄνευ τινὸς ὑποστολῆς κηρύσσειν. Ἣν καὶ ἡμεῖς ἐδεξάμεθα καὶ ἐπέγνωμεν ἐκ τῶν ἀποστολικῶν χαρακτήρων μεμορφωμένην, συνθέμενοι καὶ αὐτῇ καὶ πᾶσι τοῖς ἐν τῷ συνοδικῷ γράμματι κανονικῶς καὶ ἐνθέσμως δεδογματισμένοις. i. e.

« Ob quae et maxime indigemus auxilio vestro, ut qui apostolicam profitentur fidem, excogitata a se schismata dissolventes, deinde auctoritati Ecclesiae subjiciantur: ut perfectum fiat Christi corpus jam in omnibus membris integritati restitutum; ac non solum aliorum bona laudemus, id quod nunc facimus; sed etiam nostras ipsorum ecclesias in pristinum rectae fidei decus restitutas videamus. Revera enim excelsae beatitudini dignum est quod a Domino pietati vestrae datum est, adulterinum quidem a probo ac puro discernere, Patrum vero fidem sine ulla

dubitatione vel metu praedicare: quam quidem et nos suscepimus, et agnovimus apostolicis notis signatam: eique et ceteris omnibus, quae in synodico scripto canonice et legitime statuta sunt, assentimur. »

Hinc nemo non videt primum quanta sollicitudine episcopatus orientalis Occidentis antistites rogat, ut membra divisa suarum provinciarum in fidei unitatem restituant, asserentes insuper a Domino eisdem donatum esse, adulterinum a probo et puro discernere, Patrumque fidem sine ulla dubitatione vel metu praedicare. Hoc vero eximium privilegium, quo Orientis episcopi exornant Occidentis episcopatum, pertinget potissimum Pontificatum Romanum, per quem fides apostolica stat et confirmatur; et per quem ideo episcopatus orientalis confirmabatur in eadem fide: *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* juxta Christi verba ad Simonem Petrum. Eaque propter in hac epistola Petrum in persona Damasi, Basilius ceterique episcopi invocabant mediatorem et judicem idoneum in discernendo verum a falso. Ac ideo addunt se hanc fidem sinceram antea suscepisse quippe apostolicis characteribus signatam, idest subscriptam et firmatam a prima Sede in litteris synodicis ad ipsas Orientis ecclesias. Ceterum, nisi hujus pericopae sensus, proprie loquendo, peculiari ratione animadverteret Cathedram pontificiam, sed una simul indifferenter comprehenderet episcopos Occidentis, tunc consequeretur ex Basilii et aliorum sententia, penes tantummodo episcopos Occidentis reperiri veritatis doctrinam, eamque sine erroris metu praedicari; idest uno verbo eosdem esse infallibiles, exclusis orientalibus cujusque gradus vel dignitatis episcopis ab hoc privilegio, quod non est putandum. Ac propterea in praefato testimonio personam Damasi interpretari decet potius quam cunctos Italiae et Galliae episcopos: eo magis quod s. Basilius in ceteris epistolis in arianos disputans aliosque haereticos, Damasi Papae praesertim invocat judicium: *Referte ad me, et ego audiam.*

Postquam vero erga episcopatum occidentalem, in quo comprehenditur Damasus Papa, talia professi sunt antistites Orientis sub s. Basilii nomine in citata epistola, nemo offendatur de altera hujus episcopi epistola 239. (alias 10.) ad Eusebium samosatensem, in qua episcopos Occidentis corripit, quod hunc Eusebium et Meletium inter arianos numerarint, viros hujus tituli indignos. Ea propter ait: « Sin autem perseverat ira Dei, quale nobis praesidium δυτικῆς ὀφρύος Occidentis supercilii? Qui veritatem neque norunt, neque discere volunt. Sed falsis suspicionibus praeoccupati, eadem nunc faciunt ac prius in Marcelli causa, in qua cum hominibus veritatem sibi nuntiantibus delitigarunt: haeresim vero per seipsos confirmarunt. Ego vero citra communem formam scribere volebam ad eorum Coryphaeum, de rebus quidem ecclesiasticis nihil, nisi quatenus subobscure insinuassem, neque illos de rebus nostris vera nosse, neque viam, qua addiscere possint, amplecti. Ac generatim

admonuissem, hominibus, quos tentationes afflixerunt, non esse insultandum etc. »

Circa praefata prius notandum est hujus conflictus initium ortum esse ex usu vocabulorum graecorum; quae fidei nicaenae obstare videbantur, vel minus putabantur apta. Ita enim loquuntur in Libello Joviniano imperatori oblato: « Siquidem nomen *consubstantialis* ibi admissum, quod insolens et peregrinum quibusdam visum est, cauta interpretatione Patres (nicaeni) interpretati sunt, ita ut significet Filium ex Patris substantia esse genitum, eumque secundum substantiam Patri esse similem » Ex his postremis verbis apud occidentales suspicio processit, Meletium antiochenum et Eusebium samosatensem arianorum haeresi favere. Quod Basilius idem in epistola 266. ad Petrum alexandrinum perspicue notavit, inquiens n. 2. « Is (Dorotheus) reversus mihi narravit, quos coram Damaso Episcopo reverendissimo cum tua praestantia sermones habuisset: ac dolorem mihi afferebat, cum diceret numeratos cum arianis fuisse religiosissimos comministros nostros Meletium et Eusebium. Quorum rectam doctrinam, etiamsi nihil aliud commendaret, saltem illatum ab arianis bellum, non exile rectae fidei indicium apud aequos rerum aestimatores haberet. »

Hinc clarescit, Basilii fervorem adversus episcopos Occidentis, quos ut ignaros corripit et praeoccupatos, non versari de rebus fidei substantialibus, quasi occidentales iis contrairent, quae in Synodo nicaena definita erant. Sed tantummodo agitur de quaestione personali; num scilicet Meletius et Eusebius ob quasdam dicendi formulas ab his expressas in expositione fidei nicaenae circa Filii consubstantialitatem, recta sentirent: quod Basilius affirmabat, et occidentales negabant. Quamobrem Basilius causam gerens utriusque episcopi, et conscius quanto pro fide catholica zelo et quidem sincero laborassent, aegretulit eosdem inter arianos numerari.

Verum hac praetermissa quaestione, cum non sit hic locus, pro nostro argumento relate ad pontificiam auctoritatem in hujusmodi rebus et relate ad Basilii obsequium erga Sedis apostolicae judicium, praeclarissime nuper declaratum, dignoscere satis sit, in citata epistola Basilium dumtaxat vellicare Occidentis episcopos, non vero personam Papae. Ac revera, cum ait ibidem Basilius: *ego vero citra communem formulam volebam scribere ad eorum Coryphaeum* etc, excludit Damasum ab hac reprehensione, qua afficit ceteros antistites, eo magis cum subdit, *volebam scribere et insinuare eidem Papae illos,* nempe episcopos occidentales antea nominatos, ignorare res nostras idest Orientis. Hinc cernitur Basilium increpare episcopis in pari conditione constitutis, non vero Episcopo episcoporum Petri successori; proindeque titulum *supercilii Occidentalis ignorantiae, pervicaciae et praejudicii* non pertingere personam Pontificis. Quem etsi vocet Coryphaeum illorum episcoporum secum conten-

dentium de Meletii et Eusebii fide, tamen non audet illi inurere similia vocabula.

Si vero, sicuti quibusdam visum est, et quod mihi videtur verisimilius, dicendum foret epistolam 92. in *Editione maurina*, posteriorem esse in ordine temporis alteri signatae 239. tunc putandum esset, tenorem epistolae 92. emendationem continere alterius et retractationem eorum, quae Basilius in hac adversus episcopos Occidentis acriter pronunciavit. Cui opinioni suffragatur, quod in postrema parte epistolae 92. legitur: « *Quam quidem Patrum fidem* (inquiunt episcopi orientales), *nos suscepimus; et agnovimus apostolicis notis signatam: eique et ceteris omnibus, quae synodicis litteris canonice et legitime statuta sunt, assentimur* » ita ut cessaret penitus dissensus, et innovaretur concordia, cunctis subscribentibus fidei *apostolicis notis* signatae; idest oraculo confirmatae Cathedrae beati Petri [1].

Ex epistola XIV. Bonifacii Papae I. n. 1. eruitur Theodosium per legationem Damasum rogasse ut Nectarii ordinationem confirmaret: « Formatam huic a Sede Romana dirigi regulariter depoposcit, quae ejus sacerdotium roboraret: (Coustant p. 598.) Item Petrus alexandrinus Romam petit Damasum consulturus: quemadmodum Dorotheum apud Basilium legitur episcopatus orientalis nomine in hanc urbem advenisse, hujus legatione functum apud Papam.

Proposito nostro facit quoque epistola 9. Libri I. s. Ambrosii ad Theophilum alexandrinum circa contentionem de episcopatu Antiochiae inter Flavianum et Evagrium. In quibus pro quaestione haec notanda sunt: « Qua de re, quoniam propriis texuisti litteris posse typum reperiri aliquem, quo possit auferri fratrum discordia, cum sancta Synodus cognitionis jus unanimitati tuae ceterisque ex Egypto consacerdotibus nostris commiserit. Iterum oportet fratrem nostrum Flavianum convenias, ut si in eo perseverarit, quo veniendum non putet, salvis Concilii nicaeni, sed etiam Synodi capuensis statutis, illibata pace universorum ita consulas, ut non videamur destruere quod aedificatum.... Servetur ergo impertitae pacis gratia inter universos; et nihilominus declinatio partis alterius frustrandi effectum habere non possit. Sane referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrum Romanae Sacerdotem Ecclesiae;

[1] Labbeus in Tomo III. p. 512. notat: *Additio ad Concilium antiochenum ex nova Baluzii Collectione:* « Ex eodem Concilio antiocheno, ut observat idem Valesius, scripta est epistola synodica ad omnes episcopos Italiae et Galliae, quae habetur inter epistolas s. Basilii episcopi caesariensis n. 69. vel 92. non sub an. 371. sed an. circiter 378. Quando scilicet macedoniani post legem a Gratiano latam, quidam ex illius sectae episcopi licentiam nacti, ecclesias quae a Valente ipsis ademptae fuerant, occuparunt. Et Antiochiae congregati Filium non consubstantialem, séd similis cum Patre substantiae ut antea, dicendum esse decreverunt » (Labbei ibidem p. 504.) Et hinc, inquam verisimilius, origo praefatae epistolae 92. ubi episcopatus orientalis ab occidentalibus postulat auxilium adversus fidei catholicae perturbatores, qui illas ecclesias invaserant.

quoniam praesumimus ea te judicaturum, quae etiam illi displicere nequeant. Ita enim utile erit consultum sententiae: ita pacis et quietis securitas, si id vestro statuatur consilio, quod communioni nostrae dissensionem non afferat; ut nos quoque, accepta vestrorum serie statutorum, cum id gestum esse cognoverimus, quod Ecclesia Romana haud dubie comprobaverit, laeti fructum hujusmodi examinis adipiscatur. »

In hac epistola notetur Concilii commissio facta Theophilo patriarchae alexandrino in quaestione collationis patriarchatus antiocheni; ubi judex institutus est Theophilus ipse: ita tamen ut Theophili judicium referendum esset ad Petri Cathedram pro ejusdem judicii sanctione. Quibus exactis expletum iri ajunt quod definitum fuit in Synodo nicaena circa ordinem appellationis in Hierarchia servandum; sicuti amplius explanatur in Rescripto Gratiani Aquilino Vicario, a litteris desumpto Concilii romani ad eumdem Imperatorem propter Ursini vel Ursicini ambitum (Sirmondi Tom. I. p. 427.): « Volumus autem, ait, ut quicumque judicio Damasi (quod ille cum consilio quinque vel septem habuerit episcoporum, vel eorum, qui catholici sunt, judicio vel consilio) condemnatus fuerit, si injuste voluerit Ecclesiam retentare, ut qui evocatus ad sacerdotale judicium, per contumaciam non ivisset, aut ab illustribus viris praefectis praetorio Galliae atque Italiae, sive a proconsulibus vel vicariis, auctoritate adhibita, ad episcopale judicium remittatur, ut ad urbem Romam sub prosecutione perveniat. Aut si in longinquioribus partibus alicujus ferocitas talis emerserit, omnis ejus causae dictio ad metropolitae in eadem provincia episcopi deducatur examen: vel si ipse metropolitanus est, *Romam necessario*, vel ad eos, quos Romanus Episcopus judices dederit, sine dilatione contendat. »

Hinc sedulo vocabulum *necessario* perpendito, quocum Concilium et cum eo Gratianus jubent, episcoporum quaestiones, nisi inter seipsos, et consultis metropolitis, resolutae fuerint, ad Sedis apostolicae judicium referendas esse, a quo non erat ultra recedendum: *Referte ad me, et ego audiam.*

Item Damasus, ut judex supremus, Romae adunata Synodo adversus Concilium ariminense, per epistolam ad praesules Illyrici, statuit: « Neque enim praejudicium aliquod fieri potuit per numerum illorum, qui Arimini congregati sunt: quando constat, neque Romanum Episcopum, cujus ante omnia decebat eos expectare sententiam, neque Vincentium, qui tantis annis episcopatum inviolabiliter custodivit, nec alios talibus praebuisse consensum: maxime dum, sicuti praediximus, isti ipsi, qui per circumventionem declinasse videbantur, ipsi denuo utentes meliori consilio, haec sibi displicere testati sunt. » Ita s. Hieronymus in litteris ad Agerachium, inquit: « Quum in chartis ecclesiasticis juvarem Damasum Romae urbis Episcopum, et Orientis et Occidentis synodicis consultationibus responderem. » Hinc Papa non respondebat, nisi con-

sultus fuisset, sicuti Orientis episcopi non consulebant Papam, nisi ex apostolico Canone eis persuasum foret, in ipso concludi jurisdictionem supra Orientis episcopatum.

Ceteroquin in Sedis apostolicae auctoritatem quanta foret Hieronymi observantia, manifestatur in suis epistolis ad Damasum ab Oriente scriptis. In qua regione tunc invalescentibus adversus fidem nicaenam arianis, sabellianis, eusebianis, eunomianis, apollinaristis, macedonianis, orthodoxis quoque inter se contendentibus circa formulam *hypostaseon*, undique dubiis agitatus s. Doctor, ita Papam alloquitur: « Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus indiscissam Domini tunicam desuper textam minutatim per frusta, discerpit; et Christi vineam interminant vulpes, ut inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile, ubi fons signatus et hortus conclusus sit, possit intelligi: ideo mihi Cathedram Petri et fidem apostolico ore laudatam censui consulendam; inde nunc meae animae postulans cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi.... Profligato a sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta Patrum servatur haereditas..... Nunc in Occidente sol justitiae oritur: in Oriente autem Lucifer ille, qui ceciderat, supra sidera posuit thronum suum. Vos estis lux mundi, vos sal terrae. » In fine dicit: « Quamobrem obtestor beatitudinem tuam per Crucifixum mundi salutem, per *homousiam* Trinitatem, ut mihi epistolis tuis sive tacendarum sive dicendarum *hypostaseon* detur auctoritas... Simul etiam, cui apud Antiochiam debeam communicare, significes: quia campenses, qui cum tarsensibus haereticis copulantur, nihil aliud ambiunt, quam ut auctoritate communionis vestrae fulti, tres hypostases cum antiquo sensu praedicent. »

Nec secus in alia epistola ad eundem Damasum, importunitatem suam confessus erga ipsum, rogat ut respondeat precibus suis, neque ut pastor morbidam contemnat ovem: « Hinc enim, ait, praesidiis fulta ariana rabies fremit. Hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat. Monachorum circa commanentium antiqua in me surgit auctoritas. Ego interim clamito: siquis Cathedrae Petri jungitur, meus est. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi haerere se dicunt. Possem credere si hoc unus assereret: nunc vero aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcirco, subdit, obtestor..... ut mihi litteris tuis, apud quem in Syria debeam communicare, significes. Noli despicere animam, pro qua Christus mortuus est. »

In utraque epistola Hieronymus undique dubiis actus praesertim in tam ardua quaestione confugit ad Papam, asserens apud eum incorruptam servari Patrum haereditatem; ac ideo ipsum consulit, quid sentiendum sit de usu *hypostaseon;* addens campenses quoque cum tarsensibus haereticis copulatos, tres *hypostases* praedicare ambientes, in his petunt fulciri auctoritate communionis pontificiae. Rursus in epistola sequente eadem de causa cernens Ecclesiam in tres partes scissam, pre-

catur Papam ut litteris suis significet, apud quem in Syria debeat communicare. (Coustant. p. 546 et 550).

Siricius Papa ab antecessorum suorum exemplo, beati Petri successor in totius orbis christiani jurisdictione, scribit ad Anysium thessalonicensem episcopum, inquiens (Gallandi Tom. VII. p. 537. epis. 2.): « Etiam dudum, frater carissime per Candidianum episcopum, qui nos praecessit ad Dominum, hujusmodi litteras dederamus, ut nulla licentia esset sine consensu tuo in Illyrico episcopos ordinare praesumere: quae utrum ad te pervenerint, scire non potui. Multa enim gesta sunt illic per contentionem ab episcopis in ordinationibus faciendis, quod tua melius caritas novit. » Nisi itaque Siricius suam super regionis thessalonicensis ecclesias auctoritatem comprehenderit, nequaquam tam alacriter decrevisset, et quidem bis, mandans Anysio, ut nullus episcopus fieret sine illius consensu. Velut Episcopus episcoporum statuit Pontifex, ut ad cohibendas contentiones in antistitum promotione, ipse Anysius ex pontificio suo mandato nuncuparetur judex.

In epistola 3. (ex eodem Gallandio) quamvis Africae praesules alloquatur Siricius, attamen veluti omnium Pastor fidelium ait: « Ergo, quoniam non pro nobis tantum, sed pro populo credito cogimur praestare ràtionem: populum disciplina deifica humilem erudire debemus... Haec sunt, quae deinceps intuitu divini judicii omnes catholicos episcopos custodire expedit. » Idest non Africae tantum sed totius mundi sub pontificia jurisdictione constitutos. Eaque propter in epistola sequente ad diversos episcopos in Orientis provinciis: « ob metum divini judicii, ait, quid veniat in querelam tacere non licuit; sed nobis loqui necessitas imperavit, dicente Propheta, *exalta ut tuba vocem tuam:* et cui omnium ecclesiarum cura est. Si dissimilem, audiam, Domino dicente, *rejicitis mandatum Dei, ut traditiones vestras statuatis.* Quid enim aliud est rejicere mandatum Dei, quam privato judicio et humano consilio, novis rebus constituendis delectari? Perlatum est ad conscientiam apostolicae Sedis contra ecclesiasticum Canonem praesumi, et quae ita sunt a majoribus ordinata, ut ne vel levi susurro debeant violari, proprias quasdam novas observationes inducere: et praetermisso fundamento, supra arenam velle construere, dicente Domino: *Non transferes terminos, quos posuere patres tui.* »

In praefatis intelligitur Romani Pontificis vigilantia super universum orbem christianum, nulla provincia nec Occidentis nec Orientis excepta. Quare factum est, ut nonnulli, inspecta violatione eorum quae a majoribus tradita erant, ad Siricium juxta morem scripsere, ut eorum incolumitati consuleret.

Deinceps ab eodem Gallandio citatur Siricii epistola ad praefatum Anysium ceterosque Illyrici episcopos: unde patet, istos antea juxta Ecclesiae Canonem epistolam huic Pontifici dedisse, illum de quibusdam

consulendi causa; cui ipse respondit: « Accepi litteras vestras de Bonoso episcopo, quibus vel pro veritate vel pro modestia nostram sententiam scrutari voluistis. Sed cum ejusmodi fuerit Concilii capuensis judicium, ut finitimi Bonoso atque ejus accusatoribus judices tribuerentur, et praecipue macedones, qui cum episcopo thessalonicensi de ejus factis vel scriptis cognoscerent: advertimus quod nobis judicandi forma competere non posset. Nam si integra esset hodie Synodus, recte de iis, quae comprehendet vestrorum scriptorum series, decerneremus. Vestrum est igitur, qui hoc recepistis judicium, sententiam ferre de omnibus; nec refugiendi vel elabendi, vel accusatoribus vel accusato copiam dare. Vicem enim Synodi recepistis, quos ad examinandum Synodus delegit.... Ideo primum est, ut ii judicent, quibus judicandi facultas est data. Vos enim totius, ut scripsimus, Synodi vice decernitis: nos quasi ex Synodi auctoritate judicare non convenit. »

S. Hieronymus in Libro adversus Joannem hierosolymitanum dicit, s. Epiphanium episcopum Salaminae litteras dedisse Siricio Papae: ac ideo ita Joannem corripit s. Doctor:[1] « Litterae (Epiphanii) ad Papam Siricium probant, quas si legeris, pervidebis quomodo tua dicta miratus sit, et catholica declaravit. » Scripsit quidem s. Epiphanius ad Siricium contra Joannem episcopum, sicuti, ut infra patefiet, scripsit idem Joannes ad Siricii successorem Anastasium, ut se defenderet ab iniquis insimulationibus: utroque Epiphanio et Joanne satis consciis, se Romae habere et honorare judicem supremum Petri apostoli successorem. Secus enim frustra opus impendissent ad hunc appellantes, nisi praesto eis foret divinum oraculum: *Referte ad me, et ego audiam.*

Hoc autem in loco revocentur, quae paulo ante ex Cornelii Papae epistolis dicta sunt de *Episcopi catholici* titulo uni Pontifici Romano inscripto tanquam Ecclesiae universalis pastori, ita ut dicatur unus tantummodo Christi Ecclesiam regere, sicuti unus a Jesu vocatus est Petrus, supra quem aedificata est. Nunc itaque audiatur, quod ideo circa hoc tempus scribat s. Optatus afer in Libro II. c. 2. adversus Parmenianum donatistam: « Ergo probavimus, ait, eam esse Ecclesiam Catholicam, quae est in toto orbe terrarum diffusa. Ejus jam commemoranda sunt ornamenta: et videndum, ubi sint quinque dotes, quas sex tu esse dixisti. Inter quas Cathedra est prima; ubi nisi sederit Episcopus, conjungi altera dos non potest, qui est Angelus: videndum est quis et ubi prior Cathedram sederit. Si ignoras, disce: si nosti, erubesce: ignorantia tibi adscribi non potest. Restat ergo ut noveris: scientem errare peccatum est. Nam ignorantibus nonnunquam solet ignosci. Igitur negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo Cathedram episcopalem esse collatam; in qua sederet omnium apostolorum caput Pe-

[1] S. Hieronymi Opera omnia studio Dominici Vallarsii Veronae 1734. Tom. II. p. 421.

trus, unde et Cephas appellatus est. In qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur; nec ceteri apostoli singulas sibi quisque defenderet; ut jam schismaticus et peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedram unicam, quae est prima de dotibus, sedet prior Petrus, cui successit Linus..... Damasus, Siricius hodie, qui noster est socius: cum quo nobiscum totus commercio *formatarum* in una communionis societate concordat. Vestrae cathedrae vos originem reddite; qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare. »

Cum ergo ait Optatus, cum Siricio totum orbem commercio *formatarum*, epistolarum nempe, in una communionis societate concordare, non solum indicat Occidentis et Africae ecclesiarum episcopos sed et omnes Orientis antistites et patriarchas Pontifici Romano communicare, qui per has epistolas *formatas* sincerum testimonium perhibebant de suae fidei unitate cum beati Petri et successorum suorum fide. Eapropter paulo post n. 6. « igitur, ait, de dotibus supradictis Cathedra est, ut diximus prima, quam probavimus per Petrum nostram esse, quae ducit ad se angelum (episcopum legitimum). Nisi forte cum vobis vindicantes, habetis in loculis clausum. Mittite illum, si potestis, excludat septem angelos, qui sunt apud socios nostros in Asia, ad quorum ecclesias scribit Joannes apostolus. Cum quibus ecclesiis nullum communionis probabimini habere consortium. »

CAPUT XII.

Anastasius et Innocentius.

Nemo nescit quae Anastasii Papae aetate Hierosolymis et Alexandriae ob Origenis doctrinam orta sunt dissidia inter episcopos, quibusdam catholicos ejusdem sensus defendentibus, repudiantibus aliis, et praesertim inter presbyteros Ruffinum et s. Hieronymum. Quare Joannes patriarcha hierosolymitanus scripsit ad Anastasium, consilium quaerens de Ruffino, qui incusatur a Hieronymo tanquam haereseos suspectus; quemadmodum alibi a nobis fusius tractatum est. Interim pro argumento nostro novisse satis sit, Joannem secundum Canonem apostolicum litteras dedisse Pontifici Romano: quarum etsi hucusque desideretur tenor, attamen ex Pontificis responso liquet. Ei namque ait Anastasius: « Probatae quidem affectionis est hoc, ut laudabiliter de Sacerdote sacerdos loquaris. Pro tanto igitur praeconio, quod in merita mea effusissime contulisti, ut amori tuo gratias ago, ita splendorem tuae sanctitatis, et eas quas in Domino habes virtutes, subinde quodammodo parvitatis nostrae favorabilis sermo prosequitur. Porro autem tanto titulorum tuorum rapior incitamento, ut etiam quod implere nequeo, audere non desinam etc. ». Cum igitur talia memoret episcopus Hierosolymorum merita Anastasii Papae, et ob ista petat consilium circa Ruffini et Origenis scripta, ac proinde Papa pro sua auctoritate respondeat, exponens sciteque decernens, quae apta videbantur in hujusmodi quaestionibus, unius probatur fiducia et reverentia erga summi Pontificis judicium, sicuti Anastasii munus supremum in satisfaciendo alterius petitionibus.

Et quidem eo ipso tempore Ruffinus sentiens adversus se jactas insimulationes scribit ad eumdem Pontificem, inquiens: « Audivi quosdam cum apud Beatitudinem tuam controversiam sive de fide sive de aliis nescioquibus quaestionibus, commoverent, etiam mei nominis fecisse mentionem. Et tua quidem Sanctitas, velut ab ipsis incunabulis per ecclesiasticae traditionis regulas instituta, de absente sibique bene et in fide et in charitate Dei cognito, calumniantibus non accommodavit auditum etc. » Deinde emittit Ruffinus suae fidei professionem coram Pontifice. Hinc cernitur sicuti ex ista ita et in altera Anastasii epistola, utrumque et Joannem episcopum et Ruffinum presbyterum ex Palaestinae patriarchatu in quaestionibus de fide et de ceteris appellasse ad magisterium b. Petri in praefati Anastasii persona. (S. Hieron. Tom. II. p. 573, 577.)

Item circa id temporis sub ejusdem Canonis apostolici vigore s. Hieronymus (de quo superius) in epistola 97. ad Pammachium et Marcellam

le praesumptis Origenis erroribus locutus, ait: « Orate Dominum..... ut praedicationem quoque Cathedrae Marci Evangelistae (idest Theophili patriarchae alexandriae) Cathedra Petri apostoli (idest Anastasius Papa) sua praedicatione confirmet. » Sciebat enim s. Doctor, alexandrinum antistitem, quamvis beati Marci successorem, in suis judiciis suprema egere Petri successoris sanctione. Quamobrem valde instabat Hieronymus apud amicos romanos ut acta illius *infaustissimae* Synodi alexandrinae a Theophilo contra Origenem et origenistas adunatae, rata haberentur ab Anastasio, cui commissum fuit universalis Ecclesiae regimen. Et ob hoc in alia epistola ad Theophilum dicit: « Ex dispensatione Dei factum puto, ut eodem tempore tu quoque ad Anastasium Papam scriberes; et nostram dum ignoras, sententiam roborares. »

Anastasio succedit Innocentius I. quem Orientis episcopi et patriarchae plenitudinis jurisdictionis suae supra cunctos christifideles conscii juxta veterem consuetudinem judicem appellarunt controversiarum, adeo ut et ille et isti singuli se in ordine suo continerent, illo docente, istis audientibus, unitate fidei servata et doctrina. Scribens itaque Papa ad Macedoniae episcopos in epistola VII. de Bubalio et Zauriano damnatis in Synodo provinciali, inquit: « Mora coepiscoporum nostrorum Maximiani et Eumenii, vel potius importunitas temporum fecit ut vos iteraretis de Bubalio et Zauriano querimoniam, et nos iterum in homines perditissimos insurgeremus. Sed ut possum, paucioribus verbis tantorum malorum metabor compendium, et strictim, quae in volumine litterarum vestrarum conspexerim, rectractabo. Grave non oportuit videri piissimis vestris mentibus cujuscumque retractari judicium: quia veritas exagitata saepius magis splendescit in luce; et pernicies revocata in judicium, gravius et sine illius (qui primum judicavit) poenitentia condemnatur etc. » Interim inspicito Macedoniae antistitum curam, qui Canonis apostolici memores ad Sedem apostolicam retulerunt Synodi acta adversus praefatos Bubalium et Zaurianum.

Item ex epistola XVIII. Innocentii ad Alexandrum antiochenum, eruitur, hunc antea consuluisse Pontificem, quid agendum sibi esset de cypriis, qui in Canonum nicaenorum contemptum, sibi episcopos ordinassent et ordinarent ex arbitratu, eoque inconsulto. Quare Papa respondens ei, inquit: « Et onus et honor a tua fraternitate impositus, necessarii tractactus causas induxit, quo litteris vel Commonitorio vestro, ut dat Sancti Spiritus gratia, respondere possimus. Revolventes itaque auctoritatem nicaenae Synodi, quae una omnium per orbem terrarum explicat mentem sacerdotum, quae censuit de antiochena ecclesia. Itaque arbitramur, frater carissime, ut sicut metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic et ceteros non sine permissu et conscientia tua sinas episcopos procreari. In quibus hunc modum recte servabis, ut longe positos, litteris datis, ordinari censeas ab his, qui nunc eos suo tan-

tum ordinant arbitratu etc. » Quibus omnibus unius idest Patriarchae antiocheni obsequium agnoscitur erga Pontificem, ac una Romanae Cathedrae auctoritas supra ceteras Orientis primarias Sedes.

In epistola XXII. ad Synodum Macedoniae scribens, ita literas exorditur Papa « Magna me gratulatio habuit, cum post tot discrimina totius, ut ita dicam, mundi, Vitalis archidiaconus vestrarum portitor litterarum ex illis partibus ad nos usque directus venit. » Deinde considerans quae in Synodo statuta erant, subdit: « Quae cum saepius repeti fecissem, adverti, Sedi apostolicae, ad quam relatio, quasi ad Caput ecclesiarum missa, currebat, aliquam fieri injuriam: cujus adhuc in ambiguum sententia duceretur. » Ac interim renovat ac confirmat, quae antea ab ipso decreta fuerant.

In epistola XXV. Innocentius, quamvis alloquatur ad Synodum milevitanam, nihilominus illius sensus ad universam referuntur Ecclesiam. Ait enim: « Diligenter ergo et congrue apostolica consulitis honoris arcana: honoris inquam illius, quem praeter illa, quae sunt extrinsecus (intrinsecus), sollicitudo manet omnium ecclesiarum, super anxiis rebus quae sit tenenda sententia: antiquae scilicet regulae formam secuti, quam toto orbe semper mecum nostis esse servatam. Verum haec missa facio. Neque enim hoc vestram credo latere prudentiam, qui id etiam actione firmastis, scientes quod per omnes provincias de apostolico fonte petentibus, responsa semper emanent: praesertim quoties fidei ratio ventilatur (alii legunt *mutilatur)* arbitror omnes fratres et coepiscopos nostros non nisi ad Petrum; idest sui nominis et honoris auctorem referre debere, veluti nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit ecclesiis omnibus in commune prodesse etc. » Et ob hoc item s. Pontifex per epistolam laudat Exuperium tolosanum, qui institutum praecedentium secutus, ad Sedem apostolicam referre maluit, quid de rebus dubiis custodire deberet: *Referte ad me et ego audiam.*

Similiter instituto nostro prodest ipsius Innocentii audire litteras, Concilio cartaginensi contra pelagianos datis, quarum ita se habet exordium (Gallandi Tom. VIII. p. 599.: « In requirendis Dei rebus, quas omni cum sollicitudine decet a sacerdotibus, maxime a vero justoque et catholico tractari Concilio, antiquae traditionis exempla servantes, et ecclesiasticae memores disciplinae, vestrae religionis vigorem non minus nunc in consulendo, quam antea cum pronuntiaretis, vera ratione firmastis, qui ad nostrum referendum approbastis esse judicium; scientes quid apostolicae Sedi (cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum) debeatur: a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emersit. Quem sequentes tam mala damnare novimus, quam probare laudanda. Vel id vero, quod Patrum instituta sacerdotali officio custodientes, non censetis esse calcanda, quod illi non humana sed divina decrevere sententia: ut quidvis, etsi de disjunctis remotisque provinciis ageretur,

on prius ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret; t tota hujus auctoritate, justa quae fuerit, pronuntiatio firmaretur: ineque sumerent ceterae ecclesiae (velut de natali suo fonte aquae cuntae procederent, et per diversas totius mundi regiones puri latices caitis incorrupti manarent) quid praecipere, quos abluere (deberent) quos eluti coeno inemundabili sordidatos, mundis digna corporibus unda viıret etc. Gratulor igitur etc. »

Sicuti in praecedentibus epistolis ita et in hac quamvis loquatur Pa- a ad episcopos africanos, nihilominus sui sermonis conceptus vertitur d Ecclesiam universalem ob ejusdem in toto orbe jurisdictionem, praeɜrtim supra episcopatum cujusque regionis et gradus hierarchici: cujus uctoritatem a Sede apostolica limpide emersisse dicit. Ideoque laudat ynodi Patres, quod secundum ecclesiasticam disciplinam, idest juxta Caonem apostolicum, ad hujus Sedis judicium cuncta referenda esse proarint. A qua Sede subdit ceteras ecclesias, veluti de natali suo fonte quas, procedere, et per diversas totius mundi regiones *puros latices caitis incorrupti manare.*

In epistola 37. ad Felicem episcopum nucerianum (Gallandi Tom. VIII. . 608.) ait: « Mirari non possumus dilectionem tuam sequi instituta ıajorum, omniaque quae possunt aliquam recipere dubitationem, ad nos ıasi ad Caput atque ad Apicem episcopatus referre: ut consulta videɜet Sedes apostolica ex ipsis rebus dubiis certum aliquod faciendumıe pronuntiat. Quod nos et libenter accipimus et dilectionem tuam meorem Canonum comprobamus. »

Palladius in Vita s. Joannis Chrysostomi c. XV.: « Ceterum, ait, si noi modum ordinationis Porphyrii antiochensis, aut ipsos, qui ordinarunt, ıt quidem hominis vitam obscuram an insignem, et doctrinam veram ı falsam; ipse nobis edisseret; maxime quia ad Ecclesiam Romanam ripsit: et responso dignatus habitus non fuit. »

Cunctis notae sunt, quae Constantinopoli supervenere calamitates ob ıonachos nitrienses, qui ab Aegypto expulsi ob Theophili improbitatem, ı hanc urbem advenerunt, Chrysostomi patrocinium rogaturi. Quare oannes scribit ad Innocentium per legatos, cuncta eidem enarrans, peɜnsque consilium. Pontifex vero ex suae jurisdictionis vi per litteras sic ›quitur ad patriarcham alexandrinum (Labbei Tom. III. p. 1081.): « Fraɜr Theophile, nos et te et fratrem Joannem habemus nobis communiantes, sicuti in prioribus epistolis mentem nostram manifestam fecimus. ıc ne nunc quidem ab eodem proposito desistentes, rursum eadem tibi cribimus, et quotiescumque ad nos rescripseris, fieri scilicet non posse, t nisi congruum judicium subsequatur super his, quae per ludibrium esta sunt, sine ratione a Joannis communione discedamus. Tu igitur si udicio confidis, siste te ad Synodum, quae secundum Christum fuerit. Et ibi expositis criminationibus sub testibus nicaeni Concilii canonibus

(alium enim Canonem Romana non admittit Ecclesia) securitatem habebis sine contradictione. »

In altera epistola ad Clerum et populum constantinopolitanum Innocentius deplorat subrogationem alterius episcopi in ea urbe loco Joannis. Ac proinde n. 3. ait: « Quod autem ad Canonum observationem attinet, solis illis parendum esse diximus, qui Nicaeae definiti sunt: quos solos sectari et agnoscere debet Ecclesia Catholica. Sin autem a quibusdam proferantur alii, qui a nicaenis Canonibus dissentiant, et ab haereticis compositos esse arguantur, hi ab episcopis catholicis rejiciuntur. Nam quae ab haereticis sunt excogitata, ea catholicis regulis adjungere non licet: quippe illi per contraria et illicita placita perpetuo agunt, ut nicaenorum Patrum sententiam labefactent etc. »

Inspice interim quomodo Innocentius Clerum et populum Constantinopoleos alloquatur tanquam agnos sibi adsignatos pascendos pro sua in Ecclesia universali auctoritate suprema. Ac insuper vide, quomodo eadem usus potestate juxta dominica dicta *pasce oves meas,* mandat Pontifex, ut alter arceatur illius urbis pastor, qui non intravit per ostium in ovile, nec a se obtinuit custodiam gregis. Ac amplius advertito, quare Papa Canonum ecclesiasticorum custos et interpres, refutet haereticorum placita adversus nicaenas constitutiones excogitata, earumque exactam statuat observantiam. Denique considera quomodo Innocentius ex Theophili factione sub Eudoxiae patrocinio adversus Chrysostomum concitata, in litteris ad Arcadium, hunc cum uxore sua anathemate perculerit: « Itaque ait, ego minimus et peccator, cui thronus beati Petri apostoli creditus est, segrego et rejicio te et illam (Eudoxiam) a perceptione sacramentorum immaculatorum mysteriorum Dei nostri. » Et hoc item in Theophilum, huic indicens, ut Synodo se sistat, rationem redditurus de omnibus malis adversus Joannem ceterosque sanctos viros inique patratis.

Ad eamdem causam, idest adversus Origenem et origenistas a Theophilo inique susceptam, referenda est epistola ejusdem Innocentii ad Joannem Hierosolymorum patriarcham: unde eruitur quosdam confugisse ad hunc Pontificem ob vexationes in ea urbe perpetratas, quin ab ipso Joanne cohiberentur.

Novissime, simul collatis quae ad Innocentii Pontificatum spectant, manifeste elucet pontificiae jurisdictionis exercitium, non tantum in Occidentis sed et in Orientis regionibus, ac profecto super Alexandriae, Antiochiae, Hierosolymorum et Constantinopoleos patriarchas, [1] et hinc necessario supra ceteros illarum provinciarum antistites juxta veterem

[1] Quamvis ab initio quaestionis patriarcharum nomine usus sim: attamen in Ecclesia hic titulus non nisi circa an. 380. invaluit. Et tunc solis Romano, alexandrino, antiocheno et hierosolymitano episcopis inditus fuit.

CAPUT XIII.

Zosimus et Bonifacius.

Zosimus Pontifex suis in epistolis ad Aurelium, cunctosque Africae episcopos adversus pelagianos, veterum Patrum testimonio suffultus, Sedis apostolicae in toto orbe diffusam celebrat auctoritatem. In his notanda est ea, in qua mentionem agit de Pelagio et de Praylo Hierosolymorum episcopo (Gallandi Tom. IX. p. 6. 14. an 417.): « Postquam, ait, a nobis Caelestius presbyter auditus est, et quid de fide sentiret, evidenter expressit, eademque, quae in libello contulerat, repetitis crebro professionibus roboravit, de ejus nomine plenius ad dilectionem vestram scripta direximus. » Quod et amplius confirmat Papa in alia epistola XI. ubi ait episcopis africanis: « Quamvis Patrum traditio apostolicae Sedi auctoritatem tantam tribueret, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet, idque per Canones semper et regulas servaverit, et currens adhuc suis legibus ecclesiastica disciplina, Petri nomini, a quo ipsa quoque descendit, reverentiam quam debet, exolvat; tantam enim huic Apostolo canonica antiquitas per sententias omnium voluit esse potentiam, ex ipsa quoque Christi Dei nostri promissione, ut et ligata solveret, et soluta vinciret par potestatis data conditio in eos, qui Sedis haereditatem, ipso annuente, meruissent (habet enim ipse cum omnium ecclesiarum, tum hujus maxime, ubi sederat, curam; nec patitur aliquid privilegii, aut aliqua titubare aura sententiae, cui ipsa sui nominis firma et nullis hebetata motibus, constituit fundamenta: et quae sine suo periculo temere nullus incessat) cum ergo tantae auctoritatis Petrus caput sit, et sequentia omnium majorum studia firmaverit, ut tam humanis quam divinis legibus et disciplinis omnibus firmetur Romana Ecclesia, cujus locum nos regere, ipsius quoque potestatem nominis obtinere, non latet vos, sed nostis, fratres carissimi, et quemadmodum sacerdotes scire debetis; tamen cum nobis tantum esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia, nihil egimus, quod non ad vestram notitiam nostris ultro litteris referremus; dantes haec fraternitati, ut in commune consulentes, non quia, quid deberet fieri, nesciremus; aut faceremus aliquid, quod contra Ecclesiae utilitatem veniens, displiceret; sed pariter vobiscum voluimus habere tractatum de illo, qui apud vos, sicuti ipsi per litteras dicitis, fuerat accusatus; et ad nostram, qui se assereret innocentem, non refugiens judicium ex appellatione pristina, venerit Sedem, accusatores suos ultro deposcens, et quae in se crimina per rumorem falso dicebat illata, condemnans. Omnem ejus petitionem prioribus litte-

ris, quas vobis misimus, putavimus ac novimus explicatam; satisque illis scriptis, quae ad illa rescripseratis, credidimus esse responsum. »

Eodem zelo eademque auctoritate Zosimi successor Bonifacius I. ad Thessaliae episcopos litteras scribit, eis commendans in Petri Cathedram obsequium, ut unitas fidei custodiretur doctrinae et disciplinae. Inquit enim: « Institutio, ait, universalis nascentis Ecclesiae (Gallandi Tom. IX. p. 57. 58. an. 419.) de beati Petri sumsit honore principium, *in quo regimen ejus et summa consistit.* Ex ejus enim ecclesiastica disciplina per omnes ecclesias, Religionis jam crescente cultura, fonte manavit. Nicaenae Synodi non aliud praecepta testantur, adeo ut non aliquid super eum ausa sit constituere, cum videret nihil supra meritum suum posse conferri: omnia denique huic noverat Domini sermone concessa. Hanc ergo ecclesiis toto orbe diffusis velut Caput suorum certum est esse membrorum: a qua se quisquis abscidit, fit christianae Religionis extorris, cum in eadem non coeperit esse compage.

« Audio episcoporum quosdam, apostolico jure contempto, novum quidpiam contra Christi proprie praecepta tentare, cum se ab apostolicae Sedis communione, et, ut dicam verius, potestate separare nituntur, eorum petentes auxilium, quos ecclesiasticarum sanctio regularum majoris esse non dedit potestatis. Leguntur etenim praecepta majorum; et quibus in ecclesias juris aliquid dederint, invenimus. Jam temerator est, ecclesiasticae disciplinae, quisquis in ejus leges, cum sibi nihil debeatur, irrepit, ea sibi vindicando, quae sibi a Patribus negata videantur... Ergo servate honorem debitum Capiti, quia nolumus ut intra se membra decertent, ita ut tendatur eorum ad nos usque certamen; dum fratrem et coepiscopum nostrum Rufum dignum ducitis contemptu: cui nihil novum auctoritas nostra concedit, sequens priorum gratiam, qua huic cura ecclesiarum saepe videtur injuncta. Quod factum intemeratum servari voluimus in futurum, sicut a Patribus hujus dispositionis forma servata est.»

In epistola sequente idem Bonifacius de eodem Perigenis negotio disserens ita episcopos Macedoniae, Achajae, Thessaliae, Epiri veteris ac novae, Praevalini et Daciae, alloquitur: « Manet beatum apostolum Petrum per sententiam dominicam universalis Ecclesiae ab hoc suscepta sollicitudo: quippe quam, Evangelio teste, in se noverit esse fundatam; nec unquam ejus honor vacuus esse potest curarum; cum certum sit, summam rerum ex ejus deliberatione pendere. Quae res animum meum usque ad Orientis loca, quae per ipsam sollicitudinem quodammodo videmus, extendunt. Indesinenter enim ab unoquoque illinc veniente, percontor de pace fratrum, idest de quiete pontificum; quae solet, quoties diabolus huic invidet, alicujus praesumptione turbari. Cum igitur ad nos ordine suo cuncta servari fama nunc usque detulerit, vehementer mirati sumus ejus rei stupentes, ut poscebat ratio relatorum, quam in injuriam Patrum intentio novella tentavit. »

Paulo post n. 6. pergit (quod hucusque a nobis sedulo actum est) veterum documenta citans et ait: « Sed, quia res postulat, approbandum documentis est, maximas orientalium ecclesias in magnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione majore, Sedem semper Romanam consuluisse; et quoties usus exegit, ejusdem auxilium postulasse. Sanctae memoriae Athanasius et clementissimae recordationis princeps Theodosius Nectarii ordinationem propter ea, quia in nostra notione non esset, habere non existimans firmitatem, missis e latere suo aulicis cum episcopis, *Formatam* huic a Sede Romana dirigi regulariter depoposcit; quae ejus sacerdotium roboraret. Ante breve tempus, idest sub praedecessore meo beatae recordationis Innocentio, orientalium ecclesiarum pontifices dolentes se a beati Petri communione sejunctos, per legatos pacem, sicuti caritas vestra retinet, poposcerunt etc. »

Haud secus Bonifacius ad Rufum, (Gallandi Tom. IX. p. 49.) cui commissa erat cura Achajae provinciae et Illyrici (ut liquet ex epistola 13. Innocentii) scribit, ita exorsus: « Beatus apostolus Petrus, cui arx Sacerdotii dominica voce commissa est, in immensum gratulationis extollitur, quoties pervidet concessi sibi honoris a Domino intemeratae se pacis filios habere custodes. Quid enim gaudio debeat majore pensare quam quod agnoscit acceptae potestatis illaesa jura servari? Vere namque immobile requirit a diversis destinata super negotiis quibusque consultatio fundamentum, quae eis consulit Sedis arcanum, quam constat dignatione Petrae spiritalis elatam etc. »

Item in epistola sequente ad eumdem, quae incipit: *Credebamus,* ait: « Te ergo, frater carissime, omnis cura respectat earum ecclesiarum, quas tibi vice Sedis apostolicae a nobis creditas recognosces: ut et prava corrigas et dissipata componas. Et siquae inter episcopos eveniant causae sub divini judicii timore distinguas: ut, creditis tibi a Sede apostolica gubernaculis, contra omnes fluctus nascentium procellarum juste et prudenter utaris. »

Hinc, quum in alia epistola ad Hilarium episcopum narbonensem, propter illicitam antistitis lutevensis ordinationem, Synodi nicaenae citet decretum, idest *per unamquamque provinciam jus metropolitanos singulos habere debere, nec cuipiam duas esse subjectas,* ejusque Hilario commendet observantiam, ita tamen agit Papa ceu supremus judex omnium quaestionum, quae in his casibus vel leviter excitantur; ideoque ad se eas referendas esse mandat: *Referte ad me et ego audiam.*

Demum non est transigendum ejusdem Bonifacii decretum, quo a decessorum suorum exemplo statuit circa decimarum et oblationum distributiones: « Cum sit, inquit, una mater Ecclesia sicut unus Dominus, et una fides et unum baptisma, licet in omnem orbem diffusa, decernit omnes clericos unius matris bonis communicare, quos constat unius matris filiabus utiliter ministrare. (Labbei Tom. IV. p. 395. et 399.)

CAPUT XIV.

Coelestinus et Xystus.

Antequam haeresim nestorianam, ejusque damnationem ac cetera, quae intercesserunt de ea inter episcopos Orientis et Pontificem Coelestinum, in medium proferamus, praestat ipsius Nestorii ponderare dicta, ad ipsum Papam scribentis circa Julianum et Orontem haereticos, qui ab Occidente confugerant Constantinopolim ad imperatorem; ubi nosse cupit quid ab eo de illis consultum fuit. (Labbei Tom. IV. p. 1023.) « Dignetur, ait Nestorius, igitur amantissima Dei anima tua informare nos, qui ad utrumque momentum hucusque dividimur, idest et ad odium et ad miserationem. Doceri autem volumus, quam de his sententiam teneamus. Deferimus (procrastinamur) enim eosdem viros, per singulos dies dissimulantes spe et expectatione beatitudinis tuae etc. » Cum itaque Ecclesiae constantinopolitanae patriarcha Nestorius a Coelestino Papa consilium petit; immo erudiri vult ab eo, quid sentire debeat de Juliano et Oronte: et ob hoc cunctetur de his judicium proferre in expectatione responsi, obsequium ab antecessorum exemplo erga Petri Cathedram satis manifestat. Quod Nestorii obsequium erga Pontificem testatur quoque Cyrillus in Apologetico ad Theodosium, asserens saepius illum scripsisse ad Coelestinum; quamvis in epistolis animi sui morbum patefaceret. Huic Pontifex rescribens, leniter admonuit, rogavitque, ut pravam emendaret opinionem; fidemque inculpatam complecteretur. Cui tamen non obedivit Nestorius, veluti in sequentibus dicetur.

Interim de eo Cyrillus alexandrinus scribens ad Coelestinum ait se conatum esse has illi dare litteras, quarum initium: *Si in rebus* (Labbei Tom. IV. p. 1011) ubi haec notantur: « Quoniam vero Deus hisce in rebus vigilantiam a nobis exigit, et *vetus consuetudo ecclesiarum* suadet, ut hujusmodi res Sanctitati tuae communicentur, scribo plane necessitate coactus. » Deinceps prope finem subdit: « Non prius autem illius communionem palam et aperte deserimus, quam haec ipsa pietati tuae indicaremus. Digneris proinde, quid hic sentias praescribere: quo liquido nobis constet communicare ne nos cum illo oporteat, an vero libere eidem denunciare, neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet et praedicat. Porro tuae integritatis mens, ei super hac re sententia piissimis Deoque devotissimis Macedoniae episcopis, nec non totius Orientis antistitibus perspicere per litteras necesse est exponi. Nam cupientibus illis ansam dabimus, ut omnes uno animo in una sententia persistant; rectaeque fidei, quae impugnatur, opem ferant. »

Hinc perpendatur, quam ab initio notat Cyrillus, vigilantia: quamque dicit a se exigere Deum in his tractandis quaestionibus; ac amplius quod ait de veteri ecclesiarum consuetudine eas communicandi Sedi apostolicae. In his enim luculenter appellat ad Canonem ecclesiasticum ab aevo apostolico sancitum, quo statutum fuit, talia referenda esse ad Petri Cathedram. Ita porro loquitur Cyrillus de pontificiae auctoritatis amplitudine, ut nemo ex Orientis episcopis sicuti ex patriarchis excludatur ab ejusdem jurisdictione. Eaque propter idem Cyrillus in Sermone sub titulo, *Encomium Mariae Virginis adversus Nestorium*, inquit: « Quod enim ita res plane sint, testem fide dignum proferamus sanctissimum Coelestinum et Archiepiscopum totius orbis, et Patrem et Patriarcham urbis Romae: qui et iste adhortatus est per litteras, ut ab insana illa blasphemia desisteres; sed ei quoque non obtemperasti. » Cum igitur Cyrillus vocet Coelestinum totius orbis Archiepiscopum ac testem fide dignum, hujus Papae primatum supra universam Ecclesiam, ejusdemque supremam confirmat auctoritatem. Nota tamen, verba, *totius orbis Archiepiscopum* lecta in authenticis libris Cyrilli, desiderari in Actis graecis Synodi ephesinae.

In c. XIX. notatur epistola Coelestini ad clerum et populum constantinopolitanum circa Nestorii haeresim, scandalum questi inde exortum; et ait: « Quis infirmatur et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? Ita et nos licet longe positi, ubi perversitate doctrinae cognovimus nostra membra lacerari, paterna sollicitudine nos urente pro vobis, alieno flagravimus incendio, licet inter ecclesias Dei, quae in unum Christi thalamum ubique referuntur, nihil longe sit, nihil censeatur alienum. Cum ergo nostra viscera sitis, jure trepidavimus, ne fidem vestram, quae ubique praedicatur, a tramite veritatis insinuatio male docentis avertat etc. » Et sic pergit Pontifex, eos rogans, sicuti aliquando Petrus fideles hortabatur: *Vos igitur fratres praescientes, custodite, ne insipientium errore traducti, excidatis a propria firmitate.*

In c. XXI. Cyrillus per litteras ad Joannem antiochenum ait Nestorium a se correptum, confugisse ad Romanum Pontificem: « ac sperasse in romanorum quoque aures insinuare se posse, easdemque praeoccupare. Etenim prolixa epistola absurda quaedam dogmata complexus, eaque ad Dominum meum Caelestinum piissimum Ecclesiae Romanae Episcopum missa, inter cetera adversus illos, qui ab ipso dissentiunt, et haec quoque adjecit: *citra horrorem sacram Virginem Dei Genitricem appellant.* » (Labbei Tom. IV. p. 1035. et 1049.).

In epistola praecedente cum Caelestinus ostendat sollicitudinem pro clero et populo Constantinopoleos, quos vocat membra sui corporis ac filios, seque ideo illorum patrem se nuncupet (quamvis sub patriarcha illius urbis degerent) sat exprimit jurisdictionem suam supra universum orbem. Et hinc jure Nestorius correptus a Cyrillo altero Alexandriae

patriarcha, nolens hujus obsequi judicio, se vertit ad Ecclesiae Romanae Antistitem: ut ita concludatur, nec Alexandriae, neque Constantinopoleos, neque Antiochiae patriarchas praerogativis praestare, nec aequare Caelestini b. Petri successoris. Et hoc ex ipsorum confessione. Hinc idem Cyrillus c. XXIV. scribit ad Juvenalem alterum patriarcham Hierosolymorum, eidem significans Caelestini Papae epistolam adversus Nestorium, quam ipse Cyrillus existimavit ad eum mittere, et a qua Juvenalis roboratus, simul ambo unanimi consensu et zelo populum christianum ab haereseos discrimine eriperent.

Et ob hoc ipsum in Actione 2. Synodi circa Nestorii depositionem (Tom. IV. p. 1287.) Firmus Caesareae Cappadociae episcopus dixit: « Apostolica et sancta Sedes Caelestini sanctissimi Episcopi per litteras, quas ad religiosissimos antistites, ad Cyrillum, inquam, alexandrinum, et Juvenalem hierosolymitanum et Rufum thessalonicensem, nec non ad sanctas ecclesias Constantinopoleos et Antiochiae misit, etiam ante de praesenti negotio sententiam, regulamque praescripsit; quam nos quoque secuti. . . . formam illam executioni mandavimus, canonicum et apostolicum judicium in illum (Nestorium) proferentes. »

Quibus verbis Caesareae Cappadociae antistes rectissime sensit Episcopatus Romani excellentiam supra ceteros orbis episcopos et quidem supra Orientis patriarchas: ad quos scribens Caelestinus sententiam et regulam adversus Nestorium praescripsit. Quam praescriptionem iidem patriarchae ut canonicum et apostolicum judicium venerati sunt.

Item Cyrillus consilium petit a Caelestino (Tom. IV. p. 1292.) cui Papa respondit: « Itaque breviter responsum tuae reddimus sanctitati. Etenim quaeris utrum sancta Synodus recipere debeat hominem a se praedicata damnantem; an, quia induciarum tempus emensum est, sententia dudum lata perduret. Super hac utique consultatione (subdit Pontifex) communem Dominum consulamus. Nonne nobis respondit illico per Prophetam, mortem se nolle peccatoris; et per Apostolum omnem hominem velle salvum fieri etc. » Hinc vides quomodo Cyrillus patriarcha alexandrinus veluti discipulus consulit magistrum, memor hujus ecclesiae fundatoris Marci: qui a Petro apostolo ordinatus est episcopus illius regionis; et quomodo, ut ita dicam, non sit discipulus supra magistrum.

In Libello a Cyrillo et Memnone oblato Synodo ephesinae arguitur Nestorius, quod episcopos deposuerit: « et quidem nec per leges ecclesiasticas, nec per imperiale decretum potestatem habuit; qua fultus vel quempiam ex nobis judicare, vel omnino simile quidpiam attentare possit, praesertim vero contra *majorem Sedem,* etc. » (Tom. IV. p. 1306.).

Hinc in Actione V. Patres per epistolam de Synodi Actis ita Caelestino loquuntur: « Sanctitatis tuae circa pietatem, zelum et circa fidei sinceritatem cura, nostri omnium Salvatori Deo grata et placita, omni

admiratione digna existit. Est enim hoc vobis adeo magnis in more positum, ut in omnibus celebres sitis, studiaque vestra eeclesiarum firmamenta constituatis. Quia vero necesse est, ut omnia quae consecuta sunt, Sanctitati vestrae significentur, non potuimus non scribere etc. » Et cum Synodus, cui aderant antistites maxime orientales, talia profiteatur erga Pontificem Romanum, eumque ideo vocet ecclesiarum firmamentum, Coelestinus ipse scribit ad Cyrillum de Nestorio: « Quamobrem nostrae Sedis auctoritate adscita, nostraque vice et loco cum potestate usus, ejusmodi non absque exquisita severitate sententiam exequeris: nempe ut nisi decem dierum intervallo ab hujus nostrae admonitionis die numerandorum (nisi resipuerit) illico sanctitas tua illi ecclesiae prospiciat. »

Praefatus Pontifex per litteras, ubi Theodosii junioris pietatem et zelum in fidei catholicae defensione commendavit, alia adjecit rogans imperatorem de quibusdam praediis in Asia, quorum reditus Proba illustris foemina legaverat clericis, pauperibus et monasteriis. Quod tamen ex negligentia curatorum non praestitum fuit. Quare Asiae episcopi ad Coelestinum scripserunt, tanquam universae Ecclesiae elargitionum curam gerentem, ut huic rei provideret scribens ad Theodosium.

Ceterum ponderationem nostram repetunt, quas Papa, damnato Nestorio, scribit ad Patres, litterae, quarum initium, *Tandem malorum.* (Labbei Tom. V. p. 266.) « Peracta est, ait, a vobis totius summa negotii. Agendum nunc est, quod instat et restat, ne sit in vacuum elaboratum. Longius quidem sumus positi; sed per sollicitudinem totum propius intuemur. Omnes habet beati Petri apostoli cura praesentes. Non nos ante Deum nostrum de hoc possumus excusare quod scimus. Nam quamquam haec, quae loquimur, sanctitas vestra tacuerit; agnovimus tamen omnia, diligenter requirentes. Tantae igitur causae finis, qui superest, actibus vestris quaeso respondeat: quia nolumus in modico vos deesse, qui maxima peregistis. Adjutorio apud reges terrae his estote, quae scripsimus .... Facite praesentes, quod hortamur absentes. Cum enim hanc curam generaliter omnibus debeamus; praecipue tamen nos convenit antiochenis praecipitantibus subvenire, quos pestifer morbus obsedit.... De his autem, qui cum Nestorio videntur parum pie sensisse; atque se socios ejus sceleribus addiderunt, quamquam legatur in eos vestra sententia, tamen nos quoque decernimus quod videtur. Multa perspicienda sunt in talibus causis, quae apostolica Sedes semper aspexit. Quod loquimur, caelestianorum testantur exempla, quod spem de Synodo hucusque gesserunt. Habent, si resipiscant, copiam revertendi etc. »

Hinc perpendito Romani Pontificis auctoritatem tum super omnes ecclesiarum antistites seorsim sumptos, cum super eosdem in Synodo congregatos; quibus per se Caelestinus ex Petri nomine loquitur, ac ipsi in Petri successoris obsequium lubenter audiunt. *Omnes,* ait, *habet beati Petri apostoli cura praesentes,* ac ideo subdit quaedam a Synodo omissa,

quae non omittenda erant, obtestatus, *non nos ante Deum nostrum de hoc possumus excusare quod scimus:* decernens proinde per se quae sibi visum fuit, una simul Patres hortatus, ut praesentes perficiant, quae ipse de omnibus curam gerens, implenda statuerat absens ex Sedis apostolicae jure: *Referte ad me et ego audiam.*

Circa porro Procli ordinationem, Maximiano defuncto, Socrates in Libro VII. c. XL. ait Theodosium sapienter providisse, ne denuo in ecclesia disceptationes orirentur: « Incunctanter enim, nondum humato Maximiani corpore, praesentibus episcopis, praecepit, ut Proclum ordinarent. Nam ad eam rem et Caelestini Episcopi Romani litterae, quae allatae fuerant, consentiebant; quas ille misit ad Cyrillum alexandrinum, ad Joannem antiochenum, ad Rufum thessalonicensem, nihil impedire docens, eum, qui esset alii ecclesiae nuncupatus, vel etiam episcopus esset ad aliam transferri ecclesiam. » Ita Caelestinus ob jurisdictionem supra universam Ecclesiam pro temporum opportunitate statuens, quae magis ad ecclesiarum pacem conferebant, scribit primoribus metropolitis alexandrino, antiocheno, thessalonicensi: qui unanimes litteris pontificiis acquieverunt. Ceterum, quae dicit Socrates de Theodosii mandato circa Procli ordinationem, non nisi ex Papae insinuatione talia decrevisse putandum est.

Hîc porro obiter confert animadvertere epistolam hujus Synodi ad Theodosium et Valentinianum, ubi Patres orientales asserentes se occidentalibus convenire in damnatione Nestorii, inquiunt: « Et haec quidem etiam antequam haec sanctissima Synodus conveniret, sanctissimus Caelestinus magnae Urbis Episcopus per litteras suas indicaverat, Cyrillo scribens, ut suas vices subiret etc. » Nec secus iidem Patres in fine alterius epistolae ad eumdem Papam, cuncta Synodi continentis ejusdem acta, ajunt: « Porro autem perlectis in sancta Synodo commentariis actorum in depositione Coelestii, Pelagii, Juliani ac aliorum eadem cum illis sentientium, quae a pietate tua de ipsis decreta et constituta sunt, judicavimus et nos, ea solida et firma permanere debere: et idem omnes tecum statuimus, eos pro depositis habentes. (Labbei Tom. IV. p. 1302. et 1330.).

Et cum ista profiterentur Patres ephesini coram imperatoribus de haeresi nestoriana, priusquam adunaretur Synodus, praeclare manifestant, pontificium de fide judicium vim habere etiam priusquam accedat totius episcopatus consensus. Quod item statuerunt subscribentes depositioni Pelagii et sociorum, et decernentes, firma tenenda esse (quin ulterius disceptarent) quae ab ipso Papa adversus eosdem definita erant.

Caelestinus idem, damnato Nestorio, scribit ad clerum et populum constantinopolitanum, sic epistolam exorsus: « Exultatio matris est congregatio filiorum.... Meminit caritas vestra apud vos, mihi dudum de patientia fuisse sermonem. Jactavi, quae debui, semina Sacerdos in ani-

mo christiano; nec me in vobis seges expectata decepit.» Ac paulo post: « Intelligamus et fateamur omnes, quod vos ille tutatus est pastor, qui in Evangelio se dicit esse pastorem. Adfuit, nec vos deseruit, qui patiebatur in vobis. In hunc namque quotidianis acuebatur lingua blasphemiis: in ipsum dentes suos impius tractator armabat. Inani tamen semper illusus est morsu: quando ejusdem pastoris virga vos consolabatur et baculus: cui gregem suum etiam pascendum tradidit iturus ad coelum... Habuistis vigilem proditorem (Nestorium). Nec tamen beatus Petrus apostolus deseruit tam graviter laborantes. Nam cum separari tale membrum de ecclesiastico corpore horrens omnibus putredo suaserit, cum ferro obtulimus et fomentum..... Deinde concludit: « Audite certe semper audita, nec studio novitatis inventa. Nostro vobis loquitur ore collega (Maximianus); quia una fides necesse est unanimiter praedicetur. Non hic in ejus persona alicujus testimonium mutuatur. A nobis datus est, qui electus est ex nostris..... Nunc tamen vos nostris propriis sermonibus decet cavere commonitos. Nemo in vobis illud quatiat fundamentum, quod firma Petra et angularis lapis ille construxit etc.» In his litteris loquitur Papa ad Clerum et plebem Constantinopoleos ceu pastor illius urbis sicuti totius orbis; et hinc beati Petri auctoritate usus, ait Maximianum ipsius urbis antistitem a se electum, neque ab aliis, missum esse ut illam ecclesiam regeret. (Labbei Tom. V. p. 273.).

Xystus Papa III. scribit ad Synodum thessalonicensem (Gallandi Tom. IX. p. 530.) de Perigenis, corinthiorum episcopi, subjectione Anastasio metropolitano, cujus epistolae initium, *Si quantum*. « Nos, ait, fratri et coepiscopo Anastasio tantum tribuimus, quantum decessoribus ipsius a nostris decessoribus attributum.... Habeant honorem suum metropolitani singularum (provinciarum) salvo hujus privilegio, quem honorare debeant amplius honorati. In provincia sua jus habeant ordinandi. Sed hoc inscio vel invito, quem de omnibus volumus ordinationibus consuli, nullus audeat ordinare. Ad thessalonicensem antistitem majores causae referantur. Ipsum major cura respectet, eos, qui ad episcopatum vocantur, discutiendi sollicitius et probandi. Ipse optimos sollertissimosque de vestro numero eligat, quos negotiis secum adsciscat arbitros: aut sine se tribuat, qui in disceptationem missa componat etc.»

Ac propterea idem Pontifex ad praefatum Perigenem scribit (ibidem p. 529.) inquiens: « Gratulari potius quam conqueri deberemus de tuae fraternitatis actibus; cum tibi apostolicae Sedis auctoritas in ipsis tuae ordinationis initiis, quod te semper meminisse oportet, adfuerit. Sed ut nostrum est non ista retexere, ita tuae convenit fidei retinere. Nunc aliqua incitare voluisse cognovimus. Sed haec, cum res per nostrorum praesentiam, quos vice nostra ad eas partes propter has causas direximus, sopitae sint, praeterimus. Nam et sanctos fratres nostros Martianinum presbyterum item et diaconum Lollianum egisse credas, quod et

tores. Et quia res et causa deposcit, locum quoque convenit intueri. Ad beatum apostolum Petrum fraternitas convenit. Ecce auditorium congruens, auditoribus conveniens audiendis. Habuerunt coepiscopi nostri illum congratulationis testem, quem habemus honoris exordium. Sanctae namque et venerabili Synodo, quam natalis mihi dies, favente Domino, congregarat, quia sic credendum est, ipse praesedit; quandoquidem probatur nec spiritu, nec corpore defuisse. Adfuit palmae, qui contentioni non defuit. Juvit animorum vota nostrorum, qui videt symbolo primum inter apostolos tradito derogari. Non passus est nefandum caput gaudere solatiis: nec turbari diu sivit lutulento gurgite fontis illius perspicui puritatem etc. » (Labbei Tom. V. p. 372.).

Ibidem p. 375. in epistola ad eumdem, ab initio ait, se, postquam fuit ad supremum Sacerdotii apicem vocatus, per consacerdotes Hermogenem et Lampetium suae adsistentes ordinationi, has dedisse litteras: « Fateor igitur, valde laetati sumus; quia contigit nobis per unam et eamdem opportunitatem, quae fidei sunt, quaeque ad nos ipsos pertinent, communicare.' Cunctos quippe habuit fratres praesentes ordinatio nostra. Cui enim visum non adesse, quando Oriens per suos presbyteros aderat, et spectarunt unum omnium cor; et unam in cunctis animam agnoverunt, et consonam divinae multitudinis vocem? Sic Romana Ecclesia unum suffragium servavit in constitutione fidei praeconis, sicuti in ipso fidei praeconio unam semper sententiam servavit etc. »

Haud secus Xystus ad eumdem scribens Cyrillum de Joanne antiocheno, qui cum aliis Nestorio favebat, ait illum in numero catholicorum futurum, si cuncta per Synodum eversa subvertens, ostenderit seipsum catholicum sacerdotem. Quod et fecit Joannes per litteras ad Pontificem ei gratulatus de ascensione sua ad Petri Cathedram. Cui deinde respondens Xystus inquit: « Audiat universa fraternitas, quae ob natalis mei convenerat diem; qualiter bono humani generis, apostolicae Sedis me praeside, sis gratulatus. » Paulo post subdit Pontifex mandans (ibidem p. 379.): « Haec sanctitatem tuam volumus praedicare, quae scribis. Expertus es negotii praesentis eventu, quid sit sentire nobiscum. Beatus Petrus apostolus in successoribus suis, quod accepit, hoc tradidit. Quis ab ejus se velit separare doctrina, quem ipse inter apostolos primum Magister edocuit? Non hunc auditus per alterum, non sermo lectus instruxit. Doctus est cum aliis ore Doctoris: non Scripturae, non scriptorum passus est quaestionem. Absolutam et simplicem fidem, et quae controversiam non haberent, accepit. Quam utique meditari semper, et in qua manere debemus; ut sensu puro sequentes apostolos, inter apostolicos esse mereamur. »

Acacius demum (ibi p. 830) Berrhoeae episcopus scribit ad Alexandrum constantinopolitanum inquiens: « Et Episcopus quidem, qui Romae est, unam ad me scripsit epistolam. »

communicato vobiscum labore, componere, *non nova* instituentes, sed vetera renovantes, ut in status consuetudine, quae nobis a Patribus tradita est, perduremus; et Deo nostro, remotis turbationum scandalis placeamus. Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat, apostolicam Sedem pro sui reverentia et a vestrae provinciae sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam; et per diversarum, sicuti vetus poscebat consuetudo, appellationem causarum, aut retractata vel confirmata fuisse judicia. » Deinde hanc illis opponit consuetudinem, qua consulta ab eis Sede apostolica in diversis causis, illorum judicia dicit alias confirmata, alias retractata fuisse.

In epistola 12. scribit ad Anastasium eumdem circa appellationis ordinem. Incipit, *Quanta* etc. In c. II. notatur: « Igitur secundum sanctorum Patrum Canones spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia conservatos, metropolitanos singularum provinciarum episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuae cura praetenditur, jus traditae sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus ita ut a regulis praestitutis nulla aut negligentia aut praesumptione discedant. »

Deinde in c. XI. « Si autem in eo quod cum fratribus tractandum vel definiendum credideris, diversa eorum fuerit sententia a tua voluntate, ad nos omnia sub gestorum testificatione referantur: ut remotis ambiguitatibus, quod Deo placeat, decernatur. Ad hunc enim finem omnem affectum nostrum, curamque dirigimus, ut quod ad unitatem concordiae, et quod ad custodiam pertinet disciplinae nulla dissensione violetur, nulla dissidia negligatur. . . . » Et postquam ostendit, uni discipulorum, idest Petro datum esse, ut ceteris praemineret, subdit: « De qua forma episcoporum quoque orta est distinctio; et magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent: sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia; et rursus quidam in majoribus urbibus constituti, sollicitudinem susciperent ampliorem; per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiae cura confluueret; et nihil usquam a suo capite dissideret etc. »

Ex his itaque litteris inspicitur, siquid dubium vel obscurum invaluerit in nicaenorum Canonum intelligentia circa episcoporum vel metropolitarum jura in suae potestatis exercitio, quali nempe ordine procedendum erat in appellatione ad Sedem apostolicam ex variis provinciis. Adeo enim exposita hîc sunt Leonis dicta, ut nunquam excludatur episcopus vel quisquis alius, ordine servato, a facultate se, cum necesse foret, referendi ad Sedis pontificae judicium. Eoque magis, quod Papa in his casibus sit non solum custos sed et interpres legum ecclesiasticarum. Demum animadvertito, quae ait Papa Anastasio; illum scilicet vocatum esse in partem sollicitudinis, non autem in plenitudinem potestatis, in qua solum Dominus constituit Petri successorem.

Idem Papa epistola 20. scribit ad Eutychen (Labbei ibi p. 1324) sic

inquiens: « Ad notitiam nostram tuae dilectionis epistola retulisti, quod nestoriana haeresis quorumdam rursus studiis pullularet. Sollicitudinem tuam ex hac parte nobis placuisse rescribimus: quoniam index animi tui est sermo, quem sumpsimus, unde non ambigas, auctorem catholicae fidei Dominum tibi in omnibus affuturum. Nos autem cum plenius, quorum hoc improbitate fiat, potuerimus agnoscere, necesse est, auxiliante Domino, providere: quatenus nefandum virus, dudumque damnatum, radicitus possit extingui. Deus te etc. »

Hinc interim inspice Eutychetis presbyteri constantinopolitani obsequium in s. Pontificem, cum, vetusto ordine servato, ad Petri Cathedram retulerit, quae tunc illi provinciae imminerent mala, rogans ut eis consuleret. Deinde Flavianus ob eamdem in pontificium judicium reverentiam litteras mittit ad s. Leonem, ei signifians novam Eutychetis haeresim, atque anathema eidem inflictum. Quapropter Leo epistola 23. (Labbei Tom. V. p. 1337.) ad praefatum Flavianum scribens ait, se accepisse Libellum Eutychetis presbyteri, qui se queritur, accusante Eusebio episcopo, immerito communione privatum, maxime cum evocatum se adfuisse testetur, nec suam denegasse praesentiam, adeo ut in ipso judicio libellum appellationis se asserat obtulisse, nec tamen fuisse susceptum. » Ex praefatis testimoniis tam ex parte Eutychetis tam ex Flaviani, quam ex Leonis parte, hujus primatus et jurisdictio liquent super Constantinopoleos patriarchatum, sicuti tantumdem Eutychetis et Flaviani erga Petri successorem firmatur obsequium; et hoc juxta Ecclesiae Canonem.

Tantumque porro necessarium putavit Flavianus pontificiae auctoritatis consensum in hac sicuti praecedentibus quaestionibus definiendis, ut existimaret ex hujus interventionis defectu totius orbis pertubari ecclesias. Atque ideo in litteris ad Leonem, cujus exordium, *Pietate recta,* concluditur: « Commotus igitur, sanctissime Pater, ob omnia quae ausus est et propter ea, quae adversus nos et sanctissimam Ecclesiam facta sunt et fiunt, solita fiducia utere sicuti Sacerdotio convenit; et vindicans communem rem et sanctarum ecclesiarum compositionem, dignare *per proprias quidem litteras* suffragari depositioni, canonice adversus eum (Eutychetem) factae: confirmare vero piissimi Christumque amantis nostri imperatoris fidem. Res namque solo indiget ex vobis impulsu atque subsidio; quod per vestram prudentiam ad tranquillitatem et pacem cuncta statim translaturum est. Sic enim et quae insurrexit haeresis, et ob eam excitatus tumultus facile cessabit, Deo cooperante per vestras sacras litteras. Prohibebitur vero, et quae evulgatur futura esse Synodus, ut ne sanctissimae totius orbis ecclesiae perturbentur. » (Labbei ididem p. 1351.).

S. Leo ad Dioscorum alexandrinum scribens, ei valde commendat Patrum statuta, et ait: « Quantum dilectioni tuae dominicae caritatis impendamus affectum, ex hoc poteris approbare, quod tua firmius fundare desideramus initia, nequid caritati tuae ad perfectionem deesse videatur, cum

tibi spiritualis gratiae merita, ut probavimus, suffragentur. Paterna igitur et fraterna collatio debet sanctitati tuae esse gratissima, et a te taliter suscipi, quemadmodum a nobis eam intelligis proficisci. Unum enim nos sentire oportet et agere, ut sicut legimus, in nobis quoque unum esse cor, et una anima comprobetur. Cum enim beatissimus Petrus apostolicum a Domino acceperit principatum, et Romana Ecclesia in ejus parmaneat institutis, nefas est credere, quod sanctus discipulus ejus Marcus, qui alexandrinam primus ecclesiam gubernavit, aliis regulis traditionum suarum decreta formaverit: cum sine dubio de eodem fonte gratiae unus spiritus et discipuli fuerit et magistri; nec aliud ordinatus tradere potuerit, quam quod ab ordinatore suscepit. Non ergo patimur, ut cum unius nos esse corporis et fidei fateamur, in aliquo discrepemus; et alia discipuli et alia doctoris instituta videantur. » (Ibidem p. 1240).

Beatus Pontifex loquitur ad patriarcham alexandrinum confirmans illum in fide secundum dominica verba ad Petrum: *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos:* in fide nempe, quam ipse profitebatur Leo in persona Petri ejusdem, pro quo rogavit Christus ne deficeret fides ejus. Ac ita factum est, ut Pontifex ob suum principatum et auctoritatem supra omnem Ecclesiam, et hinc super Orientis patriarchas, rogaret Dioscorum, ne deficeret a fide, quam primus Alexandriae patriarcha Marcus praedicavit in ea regione; et quae eadem erat ac Petri apostoli, a quo acceperat missionem.

Circa an. 450. Leo in epistola 59. (Labbei Tom. VI. p. 58.) scribit ad clerum et plebem Constantinopoleos, cujus initium, *Licet de his* etc. In hac gratulatur Pontifex de eorum devotione in Sedem apostolicam: « De vestrae devotionis pietate gaudemus; et in sanctae plebis acclamationibus, quarum ad nos exempla delata sunt, omnium vestrum probavimus affectum: quia vivit ac permanet apud bonos filios optimi patris justa dilectio; et catholicae doctrinae eruditionem a nulla patimini parte corrumpi. » Paulo post: « Ne manichaeorum impietati in aliquo praeberetis assensum, jam per filium meum Epiphanium, et Dionysium Ecclesiae Romanae Notarium cohortatoria ad dilectionem vestram scripta direximus, quibus confirmationem, quam expetistis, ultro praebuimus etc. »

En quomodo Papa loquitur ad clerum et populum Urbis regiae tanquam ad fideles urbis Romae, nullo interjecto discrimine ac termino suae jurisdictionis et magisterii, quippe totum orbem christianum comprehendentis. En quomodo Leo iis gratulatur ceu filiis sibi devotis. Et quamvis a patriarcha illustris civitatis regerentur, nihilominus ad Petri successorem conversi, quasi patrem acclamarunt, ab ipso confirmari postulantes. Quod idem innovatur in aliis ejusdem Leonis litteris ad Martinum et Faustum presbyteros et archimandritas, quarum principium, *Bonorum operum*: « Siquidem, dicit, inter discretarum spatia longinqua regionum unum sumpserunt corda nostra consilium, ut quod a nobis desideraba-

is, eo vobis tempore, quo epistolae vestrae mittebantur, occurrerit; si tamen dilectioni vestrae tradi scripta nostra potuere etc. » Duo hîc notantur nostro scopo congruentia. Primum pontificia sollicitudo erga dissitarum regionum monachos sicuti in cunctos orbis catholici christianos. Secundo illorum pariter monachorum obsequium erga Petri successorem per epistolam ad Leonem satis patefactum.

Nec secus legitur in epistola 80. ad Anatolium constantinopolitanum, quae incipit, *Gaudemus* (Labbei Tom. VI. p. 108.) ubi Pontifex ait se ab ipso litteras accepisse de illis recipiendis in Ecclesiam haereticis, quoties communionem cuperent. In quarum fine ut supremus Doctor scribit Leo: « De ceteris vero causis et personis dilectio tua litteris, quas per nostros accipiet, plenius instruetur. »

Item de jure supra ecclesiam alexandrinam s. Pontifex in litteris ad ipsum Anatolium inquit: « Nihil alexandrinae sedi ejus, quam per s. Marcum evangelistam beati Petri discipulum meruit, pereat dignitatis; nec Dioscoro impietatis suae pertinacia corruente, splendor tantae ecclesiae tenebris obscuretur alienis » Deinde in epistola ipsius Leonis ad Proterium ejusdem urbis praesulem inquit: « Oportebat enim ut ab ipso talia scripta mitterentur ad Sedem apostolicam (epist. 105.) quae ostenderent magisterio beatissimi Petri apostoli hoc ab initio per beatum Marcum ejus discipulum didicisse aegyptios, quod constat credidisse romanos. » Antea namque scripserat Proterius ad Pontificem epistolam de fide sua.

Theodoretus Cyri episcopus in Libro I. Hist. Eccles. c. IV. Canonem apostolicum citat, cui, in Libro V. c. X. scribit, quicumque repugnaverit, perire. Hunc porro Canonem relate ad argumentum de appellatione ad Petri Cathedram in sacris quaestionibus repetit in Libro II. c. III. inquiens Julium Papam mandasse Athanasio ejusque adversariis, ut Romam venirent ad dicendam causam. Quare ipsemet Theodoretus deinde octingentarum ecclesiarum curam sortitus, nequissime a sua sede expulsus ex pseudosynodi ephesinae decreto, hunc secutus Canonem mittit ad s. Leonem (an. 449.) eumque suae fidei judicem vocat adversus accusatores suos; quemadmodum, inquit, beatus Paulus, etsi praeco veritatis, ad magnum Petrum se contulit: « Multo magis, addit, humiles et pusilli ad apostolicam Sedem vestram accurrimus, ut ecclesiarum ulceribus remedium accipiamus. » Paulo post: « At ego apostolicae vestrae Sedis expecto sententiam: et oro et obtestor Sanctitatem tuam, ut mihi rectum et justum tribunal vestrum invocanti, opem ferat, jubeatque ad vos venire, et doctrinam meam apostolicis vestigiis inhaerentem ostendere. » Demum concludit: « Ante omnia ut a vobis docear oro, an me oporteat in hac injusta depositione acquiescere, an non. Vestram sententiam expecto. »

Hinc, quin notetur s. Leonem in epistola 95. orthodoxiam Theodoreti

comprobasse, calumniosas refellendo in eum actas criminationes, apprime constat, Cyri episcopum, cum nec apud metropolitam antiochenum, nec multo minus apud alexandrinum, a quo condemnatus est, causam suam agere liceret, Romam ad Petri successorem ab intima Asiae regione appellasse, illius Canonis apostolici et ecclesiastici memorem; quem Paulus ac ceteri cum eo contendentes de legalibus sive de circumcisione nec ne graecis fidelibus imponenda, rite servarunt: cum ideo Antiochia profecti, Hierosolymam Simonem Petrum consulturi venerunt.

Huic autem appellationi facit, quod Valentinianus in Novella 3. mandavit: « nequid tam episcopis gallicanis quam aliarum provinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis Papae urbis aeternae auctoritate tentare. Sed hoc illis et omnibus *pro lege* sit, quidquid sanxit vel sanxerit apostolicae Sedis auctoritas. » Cum itaque Valentinianus citat veterem consuetudinem, eamque uti legem habendam esse jubet, instante Leone Papa, non nisi Canonem antiquum indicat ab aevo apostolico in Ecclesia statutum de Cathedrae Romanae primatu in orbe christiano, ad quam omnia negotia sacra referenda erant. *Referte ad me, et ego audiam.* Nec aliter Papa ad Maximum antiochenum scribens ab initio epistolae 119. inquit se ejusdem Maximi accepisse litteras: « Quantum dilectioni tuae placeat communis fidei sacratissima unitas, et pacis ecclesiasticae tranquilla concordia, litterarum tuarum textus ostendit; quas ad me filii nostri Marianus presbyter et Olympius diaconus detulerunt. »

Praeterea idem in Litteris ad Basilium episcopum antiochenum scribit (an. 457. epist. 149). « Ordinationem quidem dilectionis tuae secundum ecclesiasticum morem tuo vel fratrum nostrorum provincialium episcoporum debueramus sermone cognoscere. Sed quia non defuerunt causae, quae possent hanc diligentiam praepedire etc. » Deinde non dubitans eidem comperta esse Alexandriae commissa ab eutychianorum furore, subdit: « Pro ea sollicitudine, quam omnibus ecclesiis Dei debeo, haec scripta direxi, quibus dilectionem vestram credidi commonendam, ut sceleratis ausibus sancta constantia resistatis etc. » Duo notantur in hac epistola. Primum arguens Papa episcopum antiochenum, quod omiserit eidem significare ordinationem suam, antiochenae ecclesiae Romano Pontifici subjectionem manifestat. Deinde omnium ecclesiarum sollicitudinem suam notans s. Leo, se unum pastorem pastorum, et rectorem totius christiani orbis constituit. (Labbei Tom. VI. pag. 314.).

Eadem porro monita innovat s. Leo scribens ad Euxithaeum thessalonicensem et Juvenalem hierosolymitanum, rogans: « ut quae ex divina sunt inspiratione composita, nulla patiamini novitate temerari. » (ep. 122.) Circa istud tempus episcopi aegyptii ad Leonem Augustum scribunt adversus Timotheum Cathedrae alexandrinae invasorem, ejusdemque rogant mediationem apud Romanum Pontificem.

Et haec docuit et scripsit s. Leo de sacra in Ecclesia Catholica monarchia. Quae cum omnium oculis orthodoxorum et heterodoxorum sint aperta ut non indigeant demonstratione, frustra aristocratici et democratici instituti vindices, huic soli Leoni et primo, quasi veteris institutionis violatori, inscribere existimarunt monarchicum Ecclesiae regimen. Ad quorum ideo refutandam illusionem, pro viribus meis primaeva Christianismi monumenta scrutatus, sicuti ex praemissis constat, objicere sategi, unisonam et concordem Patrum veterum repetens vocem, uni Petro et successoribus suis in Cathedra Romana sedentibus, claves regni Coelorum traditas esse acclamantium.

Nihil sane nihil de hac institutione innovavit sanctus Pontifex. Nonne is est, qui saepe praefatas epistolas, de Episcopatus Romani praestantia agens, munit cum formulis vulgatis: *traditio veteris instituti, vetus consuetudo, sanctorum Patrum Canones, mos ecclesiasticus.* Idcirco non ipse primus Leo fundator monarchiae christianae dicatur; sed ipse haeres tanti honoris, quod a Patribus accepit, hoc docuit firmavitque in ordine Ecclesiae Catholicae. Et hoc idem ab omnibus universae Ecclesiae episcopis adsertum est, nullo refragante vetustae institutioni a Christo et ab apostolis in regimine populi christiani praescriptae; adeo ut in actis ecclesiasticis, veluti ex praefatis constat, in quinque fere seculorum intervallo, vix unus reperiatur episcopus orthodoxus, qui in re gravi ex regionibus etiam longinquis ab Urbe, praetermissa Petri Cathedra, appellaverit ad Synodum provinciae, vel ad Concilium oecumenicum. Quod abundantius in sequentibus patefiet.

CAPUT XVI.

Praxis ab Ecclesiae primordiis in cunctis christiani orbis regionibus ab haereticis et delatoribus bona vel mala fide servata referendi vel appellandi ad magisterium et judicium Sedis apostolicae.

Quantum in fidelium animis ab evangelicae praedicationis initio insita invalesceret persuasio, a Christo uno in Ecclesia una magisterium unum institutum esse, ad quod cuncta sacra negotia referenda erant, testatur non solum catholicorum omnium consensus, sed et haereticorum consuetudo, qui priusquam ab Ecclesia catholica scinderentur prorsus, de aliquo dogmate cum fratribus disputantes, nec inter se convenientes, judicem talem appellarunt, quem patria traditio ex ore Christi derivata eis assignaverat in persona Petri et successorum suorum. Adeo vero solidata et universim accepta haec fides erat, ut priscorum monumenta scrutati vix ullum inveniamus de quovis christianorum coetu, qui non ita senserit. Omnes namque ex his et quovis hierarchiae gradu decorati, unum ultro honorarunt Episcopum Romanum universalis Ecclesiae doctorem: ad quem ideo cunctae referendae erant quaestiones: *Referte ad me et ego audiam.* Quapropter etsi in praefatis quandoque obiter disputatum sit de hac re, nihilominus, ut magis argumentum nostrum praepolleat coram adversariis, in distincto capite latius exponendum esse putavimus.

Apostolorum Acta c. XV. testantur, orta quaestione, num gentes, quae crediderant, subjiciendae forent circumcisioni, contradicentibus ex phariseorum secta viris, delatam esse causam Hierosolymam ad apostolos, in quibus Petrum; cujus judicio definita est.

Irenaeus (teste Eusebio Hist. Eccles. Lib. IV. c. XI.) narrat Cerdonem haereticum ex Syria Romam venisse sub Pontificatu Hygini, et ab eo in Ecclesiam admissum fuisse, exacta erroris sui confessione; quamvis non perseveraverit.» Ex Syria, inquam, Romam venit Cerdon, Syriae metropolim Antiochiam praeteriens; conscius sedem antiochenam minime praestare Petri Cathedrae.

Marcion ponticus de civitate Synope ab Ecclesia expulsus ob stuprum, cum ab episcopo veniam impetrare nequiverit, Romam venit: « Eo statim ac ipse pervenit, ad presbyteros adiens, qui ab apostolorum discipulis edocti adhuc supererant, ut in communionem admitteretur ab iis frustra petiit. (Epiphanius Haer. 42. n. 1.) » Ab hac interim tam dissita regione Marcion apostolica traditione imbutus Romam venit ad Petri successorem; cui tradidit Christus claves regni coelorum.

Eusebius in Libro V. Histor. Eccles. c. III. narrat quomodo Mon-

tanus, Alcibiades, et Theodotus pietatem simulantes, Eleuthero Pontifici illudere per litteras conati sint, callide errorem suum obtegentes. Sciebant enim quanta auctoritate pollebat Sedis apostolicae judicium. Quod et tentavit tunc Praxeas, teste Tertulliano in Libro adversus hunc edito.

Ruffinus *De librorum Origenis adulteratione,* hujus citat epistolam ad amicos alexandrinos, in qua Origenes ait, quemdam maledicum haeretica dogmata edidisse suo nomini inscripta, et sub hac inscriptione misisse ad Romanum Pontificem, ut ea condemnarentur cum suo auctore. Ad Pontificem itaque judicem se vertit anonymus delator, tanquam supremum Ecclesiae Catholicae moderatorem.

S. Cyprianus in epistola 67. ad Felicem presbyterum et socios de Basilide ab episcopatu deposito ait: « Nec rescindere ordinationem jure perfectam id potest, quod Basilides (Legionis et Asturicae) episcopus post crimina sua detecta, et conscientiam etiam propria confessione nudatam, Romam pergens, Stephanum collegam nostrum longe positum, et gestae rei et tacitae veritatis ignarum fefellit; et exambivit reponi se injuste in episcopatum: de quo fuerat juste depositus. » Nisi enim Basilides Antistitem Romanum sciret jus suum exercere supra cunctos orbis episcopos, frustra Romam ab Hispania profectus esset ut in suam sedem restitueretur.

Teste ipso Cypriano in epistola 59. ad Cornelium Papam, Felicissimus et Fortunatus cum aliis a Synodo africana damnati et ab Ecclesia expulsi, *Romam navigarunt ad Petri Cathedram,* a patria institutione edocti, judicium Sedis apostolicae synodali antecellere auctoritati: « Post ista, scribit Cyprianus ad Cornelium, adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab haereticis constituto, navigare audent; et ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre, nec cogitare eos esse romanos, (quorum fides, praedicante Apostolo, laudata est) ad quos perfidia habere non possit accessum. »

Gregorius sedis alexandrinae invasor, retinendae dignitatis percupidus, optatissimum sibi esse putans, si Julii Papae suffragio et consensu posset in occupata sede consistere, oratores Romam usque mittit.

S. Athanasius in epistola *De sententia Dionysii alexandrini,* hujus citans litteras ad Ammonium et Euphranorem adversus haeresim Sabellii, inquit, nonnullos Ecclesiae fratres, clarae quidem doctrinae viros, quin eum sciscitarentur, qua de causa ita scripsisset, Romam se contulisse, illumque accusasse apud Dionysium cognominem Romanum Episcopum etc. Quare, dico ego, isti fratres Romam ab Aegypto profecti sunt ad Petri Cathedram Dionysium insimulandi causa, nisi scientes, hanc Cathedram ceteris praestare sedibus episcopalibus sive Alexandriae sive Antiochiae vel Hierosolymorum, aut quibusvis in toto orbe erectis, ad quam ideo omnia Ecclesiae negotia referenda erant et ab ea judicanda?

Athanasius in Historia ariana n. 9. 10. 11. narrat eusebianos, cum adverterent vires frangi suae haereseos, litteras misisse Romam ad Julium Papam adversus seipsum. Eaque propter Julius statuit Synodum cogi, ut decerneret quid veri esset de insimulationibus in eundem Athanasium jactis. Hinc notetur hos eusebianos loca Orientis habitare et loca persis finitima. Nihilominus ab hac regione, inaudito sedis antiochenae metropolita, quem adversarii pari Cathedrae Romanae muniri auctoritate arbitrantur, ad hanc, ea relicta, petunt. Et ob hoc Julius in epistola locutus de Athanasii et Marcelli accusatoribus inquit: « *Nos sibi demum suffragatores esse volunt,* persuasi frustra laborasse contra praefatos sanctos viros, nisi accessisset Antistitis Romani suffragium. Julius vero potestate usus, qua a Christo Jesu cumulatus est, *pasce oves meas,* eas nempe quae sunt in toto orbe, per litteras mandavit eusebianis de haeresi suspectis, ut Romam se conferrent intra praefinitum tempus, rationem de sua fide reddituri.

Eusebiani, teste Sozomeno Lib. III. Hist. Eccles. c. VIII. de quibus inferius, per legatos mittunt ad praefatum Julium litteras: in quibus fatentur Ecclesiam Romanam penes omnes magnificari; quippe ab initio extiterit apostolorum Schola, et Metropolis Religionis.

Item Athanasius in Apologia contra arianos n. 58. scribit: « Haec cum viderent Ursacius et Valens, sua se damnante conscientia, Romam sunt profecti, peccatumque suum poenitentia ducti confessi sunt, ac veniam postularunt: ac Julio Romae veteris Episcopo, itemque nobis haec scripserunt. « Quoniam constat nos antehac multa gravia de nomine Athanasii episcopi litteris nostris insinuasse; atque litteris Sanctitatis tuae conventi, ejus rei, de qua significavimus, non praestitisse rationem: profitemur apud Sanctitatem tuam, cunctis praesentibus presbyteris fratribus nostris, omnia quae antehac ad aures nostras pervenerunt de nomine praedicti, falsa a nobis esse insinuata, et omnibus carere viribus: atque ideo nos libentissime amplecti communionem praedicti Athanasii, maxime cum Sanctitas tua pro insita sibi benevolentia errori nostro veniam dare fuerit dignata. Profitemur etiam, quod si aliquando nos orientales voluerint, vel idem Athanasius, malo animo ad causam vocare, citra conscientiam tuam non adfuturos..... Haec manu nostra, qua scripsimus, profitemur, et iterum dicimus: haeresim arianam et ejus auctores in perpetuum damnamus. »

Per hanc Ursacii et Valentis confessionem, qui praetereuntes metropolitarum sedes, se ad Petri Cathedram per litteras recipiunt, veniam ab eo petunt, spondentque, se deinceps extra Sedis apostolicae conscientiam haud his adstituros causis, abunde per haec profitentur huic Sedi subjectionem: quam prae ceteris Orientis sedibus honorandam esse ab avita traditione didicerunt; ac ideo ab ea expectandum esse judicium justum et veritatis vocem testantur.

Item Eustathius et socii per litteras ad Liberium Papam suae fidei professionem mittunt etsi non sincera mente expositam, et ajunt: « (Labbei Tom. III. p. 112. et s. Basilius epistola 263. ad occidentales.) Propter insanas haereticorum opiniones.... ego Eustathius episcopus urbis Sebastiae, et Theophilus et Sylvanus legati hanc professionem propriis manibus et nostra sponte conscripsimus. Quod, siquis post hanc fidem a nobis expositam, adversus nos aut illos, a quibus missi sumus, aliquam criminationem adferre voluerit, cum litteris Sanctitatis tuae coram orthodoxis episcopis, qui a te probati fuerint, veniat, et apud illos judicio contendat nobiscum etc. » Quomodocumque vero hanc episcoporum obtestationem acceperis, sinceram aut non, consequitur tamen eosdem considerasse Episcopum Romanum judicem supremum fidei controversiarum inter episcopos promotarum: propter quas etsi in regionibus longinquis siti ad ejusdem Cathedram appellarunt. Item macedoniani, teste Socrate in Libro IV. c. XII. mittunt legatos ad Liberium rogantes ut admitterentur in Ecclesiam Catholicam.

Athanasius ad Monachos arianorum Historiam texens, n. 35. inquit, hos scripsisse ad Liberium, arbitratos, si forte huic persuasissent impiam doctrinam, cunctos fuisse Arii impietati subcripturos. Et quidem non Synodi invocarunt judicium in sua causa, sed illius, quem sciebant universam docere Ecclesiam, et ceteris praestare episcopis. [1]

Coustantius (p. 597. an. 381.) narrat priscillianistas damnatos in Concilio caesaraugustano, Romam profectos apud Pontificem Damasum, se purgare cupientes: quamvis ne in aspectum quidem Papae admissi sint: cum mentiri, jurare, pejerare religionem non haberent. »

Teste Palladio in Vita s. Chrysostomi c. III. Acacius, Paulus, Antiochus, Cyrinus, Severianus scribunt ad Innocentium Papam contra s. episcopum. Similiter alii ab Orientis regionibus et ab ipsa civitate Nisibi litteras mittunt in ejusdem Joannis causa: cuncti simul existimantes judicium controversiae inter eos ortae de Joanne, spectare ad Sedem apostolicam.

Idem Pontifex in litteris ad episcopos africanos inquit, Pelagium ad se scripsisse: « Nobis tamen (ait n. 3.) nec persuadere potest, eum esse purgatum, quamvis ad nos a nescio quibus laicis sint gesta perlata: quibus ille et auditum se crederet et absolutum (Gallandi Tom. VIII. p. 604. 610.). » Scripserat enim ad Papam Pelagius, questus se injuste damnatum, exponensque quae ad sui defensionem apta putavit. Sed manifestius Augustinus in Libro 2. contra eum Pelagium et Caelestium, fidei illorum

[1] Ceterum nemo ignorat, quod scribit Ammianus Marcellinus in Libro XV. c. VII. enarrans Constantii studium in damnatione s. Athanasii. Licet enim, ait, Imperator hoc iniquissimum decretum ab episcopis obtinuisset, tamen: « auctoritate quoque potiore aeternae Urbis Episcopi firmari desiderio nitebatur ardenti. » Per haec uterque et Constantius et Ammianus amplissimae Sedis apostolicae auctoritati praestitere suffragium.

professionem citat Romam missam, ubi ajunt: « Haec est fides, Papa beatissime, quam in Ecclesia didicimus, quamque semper tenuimus et tenemus; in qua si minus perite, aut parum caute, aliquid forte positum est, emendari cupimus a te, qui Petri et fidem et Sedem tenes. Sin autem nostra professio Apostolatus tui judicio comprobatur, quicumque me maculare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non catholicum, non me haereticum, comprobabit. »

In hac fidei confessione emissa a Caelestio, si hinc lugenda est errantis coecitas, qui cupiens erudiri de veritate, se vertit ad ejusdem veritatis Doctorem, quin tamen, ceu versipellis, sanae illius doctrinae attenderit, etiamsi spopondisset; inde simul luculentissimum nobis exhibetur testimonium reverentiae erga Cathedram Romanam: quam *Petri Sedem* vocat; et cujus fidem dicit possidere Innocentium. Et haec erat catholicae fidei tessera, quam Pelagius et Caelestius (priusquam ab Ecclesia scinderentur) et totus orbis christianus profitebantur erga Episcopum Romanum.

Nestorius monachus ob eximiae sanctitatis famam a Theodosio imperatore evectus ad sedem constantinopolitanam, zelo ardentissimo, teste Lirinensi in *Commonitorio,* primum cunctos insectatur errores; donec ipse in haeresim lapsus est. Priusquam vero ab Ecclesia Catholica penitus abscinderetur, avitam et apostolicam traditionem secutus, Petri Cathedram pie reveritus est, ad hanc, quoties necesse erat, se conferens, ut ejus testantur epistolae. Cum enim nonnulli tunc ab episcopis occidentalibus excommunicati, confugerint ad imperatorem, Nestorius scribit ad Caelestinum Papam, ab eo consilium petens de praefatis viris, inquiens (Labbei Tom. IV. p. 1023. Coustant. p. 1079.): « Saepe scripsi Beatitudini tuae propter Julianum, Orontium et ceteros, qui sibi usurpant episcopalem dignitatem: et creberrimam aditionem apud piissimum et praedicatissimum imperatorem faciunt; nosque concidunt frequentibus lamentationibus, tanquam orthodoxis temporibus de Occidente projecti. At hucusque scripta de his a tua veneratione non suscepimus. Quae si haberem, possem eis respondere; et darem compendiosum responsum luctibus eorum. Nunc autem ab incertis eorum dictis, non habet quis ad quod se convertat, aliis haereticos eos vocantibus, et ideo de occidentalibus partibus projectos esse dicentibus . . . Dignetur igitur amantissima Dei anima informare nos: qui ad utrumque momentum hucusque dividimur, idest ad odium et ad miserationem eorum. Doceri autem volumus, quam de his sententiam teneamus etc. »

Quamvis in his litteris Nestorius, in Sede constantinopolitana collocatus, videatur pelagianorum causae favere, attamen nec se gerit quaestionis arbitrum, nec contemnit adhuc judicium Sedis apostolicae. Quod satis declaravit cum ait Papae: *volumus autem doceri, quam sententiam de his* (pelagianis) *teneamus.* Deinde (Coustant p. 1083.) scribens de Cyrillo in-

quit: « Is vero omittens mihi per epistolam declarare, siquid ei tanquam blasphemum vel impium videbatur notari debere, convictionum terrore permotus et adjutrices ob hoc pertubationes exquirens, ad Romanum Caelestinum convertitur, quippe ut ad simpliciorem, quam qui possit vim dogmatum subtilius penetrare. Et ad haec inveniens viri illius simplicitatem, circumvenit etc. » Si ita foret de Caelestino, ut ait Nestorius, quare in praecedentibus epistolis, primum Pontificis hujus celebrat vigilantiam, zelum veri pastoris? ac insuper in secunda eumdem precatur, ut se informet ac doceat quid sentire debeat de pelagianis? Et quare paulo post Nestorius spernit Caelestini judicium hunc vocans virum simplicem, indoctum, nescium sublimium penetrare dogmatum vim?

In Scripto synodico adversus Tragoediam Irenaei c. 117. citantur litterae episcoporum Eutherii thianensis et Helladii tharsensis etc. ad Xystum Papam III. contra Cyrillum alexandrinum. In his etsi accusationis iniquitas undique pateat in orthodoxiam Cyrilli latae, nostro tamen proposito admodum satisfaciunt eorumdem sensus erga Sedem apostolicam. Ita namque alloquuntur Pontifici: « Multam providentiam humani generis per singula tempora faciens Dominus Jesus Christus, alio tempore, alia luminaria praeparavit ad eorum ducatum, qui bonae sunt voluntatis et convinctionem contrariorum, et ad mendacii quidem destructionem, veritatis autem confirmationem. Sicut etiam sub amaro illo Pharhaone beatum Moysem contra Jamnes et Mambre, et sicuti super Simonem magum Petrum bene vincentem, ita et contra eos, qui nunc insurrexerunt, inimicos, tuam protulit Sanctitatem; per quam bonae spei sumus.... Et olim, siquidem saepius jam ex Alexandria hujusmodi haereticis zizaniis insurgentibus, *suffecit vestra apostolica Sedes* per universum tempus illud, ad mendacium convincendum et impietatem reprimendam, et corrigenda, quae necesse fuit, et muniendum orbem terrarum ad gloriam Christi, tam sub illo ter beato et inter sanctos habendo Damaso, quam sub pluribus aliis gloriosis et admirabilibus etc. » (Labbei Tom. V. p. 893.)

Profecto encomium, quo praefati episcopi, ceterique de regione Euphratis, de utraque Cilicia, de secunda Cappadocia, de Bithynia, Thessalia, et Moesia prosequuntur Xystum Papam et cum eo Sedem apostolicam, ejusmodi est, ut rubore et confusione suffundat cunctos et veteres et recentiores Petri Cathedrae oppugnatores, ejusdemque divini magisterii, et auctoritatis supra Ecclesiam universam. Et quid amplius ab his episcopis desideratur, cum ajunt hanc sublimem Cathedram in omne tempus suffecisse et sufficere ad convincendum mendacium, ad reprimendam impietatem et errores detegendos? Et quid insuper desideratur pro confirmatione apostolicae consuetudinis appellandi ad hanc Cathedram, et pro judicii illius sufficientia, ita ut haud necesse sit, nec alios adire judices, nec episcopos, nec Synodum oecumenicam convocare? Sicuti Moyses solus, inquiunt, suffecit in resistendo Pharaoni; sicuti Petrus solus

suffecit adversus Simonis praestigia: ita apostolica Sedes per Xystum suffecit et sufficiet ad impiorum dogmatum refutationem.

S. Leo Papa in epistola 1. ad episcopos provinciae Mauritaniae, inquit, Lupicinum antistitem damnatum a Synodo africana, appellasse ad Sedem apostolicam.

Eutyches a Synodo damnatus ad Leonem scribens ait: « Rogabam ut innotescerent ista sanctitati vestrae, et quid vobis videretur, judicaretis, profitens omnibus modis, me secuturum, quae probassetis..... Ad vos igitur religionis defensores, et ejusmodi factiones execrantes, confugio, nihil et nunc novum inducens contra fidem..... et obsecro, nullo mihi praejudicio facto ex his, quae per insidias contra me gesta sunt, quae vobis visa fuerint super fidem, proferre sententiam: et nullam deinceps permittere a factiosis contra me calumniam procedere. »

Scripserat enim Eutyches ad Leonem, inquiens, se injuste accusatum ab episcopo Eusebio, et inde per Flavianum a communione privatum. Et quare tantum studium Eutychetis, postquam excommunicatus est a Flaviano constantinopolitano, confugiendi ad Episcopi Romani judicium, una obtestatus, se velle pontificiae definitioni obsequi in omnibus, quae Papae visa forent decernenda? Et quid sibi vult ejusmodi (non tamen sincera) obtestatio Eutychetis coram s. Leone, nisi patriae indicium institutionis in ea provincia excultae, qua ab infantia imbutus erat, de Petri Cathedrae auctoritate supra omnes orbis episcopos, et de supremo divinoque illius magisterio, ad quod omnes referendae erant quaestiones? *Referte ad me, et ego audiam.*

Dioscorus, qui, nemo ignorat, quanta mala Ecclesiae Catholicae intulerit, Eutychetis partibus sumptis, in sua ad episcopatum alexandrinum assumptione scribit ad Leonem; et petit ab eo edoceri circa duas quaestiones de disciplina ecclesiastica, actu perficiens erga Petri Cathedram quod ab antecessoribus suis didicerat, Dionysio et Athanasio.

Demum hoc perficiam Caput cum auctoritate Photii intrusi in patriarchatum constantinopolitanum. Qui probe sciens, imperatoris irritos esse conatus pro sua electione, nisi accederet Sedis apostolicae confirmatio, hanc vel invitus ab ea cogitur implorare, scribens ad Nicolaum I. Pontificem: quam nullimode assecutus est. (Baronius an. 859. n. 59.).

Omnium tandem et singulorum in unum collectis testimoniis, qui cum nomen suum Christo dederint in Ecclesia Catholica aggregati, de quibusdam tamen fidei statutis, bona vel mala fide dubitarunt aut contenderunt, vel quae eis videbantur nondum explicitam sortita esse declarationem, et eos quoque inquam, qui in suspicionem lapsi alicujus erroris vel criminis, deferebantur ad episcopos, ad metropolitas aut ad Synodos, ac proinde judicati et condemnati extra Ecclesiam facti, in cunctis orbis christiani provinciis, nullum legitur, ob praefatas causas alio se vertisse aut ad antistitem alexandrinum, vel antiochenum, hierosolymitanum,

CAPUT XVII.

Veterum et recentiorum argumenta refutantur de Liberii Papae lapsu in haeresim arianam: et primum ex s. Athanasii scriptis.

Postquam tanta sollicitudine hucusque Pontificatus Romani vindicavi praerogativas, ac illam praecipue, quae ejusdem spectat infallibilitatem in rebus fidei et morum decernendis, fortasse nonnulli stantes objicient Liberii Papae lapsum, quod pravitati arianae haereseos subscripserit et Athanasii damnationi. Quapropter in hoc capite mihi visum est peculiari tractatione hanc agere causam, sinens in praesentiarum innovare quod theologi docent, Liberium non errasse in fide. Duae enim, inquiunt, conditiones requiruntur, ut Romani Pontifices in dogmaticis definitionibus errasse dicantur. Prima, ut error sit reapse contra fidem. Secunda ut hunc errorem ex Cathedra docuerint, vel proposuerint tenendum universae Ecclesiae. Quae conditiones ambae desiderantur in Liberio. »

His, inquam, omissis conditionibus quippe non necessariis; et aliunde studiose ponderatis collatisque veterum documentis, vera a falsis seligendo, mihi videretur nec in magnis nec in parvis errasse Liberius: et quae de ipso narrantur errata, partim derivasse ab arianorum perfidia, et partim a studio Romae excitato pro Felice, qui in urbe, exulante Liberio, vices gerebat Pontificis. Valde enim aegreferebant ariani Liberii reditum ab exilio, mandante Constantio. Eaque propter prodiderunt in vulgus ipsum subscripsisse formulae arianae; et Athanasii consensisse damnationi. Nisi quod, cum supra commentitias narrationes aedificarint hoc facinus, ac singuli concordes quidem in mentiendo, discordes vero in his mendaciis compingendis, arbitrarie nulla habita ratione aetati, locis et personis ita se gesserint, ut comparatis seduloque expensis ejusmodi circumstantiis, patentius eruatur accusationis falsitas.

Ac interim praemittantur documenta, adversariis praestantiora visa contra Liberii fidem. Et primum documentum sit epistola eidem inscripta et ad orientales missa cum hoc titulo et tenore: « Dilectissimis fratribus presbyteris et episcopis orientalibus salutem. Pro deifico timore sancta fides vestra cognita est Deo et hominibus bonae voluntatis. Sicut Lex loquitur, *justa judicate filii hominum*, ego Athanasium non defendo: sed quia susceperat illum b. memoriae Julius episcopus decessor meus, verebar ne ab aliquo praevaricator judicarer. At ubi cognovi, quando Deo placuit, juste vos illum condemnasse, mox consensum commodavi sententiis vestris, litterasque super nomine ejus per fratrem nostrum Fortunatianum dedi perferendas ad imperatorem Constantium. Itaque amoto

Athanasio a communione omnium nostrum, cujus nec epistolia a me suscipienda sunt, dico me cum omnibus vobis et cum universis orientalibus episcopis, seu per universas provincias pacem et unanimitatem habere.

« Nam ut verius sciatis me vera fide per hanc epistolam loqui, dominus et frater meus communis Demophilus, qui dignatus est pro sua benevolentia fidem vestram catholicam exponere, quae Sirmio a pluribus fratribus et coepiscopis nostris tracta, exposita et suscepta est ab omnibus, qui in praesenti fuerunt, hanc ego libenti animo suscepi, in nullo contradixi, consensum accommodavi; hanc sequor; haec a me tenetur. Sane petendam credidi sanctitatem vestram, quia jam pervidetis in omnibus me vobis consentaneum esse, dignemini communi consilio ac studio laborare, quatenus de exilio jam dimittar; et ad Sedem, quae mihi divinitus tradita est, revertar. » Inter s. Hilarii scripta, de quibus mox, citatur alia epistola ad universos Orientis episcopos, cujus initium, *studens paci* etc. eidem Papae inscripta.

Item in epistola 11. ad Ursacium, Valentem et Germinium, ubi fere eosdem innovat sensus, horum virorum opem implorat, ut ab exilio revocetur. « Et hoc scire vos volo, quod fratrem Fortunatianum petii ut litteras meas ad clementissimum imperatorem perferat, quas ad orientales episcopos feci, ut scirent ipsi una secum Athanasii communione me esse separatum.... Scire autem per vos volo etiam fratres et coepiscopos nostros et Vincentium pacem me et communionem ecclesiasticam cum ipsis habere: quos credo gratanter suscepturos. »

Nec secus in sequente epistola 12. scribit ad Vincentium ut cum episcopis Campaniae conveniat ac una scribant ad Constantium: » quo possim de magna tristitia liberari... Ego me ad Deum absolvi, vos videritis: si volueritis me in exilio deficere, erit judex Deus inter me et vos. »

De ceteris consulas *Fragmenta* ex Libro s. Hilarii pictaviensis (unde Coustantius p. 421. transcripsit praefatas epistolas): « in quo sunt, quae ostendunt vel quómodo, quibusnam causis, quibus instantibus sub imperatore Constantio factum est Concilium ariminense contra *Formellam* nicaeni tractatus, qua universae haereses comprehensae erant. » [1]

Athanasius in Historia arianorum ad Monachos n. 41. Liberii exilium narrans scribit: « Sic itaque a principio ipsam Romanam Ecclesiam labefactatum aggressi sunt ariani, optantes suam illi admiscere impietatem. Porro Liberius extorris factus est: ac timens quam minabantur

[1] S. Hilarii Operum Tomus II. p. 605. Veronae 1730. apud Vallarsium, cum Praefatione Nicolai Fabrio: cujus initium: « Praeclarum hoc antiquitatis monimentum etc. » In fine Fragmenti VI. n. 4. dicitur: « Post haec omnia, quae vel gesserat vel promiserat Liberius, missus in exilium universa in irritum deduxit scribens praevaricatoribus haereticis arianis. »

mortem, subscripsit. Verum ea ipsa re comprobatur tam violentia eorum quam Liberii odium in illam haeresim, ejusque pro Athanasio suffragium, quando scilicet libere arbitrio suo agere licuit. »

S. Hieronymus *De viris illustribus* c. 97. « Fortunatianus afer, ait, aquilejensis episcopus...in hoc detestabilis habetur, quod Liberium Romanae Urbis episcopum pro fide in exilium pergentem, primus sollicitavit ac fregit, et ad subscriptionem haereseos compulit. » Item in Chronico: « Verum Felix cum ab arianis in Sacerdotium fuisset substitutus, plurimi pejerarunt; et post annum cum Felice ejecti sunt; quia Liberius taedio victus exilii et in haereticam pravitatem subscribens, Romam quasi victor intraverat. »

Et haec sunt ejusdem Liberii aetatis aut huic viciniora documenta, quibus innituntur adversarii in ipsius damnationem: quae quantae sint auctoritatis, successiva demonstrabit oratio. Et primus subeat Athanasius; qui etsi hostilis videatur Liberio (ut ex praemissis) attamen qui sednlo illius scripta rimatus fuerit, secus necessario putabit. Is enim in Apologia Contra arianos amicis suis inscripta, ne illuderentur calumniosis illorum criminationibus contra se vulgatis n. 88. inquit: « Cum igitur hac de causa in Gallias simus relegati, quisnam imperatoris propositum, et sanguinarium eusebianorum animum hinc non animadvertat? Quis non videat imperatorem illud eo egisse, ut ne majorem illi in nos conflarent conspirationem? Nam simplici animo aurem illis praebuit. Hoc fuit eusebianorum opus: haec ipsa suae in nos conspirationis molimina. Quis haec advertens non fateatur nullam indulgentiam aut gratiam in causa nostra locum habuisse, sed jure et merito tantam episcoporum turbam et privatim singulos, et congregatos talia in nostram defensionem conscripsisse, et inimicorum sycophantiam damnasse? Quis conspectis ejusmodi rebus, non fateatur Valentem et Ursacium jure sese reos declarasse, ac resipiscentes ejusmodi litteras adversus se conscripsisse, quod mallent aliquantisper pudore suffundi, quam aeternum sycophantarum supplicium luere?

N. 89. « Διὰ τοῦτο γὰρ δικαίως Ob hoc enim juste et juxta ecclesiasticas leges beati comministri nostri, cum nonnulli dubias esse res nostras affirmarent, et niterentur judicia pro nobis lata abrogare, aerumnas quaslibet sustinere et in exilium pelli maluerunt, quam tot tantorumque episcoporum judicia abrogata cernere. Si itaque veri episcopi nostris insidiatoribus, qui ea, quae pro nobis gesta essent, subvertere conabantur, verborum tantum tenus obstitissent: aut si vulgares fuissent homines, et non eximiarum urbium episcopi et capita tantarum ecclesiarum; suspicandum sane foret, ne gratia quadam aut favore ducti, nostri causa jam contenderent.

« Cum autem non solum verbis mihi patrocinati sint, sed etiam exilium passi et ex eorum numero sit Liberius Episcopus Romae; nam etsi

exilii aerumnas ad finem usque non toleraverit: attamen quod conflatam in nos conspirationem probe nosset biennio in exilii loco est commoratus: cum etiam ex eorum numero sit magnus ille Hosius cum episcopis Italiae..... Nam licet ipse (Hosius) ad breve tempus Constantii minis perterritus iis non obsistere videretur, attamen ingens illa vis..... et plagae palam faciunt eum, non quod reos nos existimaret; sed propter senectutis infirmitatem plagas non ferret, ad tempus illis cessisse; aequum sane fuerit, omnes, utpote rei certiores factos, injustitiam illam et vim nobis illatam magis ac magis odisse ac perhorrescere: ideo maxime, quod planissimum sit, non ulla alia de causa, quam propter impietatem hujusmodi mala esse perpessos. »

N. 80. « Siquis igitur, quae nos spectant, simulque eusebianorum sycophantiam discere cupiat, is quae nostri gratia scripta sunt, legat, et testes accipiat non unum aut duos vel tres, sed tantam episcoporum multitudinem. Testes iterum Liberium, Hosium eorumque socios, sumat: qui cum adversus nos gesta facinora conspiceret, extrema pati maluerunt ἢ προδοῦναι τὴν ἀλήθειαν quam prodere veritatem et nostri gratia judicium. Idque ex bono et sancto consilio egerunt: mala enim, quae isti pertulerunt, quam vim alii quoque episcopi perpessi sunt, indicant. Sunt autem ea ipsa monumenta et cippi contra sycophantarum malitiam erecta: sunt etiam forma et exemplar posteris nostris, ut pro veritate usque ad mortem decertent; arianamque haeresim Christo inimicam et antichristi prodromum perhorrescant: neque illis adversus nos loquentibus fidem habeant. Apologia enim et suffragium tot ac talium episcoporum pro fide digno et sufficienti innocentiae nostrae testimonio habenda sunt. »

Et haec narrat Athanasius in Apologia scripta post Liberii reditum ab exilio: in qua continetur historia vitae suae et obtestationes adversus arianorum obtrectationes. Ac interim cunctis studiose animadversis circumstantiis, quibus adornatur Apologia, non tantum excluditur Pontificis lapsus in haeresim, verum e contra confirmatur hujus constantia in fide et sollicitudo erga Athanasium. Cum enim ibi limpide asserat, biennio in exilio detentum fuisse Liberium; nec usque ad finem sustinuisse exilium, manifestat non Pontificis lapsum vel haeresi subscribendo aut Athanasii damnationi, sed Constantii imperatoris consilium revocandi Liberium, quod aliis episcopis exulibus non concessit, et hoc ob causas infra dicendas.

Praeterea ab Athanasii scriptis plene eruitur, Hosium violentia superatum, iniquo decreto subscripsisse eodem tempore vel paulo postquam dicitur Liberius eidem decreto adhesisse. Idcirco, si reapse defecisset Papa, quemadmodum asserit Athanasius ad tempus Hosium defecisse, cur unius idest Hosii notavit errorem, alterius idest Liberii culpam tacens? Si ambo dicuntur cessisse exilii aerumnis: quare unus solummodo nume-

ratur ab Athanasio, pravo subscribens Constantii decreto? Nihilominus Athanasius postquam asseveravit Hosium *ad horam* tormentis cessisse ita ut postea resipuerit, subdit utrumque Hosium et Liberium extrema pati maluisse, quam prodere veritatem et judicium ipsius s. episcopi.

Insuper cum successive Athanasius ait, propter ejusmodi sanctorum virorum Liberii et Hosii firmitatem in hac tentatione, posteris reliquisse exemplum, ut usque ad mortem pro veritate decertarent, si reapse Pontifex haereticae pravitati subscripsisset, undenam hoc haberetur exemplum? Aut quale suffragium Athanasio expectandum erat a Liberio Papa, si iste Constantio obsecutus et haereticis, condemnasset Athanasium ejusque fidem? Ceterum Athanasius profitetur, se hoc de suae doctrinae integritate et morum suffragium obtinuisse a Papa.

Verumtamen praefata luculentius solidantur ab altera genuina Apologia ejusdem Athanasii *De fuga sua:* ubi rursus contestatur, Liberium nequaquam lapsum esse, neque scilicet illum suae subscripsisse damnationi, nec mentitum esse fidei nicaenae. Quam quidem Apologiam scripsit Athanasius post Liberii reditum ab exilio. Scribit enim n. 4: « Quis pro rei veritate eorum flagitia enarrarrit? Quis eorum res gestas sermone complecti valeat? Ecclesiis enim jam in pace degentibus et orantibus populis in synaxibus, Liberius Romanus Episcopus, Paulinus Galliarum.... aliique, omnes probi episcopi et veritatis praecones abrepti, in exilium pelluntur, nulla prorsus alia de causa, quam quod arianae haeresi non sint adstipulati; neque subscripserint calumniis et sycophantiis, quas adversus nos illi commenti sunt. »

Deinceps in n. 5. sequitur enarrans Hosii lapsum *ad horam,* sicuti in praemissa Apologia notavit. Porro in 9. iterum asseverat Liberium non adhaesisse haeresi, scribens: « Quod si facinora ejusmodi non admisissent; si eos, qui suas calumnias, in nos conflatas, impugnarunt, non loco expulissent; eorum fortasse dictis saltem nonnulli fidem adhibuissent. At cum sint tot tantisque episcopis insidiati, nec magno Hosio confessori, neque Episcopo Romano, neque tot aliarum regionum episcopis pepercerint, sed tantis malis affecerint eos, qui universim pro nobis illos increparunt: nonne, priusquam alios insidiis, nos suis aggressi essent? »

Hinc, sicuti praemisi, denuo constat, Liberium non subscripsisse improbo Constantii decreto adversus fidem nicaenam et Athanasium ejusdem patronum. Frustra, rursus inquam, laborasset Athanasius opponens adversariis tot episcoporum testimonium, in quibus excellebant Liberius et Hosius pro suae fidei et vitae integritate; si, quos advocavit pro se testes, Episcopus Romanus et Hosius subscripsissent suae condemnationi.

Adversus hucusque exposita surgunt Editores maurini (in Prologo hujus Apologiae) suspicati, ultimos paragraphos 89. 90. ab alieno calamo additos fuisse, nec partem constituere scripti Athanasii, asserentes

exilio Liberii ita ut Contra arianos apologia non praecedat duabus alteris, sed sequatur, et tertium locum teneat post illas in ordine temporis? Et cum res ita se habeat, quid mirum si in hac Apologia edita post alteram *De fuga sua* enarrarit Liberii exilium cum ceteris circumstantiis, quin tamen memoraret Pontificis defectionem et subscriptionem arianorum placitis. Quamobrem magis constat Editorum illusio, qui praefatos paragraphos 89. et 90. non Athanasii sed alieno calamo remiserunt. Ac una stat propositum nostrum de Liberii constantia in fidei nicaenae professione, non obstantibus imperatoris vexationibus, ut concludatur Pontificem sine offensa processisse coram Ecclesia.

Editores tamen maurini secus ab hoc putantes, et persuasi de Liberii lapsu, alieno calamo, ut dixi, inscripserunt duos ultimos paragraphos 89. et 90. « His amotis, inquiunt, ex verbis n. 88. innuitur, Ursacium, et Valentem nondum in arianam impietatem recidivisse, quando Athanasius hanc edidit Apologiam: atque adeo eam ante annum 352. scriptam fuisse, ut initio monuimus. Et vero, si Ursacius et Valens se Athanasii accusatoribus jam denuo sociassent, uti fecere circa an. 351. vel 352. an credibile est, illud ab Athanasio praetermittendum fuisse? »

His obstans dico, nequaquam Athanasio necesse fuisse Ursacio et Valenti increpare, quod antea resipiscentes denuo arianis convenissent; cum per hanc illorum instabilitatem, omnem amiserint fiduciam coram Ecclesia, et Athanasii fama per illos restituta, perstaret. Eoque magis quod (et hoc satis) Ursacii et Valentis relapsus, horum fidem tantum pertingebat, ac nullimode insimulationes actas antea in s. Antistitem. Ac ideo in epistola De Synodis Arimini et Seleuciae circa an. 359. notat illorum perfidiam, quod vel secreto, aut aperte arianorum parti studerent: « Hi enim, ait n. 1. arianarum semper partium cum fuerint, nec intelligant, quid credant, quidve affirment, singulos sensim decipientes, et inserentes haereseos sementem, nonnullos, qui alicujus pretii videbantur et ipsum imperatorem Constantium subornarunt, ita ut Synodum sub ementitita asserendae fidei specie impetrarint: rati se nicaenam posse Synodum obruere; atque ita omnes a sententia dimovere, ut impietas veritatis loco obtineret et ubique. » Deinde n. 3. addit Athanasius, Ursacium et Valentem cum sociis egisse, ut scripta, quam ipsi volebant fidei formulam, hujus initio Constantius praemitteret Consulatum, mensem illius anni et diem, quasi tunc caepisset illorum fides.

Ideoque si Athanasius in Apologia scripta post Liberii reditum et hinc post Ursacii et Valentis in haeresim relapsum, quid officit si in hac s. Antistes nullam de hoc apposuerit notam. Non enim isti tunc de Athanasii gestis proprie disputarunt, sed de nova fidei formula contra nicaenam definitionem: cum ex adverso in Apologia Athanasius causam suam praesertim gereret contra calumniatores personae suae in vitae regimine.

Nunc alterum diluendum manet documentum lectum in *Historia arianorum ad Monachos* eidem Athanasio inscripta: ubi dicitur Liberius a fide nicaena defecisse, a Constantii tyrannide pressus: quod sane destruit praecedentes Athanasii declarationes; de quo convenire nolim. Ac propterea eadem cura, qua tres praefatas apologias ceu genuinos et integros foetus episcopi alexandrini propugnare studui, hanc quartam sub titulo *Historia arianorum* refutabo, ostendens nullimode inscribendam esse Athanasio. Plura namque elementa huic Historiae intrinseca obstant, et praesertim antilogiae frequentes, quae inter hanc cedunt et ceteras praemissas.

In primis obstat, quod a tertiae Apologiae adversus arianos initio scribit, se arbitrari satis satisque, quae pro sua defensione antea adversus suos obtrectatores a se et a suis scripta erant. Si ergo in hac tertia Apologia amicis suis ait, priores sufficere existimasse, attamen hanc tertiam scripsisse longiorem, documentis ornatam sincerissimis et amplissimis super ea, quae notantur in prima et secunda, quid necesse erat quartam addere Apologiam, ubi plus minus repetuntur argumenta fere eadem et nota, nonnullis exceptis additionibus, in quibus Liberii lapsu?

Secundo, obstat quod Athanasius in tribus praecedentibus apologiis perpetuo de se loquitur in persona prima, vocabulis usus ex. gr. *ego, mihi, nos, nobis, nostra* etc. et nunquam in tertia, videlicet *Athanasius, episcopus* etc. sicuti legitur incessanter in Historia ad Monachos. Qualis quidem loquendi usus vix occurrit in Patrum graecorum locutione. Quae cum ita sint, arguitur, Athanasium non esse auctorem Historiae, sed potius subjectum Historiae; quam Auctor anonymus conflavit vindicandi causa s. Episcopi memoriam.

Tertio, obstat quod legitur in n. 45. Historiae ad Monachos circa Hosii lapsum: « Tantam enim seni (Hosio) vim attulit (Constantius) et tamdiu illum detinuit, ut malis oppressus vix tandem cum Valente et Ursacio communicarit; neque tamen subscriberet contra Athanasium. Sed eam rem minime neglexit senex. Instante autem morte, vim sibi illatam, quasi testamento declaravit; et arianam haeresim anathematizavit, et vetuit nequis illam reciperet. » Verumtamen secus legitur in ceteris apologiis. Non enim in his dicitur Hosius, morte instante (an. 360.) arianam anathematizasse haeresim, ac vetuisse nequis illam reciperet, sed mox vel *ad horam* (an. 358) postquam subscripsit resipuit, emendato errore. Praeterea in tertia Apologia n. 89. testatur Athanasius, Constantium adeo vexasse Hosium, donec ob senectutis infirmitatem, cum plagas non ferret, damnationi suae subscripsit: quod negatur in Historia arianorum, n. 45. ubi dicitur: *neque tamen subscriberet contra Athanasium.*

Quarto, in Historia ad Monachos n. 72. Athanasius de Constantii persecutione in catholicos, inquit: « Λαϊκοὺς Laicos quadraginta et virgines igni ante admotas in exilium miserunt: quas palmarum virgis ante

conciderant, ut aliae post quinque dies interirent, aliae ob palmarum aculeos membris infixos, medici opera egerunt; et morte graviores perferrent cruciatus. »

In Apologia vero *De fuga sua*, n. 6. 7. secus hoc factum narrat. « Nam accenso rogo (Sebastianus manichaeus) virgines igni admotas adigebat ut dicerent, se arianae fidei esse. Ut autem eas vim superare, ignemque nihil curare animadverterit, nudatas iterum ita in faciem caedit, ut per aliquantum temporis vix dignosci possent. Ἀνδρας δὲ viros autem quadraginta comprehensos insolentiori modo verberavit: nam virgis palmarum recens amputatis, quibus adhuc aculei haerebant, sic eorum terga laceravit, ut nonnulli ob infixos aculeos medici opera saepius eguerint. Immo quidam vim plagarum non ferentes, extincti sunt. Porro quotquot apprehenderant una cum virginibus ad magnam relegarunt Oasim. »

Collatis itaque narratis in Historia ad Monachos cum Apologia *De fuga sua,* Athanasius sibi non cohaerere videtur. Nam in Apologia perspicue distinguit tormenta, quae subierunt viri, ab illis, quae sustinuerunt virgines. Virginibus ait admotum fuisse ignem ut cogeret assentiri fidei arianae, ac insuper nudatas, fuisse in faciem caesas. Viros vero subdit, fuisse verberatos, virgisque eorum terga lacerata adeo ut nonnulli interierint. Porro in Historia confudit mulieres cum viris in descriptione tormentorum; inquiens mulieres caesas virgis fuisse ita ut quaedam obierint; quum in Apologia ex adverso scripserat, viros talia passos esse; quippe insolentiori modo cruciatos quam mulieres. Et contra virgines tantummodo tortas fuisse ait, nudatas et in faciem caesas, nec tamen obiisse. Quare jure infertur ob incomptam ejusmodi narrationem, non eumdem haberi auctorem, qui Historiam texuit et qui Apologiam.

Quinto, in Historia arianorum n. 18. 19. legitur, qui depositi fuerant in sardicensi Synodo, varimode catholicos vexasse, quorum nonnulli relegati sunt: « Diodorum item episcopum loco pellunt; Olympius autem Aenorum et Theodulus Trajanopolis, ambo orthodoxi viri ab eusebianis calumniis appetiti sunt, ita ut non solum ab urbibus suis pellerentur, sed ut capitali poena plecterentur, sicubi reperti fuissent. »

In Apologia vero Contra arianos n. 45. inquit catholicos, nisi se fuga proripuissent, fuisse peremptos: « Obiit certe comminister noster beatae memoriae Theodulus, dum, iis calumniantibus, sibi consuleret: ob eorum quippe criminationem capitis fuerat damnatus. » Hinc cernito contradictionem: in Historia dicitur Theodulus in exilium pulsus ab eusebianis, ac deinde si repertus fuisset, morte mulctatus. Ast in Apologia Athanasius inquit, Theodulum obiisse, cum fuga saluti suae consuleret.

Sexto, n. 66. Historiae legitur: « Patres nostri Synodum oecumenicam celebrarunt: et trecenti plus vel minus convenientes damnarunt haeresim arianam, et declararunt eam peregrinam, et alienam esse ab eccle-

Hosium, inquiens: « Nam licet Hosius ad breve tempus Constantii minis perterritus, iis non obsistere videretur, attamen ingens illa vis et tyrannica Constantii potestas nec non plurimae illae contumeliae et plagae palam faciunt, eum, non quod nos existimaret reos, sed propter senectutis infirmitatem plagas non ferret, ad tempus illis cessisse. »

Nono, circa Historiam arianorum ad Monachos, eo quod multa desint in principio, haec ajunt Maurini in praeeunte Admonitione: « Cur autem totum omissum sit initium, haud difficile est augurari. Nempe Amanuenses, cum cernerent illam priorem Historiae partem, eamdem aut fere similem esse posteriori Apologiae Contra Arianos parti n. 59. ubi ab exordio Arianismi res gestas recenset Athanasius, et edita monumenta refert, ab ea describenda supersederunt: quia nempe iisdem, aut fere similibus verbis conscripta erant. Illud enim perpetuo observarunt, ut quod jam in superioribus descriptum haberetur, non iterum transcriberent. Fatemur tamen solere illos initium repetitarum epistolarum, apponere et monere, haberi illas superius descriptas: sed quandoque nihil admonent, ac ne verbo quidem apposito, totum opus praetermittunt. » Deinde n. 10. addunt: « In hac Historia narrat res gestas ab an. 338. ad an. 357. Ac intermissa plerumque narrationis serie, acriter in Constantium et arianos invehitur (Athanasius). »

Hoc autem Maurinorum Monitum nostrum potius firmat, quam refutet, propositum. Cum enim ajunt, Amanuenses opus vanum existimasse, priorem hujus Historiae partem describere, quippe alibi ab Athanasio repetita praeferret, mihi opportunum videretur, eosdem debuisse lectorem monere de ejusmodi praeteritione: quod tamen nullibi legitur, nec in principio nec in fine Historiae. Sicuti tantumdem parum consentaneum videtur menti Athanasii seduli scriptoris, Historiam arianorum texere narrationis ordine plerumque intermisso, rerumque ab his gestarum maxima parte praetermissa.

Quoad autem intermissionem ordinis, exemplum sumatur a nn. 40. 41. 43. 46. In n. 40. dicitur Constantius jussisse, ut in exilium pelleretur Liberius. In n. 41. legitur, in exilium pulsum Liberium post biennium subscripsisse iniquo decreto. In n. 43. ait Constantium, quo tempore in Hosium irrumperet, incepisse pertentare Liberium. Ac paulo post n. 46. addit Liberium Romanum, Hosium et alios episcopos exilium passos, ne Athanasii subscriberent damnationi: « Ob hoc enim et illi, in quibus Liberius, omnia pati sustinuerunt, compertum habentes, ex eorum (impiorum) sycophantia structas esse insidias in Athanasium. » Quae fere contradicunt antea scriptis de Liberii lapsu.

Demum duae manent expendendae epistolae Athanasii, una ad Serapionem et altera ad Monachos (Tom. I. p. 269. 70.) unde putatur inferendum s. episcopum hanc texuisse arianorum Historiam. Epistola ad Serapionem incipit: « Legi pietatis tuae litteras, quibus hortaris nos, ut

CAPUT XVIII.

Praemissa ac discussa Liberii Papae epistola encyclica authentica, sequuntur Patrum et historicorum exploranda documenta adversus ejusdem Papae lapsum.

Ab Athanasii scriptis scrutatum ineamus veterum testimonia, praesertim Liberii aetatem degentium. In primis nobis adstat ineluctabile documentum ab eodem emissum coram Ecclesia universali: epistolam dico a Socrate citatam in Libro IV. Histor. Eccles. c. XII. quam paulo post Concilium ariminense misit ad episcopos Orientis orthodoxos, et ejusmodi tenoris:

« Dilectis fratribus et comministris Evethio, Cyrillo etc. Liberius Episcopus et occidentales episcopi in Domino salutem.

« Optatissimum nobis pacis et concordiae gaudium attulerunt litterae vestrae, fidei lumine resplendentes, fratres dilectissimi, redditae nobis per carissimos fratres et episcopos Eustathium, Silvanum et Theophilum; idque eo maxime, quod sententiam vestram atque doctrinam cum tenuitate mea, cumque omnibus italis et occidentalibus consentire prorsus et concinere affirmarunt simul et demonstrarunt. Hanc autem fidem catholicam et apostolicam esse agnoscimus; quae usque ad nicaenum Concilium integra et inconcussa permansit. Et hanc legati vestri se habere professi sunt; et cum inaestimabili gaudio omne vestigium ac fomitem absurdae suspicionis abolentes, non sermone solum, sed et scripto eam exposuerunt. Cujus etiam exemplum his litteris necessario subjiciendum esse existimavimus: nequam haereticis occasionem ad struendas rursus insidias relinquamus; quibus de integro incentiva malitiae suae commoventes, discordiarum ignes pro suo more excitent.

« Insuper et hoc professi sunt carissimi fratres nostri, Eustathius Silvanus et Theophilus, tum se tum vestram caritatem semper eam fidem habuisse et ad extremum usque spiritum servaturos, quae scilicet Nicaeae a 318. orthodoxis episcopis comprobata est: quae et perfectam continet veritatem, et omnes haereticorum catervas confutat et evertit. Non enim fortuito casu, sed divino nutu adversus Arii insaniam tantus episcoporum numerus congregatus est, quanto numero beatus Abraham tot millia per fidem profligavit. Quae quidem fides in *substantia* et *consubstantialis* vocabulo comprehensa, tanquam firmum et inexpugnabile munimentum, omnes impetus et pravas machinas arianae dementiae reprimit, et repellit.

« Quocirca cum omnes occidentalium partium episcopi Ariminum

convenissent, quo illos arianorum improbitas convocaverat eo consilio, ut aut persuasione aliqua, aut, quod verius est, secularis potentiae auctoritate coacti, id quod in fide cautissime positum fuerat, tollerent, aut oblique negarent, nihil profecit illorum versutia. Etenim omnes propemodum ii, qui apud Ariminum collecti, partim illecebris, partim dolo tunc decepti fuerant, nunc ad sanam mentem reversi, formulam ab ariminensi Concilio editam, anathemate damnarunt; et catholicae fidei apud Nicaeam promulgatae subscripserunt; et communione nobiscum inita, adversus Arium ejusque discipulos graviori indignatione commoventur. Cujus rei argumentum cum ipsi caritatis vestrae legati viderent, vos ipsos in subscriptione sua conjunxerunt, anathemate damnantes Arium, nec non ea, quae Arimini contra fidem Nicaeae firmatam gesta sunt; quibus et vos perjuriis in fraudem inducti subscripsistis.

« Quamobrem congruum nobis visum est, litteras ad caritatem vestram scribere, et justa petentibus subvenire: praesertim cum ex professione legatorum vestrorum cognoverimus, orientales ad sanam mentem reversos cum orthodoxis occidentalibus consentire. Significamus autem vobis, ne sitis nescii, ariminensis Concilii blasphemias ab iis, qui tunc per fraudem decepti fuisse visi sunt, nunc anathemate perculsas esse, et universis conspirantibus animis in nicaenam fidem consensisse. Sed et vos id omnibus indicare debetis, ut qui per vim et fraudem aliquod fidei suae detrimentum passi sunt, nunc tandem ex haeretica caligine ad divinam catholicae libertatis lucem valeant emergere. Qui quidem, si post hoc Concilium, perversae doctrinae virus evomere et omnes Arii blasphemias rejicere, easque anathemate damnare noluerint, sciant se pariter cum Ario ejusque discipulis et reliquis serpentibus, sive sabellianis seu patropassianis, aut quibuslibet aliis haereticis extraneos esse et alienos a communione Ecclesiae: quae adulterinos filios non admittit. Deus vos incolumes custodiat, fratres carissimi. »

Circa hanc epistolam in primis notetur, neminem dubitare de ejusdem sinceritate nec de tempore, quo scripta est, post scilicet Synodum ariminensem, sedatis quaestionibus, et inita concordia inter orientales et occidentales episcopos in una fidei professione, sicuti definitum erat in Concilio nicaeno: quod maxime erat in votis s. Pontificis.

Ac interim pro argumento nostro sive in vindicanda Liberii pietate, animi sui integritate, et praesertim ejus fide nunquam vel minis, aut timoribus, seu dubiis, sive tergiversationibus maculata, sicuti decuit ei, cui credidit Dominus Ecclesiae suae magisterium, satis est hanc percurrere epistolam; ita ut quisquam procul dubio concludat, praefatas epistolas ab initio citatas et ceteras eidem inscriptas in damnationem verae fidei seu s. Athanasii, commentitias haberi et nothas, tantoque viro indignas.

Et quidem a principio harum litterarum encyclicarum inquit episco-

patum Orientis cum occidentali convenire, seu potius episcopos omnes unam secum profiteri fidem, et hanc esse apostolicam et catholicam. Nunc ex his praemissis, praesumpto, ut dicitur, Liberii lapsu, quomodo is talia coram Ecclesia asserere ausus esset, quin saltem aberrationis suae indicium aliquid sicuti et emendationis praemitteret, ut scandalo consuleret undique ecclesiarum provocato per hanc nefastam haeretieae formulae subscriptionem, si revera deliquisset? Duae enim encyclicae epistolae suo nomini inscriptae notantur in suis actis, una haeretica atque altera orthodoxa; et haec est, de qua agitur. Idcirco hac posteriore genuina accepta, et hinc prorsus alteri contraria, videretur non esse a Papa transigendum, quin saltem indicaret contradictionem, in quam lapsus foret, negando in secunda, quod in prima affirmavit. Nihilominus hanc notam necessariam neglexit Liberius; quasi numquam in animo suo ejusmodi expertus esset fidei infirmitatem.

Praeterea in orthodoxa dicit Papa, qui Arimini collecti sunt episcopi, aut illecebris vel dolis deceptos, haeresi visos esse subscripsisse, ac postea ad sanam mentem reversos. Et rursus paulo post de eisdem subdit, *qui per vim et fraudem aliquod fidei suae detrimentum passi sunt.* His positis dico: quare de aliis et non de se loquitur Liberius? Cur alios dicit illusos ab haereticorum perfidia; et non dicit seipsum in persona propria deceptum ab illis, subscripsisse formulae arianae et Athanasii anathemati, si revera cessisset Constantii minis? Cum alios vocat illusos et deceptos, cur propriam tacuit illusionem? Admisso Liberii reatu, priusquam alios corriperet, culpam suam confiteri oportebat in ceterorum exemplum. Attamen haec omnia praetermisit Pontifex in hac epistola, ut nobis et cunctis satisfaceret, se ab omni haereseos vel criminis suspicione ivisse immunem, et antecessorum suorum fidem servasse, decus, animique sui candorem.

His adde, non unam, sed duas epistolas encyclicas in Hilarii *Fragmentis* numerari, et utramque Liberio inscriptam huic orthodoxae contraire. Unde magis necessitas urgebat ut Pontifex palynodiam canens, ulteriore et manifestiore obtestatione patefaceret sinceram fidei nicaenae professionem, condemnans quas antea emiserat epistolas in fidelium scandalum et s. Athanasii probrum. Verum de his encyclicis, quas nothas propugnamus, denuo ulterius disputabitur, cunctis praemissis documentis, quae tanti Pontificis famae consulant, refutatis maledictis adversariorum.

Huic porro catholicae encyclicae suaeque integritati alterum accedit documentum desumptum a Theodoreti Libro II. Hist. Eccles. c. XXII. in citandis litteris synodicis Damasi ad episcopos illyricos. Scripserunt, ait, una cum illo has litteras nonaginta episcopi Romae in sacrosanta Synodo congregati, quarum initium, *Confidimus.* In his praesertim agitur de haereticorum nisu adversus definitionem nicaenam: « Quam definitionem salutarem, inquit Papa, postea aliis tractatibus quidam pervertere et vio-

sistunt. Verbum Patris bonum, quod erat in principio: habes ejus aeternitatem. *Et erat,* inquit, *apud Patrem:* habes indiscretam a Patre, inseparabilemque virtutem. *Et Deus Verbum:* habes ingenitam ejus divinitatem .... Hunc, inquam, dilige. Ipse est quem Pater genuit ante luciferum, ut aeternum: ex utero generavit ut Filium: ex corde eructavit, ut Verbum. Ipse est, in quo complacuit Pater; ipse est brachium Patris, qui creator est omnium: Patris sapientiam, quia ex ore Dei processit.... Si igitur virtus Dei Christus, nunquid aliquando sine virtute Deus? Numquid aliquando sine Filio Pater? Si semper utique Pater, utique semper et Filius. Perfecti ergo Patris perfectus est Filius. Nam qui virtuti derogat, ei derogat, cujus est virtus. Inaequalitatem non recipit perfecta divinitas .... Et haec tecum sanctae memoriae Liberius. »

Et quis est iste, qui ita loquitur de Liberio, quemque vocat virum beatae memoriae et eximiae sanctitatis; cujus praecepta revolvere addidit sibi fore gratissimum? Iste sane est Ambrosius, qui Liberii Pontificatui praecessit, comitatus est, ejusque finem manifestissime novit; nec una ignoravit ipsius gesta in Ecclesiae regimine; et quae fecit, et quas passus est contradictiones, vexationes et insimulationes; et quomodo triumphavit de his cum fidelium aedificatione et jubilo civium romanorum, adeo ut post obitum statim summa afficeretur veneratione.

Et reapse, admisso Liberii lapsu ac undique vulgato, quo animo Ambrosius, defuncto Pontifice, coram fidelium coetu recitasset ejusmodi professionem ab ipso Papa emissam, in cunctis symbolo fidei nicaenae consentaneam, siquando Liberius spopondisset, se hanc fidem refutaturum, abrogaturum, Arii impietatem profitendo et docendo? Si ita foret, valde temere egisset Ambrosius, tum fidem illius catholicam, cum pietatem encomiis prosecutus, postquam Papa hujus fidei fundamentum diruisset, Christi divinitati et aeternitati mentitus. Ambrosius non ignoravit; nec latere eum potuit, si Liberius a fide defecisset, stante exilio, vel post exilium. Et hinc si tam manifeste et alacriter iste notet integrae illius fidei professionem, necessario falsa tenentur quae de ejus lapsu dicuntur. Si vero dicatur Papa in haeresim lapsus et postea palynodiam cecinisse, tunc necesse videbatur, ut saltem Ambrosius quidquam indicaret de ipsius resipiscentia, postquam Ecclesiam offenderat in re tam gravi. Verum utrumque omisit s. Doctor in tanti Pontificis elogio, ita ut sensisse videatur, Papam Liberium pro veritate usque ad vincula pugnasse, nec unquam tormentorum vi cessisse: eaque propter illum vocat sanctum et venerabilem virum.

Sed non tantum hoc testatur Ambrosius testis fidelis; verum accedit Siricius hanc degens aetatem, Liberii successor mediatus in Pontificatu per epistolam ad Himerium tarraconensem: « Prima itaque paginae tuae fronte signasti, baptizatos ab impiis arianis plures ad fidem catholicam festinare, et quosdam de fratribus nostris eosdem denuo baptizare

velle: quod non licet, cum hoc fieri et Apostolus vetet et Canones contradicant; et post cassatum ariminense Concilium, missa ad provincias a *venerandae memoriae* praedecessore meo Liberio generalia decreta prohibeant. » Ex his dictis eruimus, Liberium Papam post Concilium ariminense, idest postquam, ut praesumitur, ab arianis illusus aut vexatus subscripsit formulae haereticae et ad suam Sedem restitutus est, ejusmodi decreta emisisse servanda ab Ecclesia Catholica. Qualia decreta Siricius nova sanctione innovavit: et in encomium tanti Pontificis Liberii, titulo illum exornavit *venerandae memoriae;* quocum cunctae tolluntur suspiciones adversus hunc promotae a nicaenae fidei hostibus ad pusillorum scandalum.

Hoc ipso tempore pro fide nicaena pugnabat Lucifer calaritanus, duobus libris editis pro Athanasio adversus Constantium circa an. 360 (Gallandi Tom. VI. p. 155.). Item alium librum scripsit ad eumdem imperatorem. In quibus narrat persecutiones, quas passi sunt episcopi fidei catholicae propugnatores; ac simul nominat Constantii amicos Valentem, Ursacium, Epictetum, Saturninum, ceterosque. Quicumque vero hos percurrerit libros, nullibi repererit indicium Liberii praevaricationis, quamvis opportunitas Lucifero propitia fuisset tunc de eo loquendi, praesertim postquam schismati operam dedit, Ursino sociatus Faustino et Marcellino adversus Hilarium pictaviensem irrupit et Damasum Papam, quasi isti male consuluissent Ecclesiae.

Faustinus porro et Marcellinus Valentiniano et Arcadio obtulerunt librum (Gallandi Tom. VII. p. 465.) ubi enumeratis episcopis, qui sub Constantio passi sunt vexationes ob fidem nicaenam, et iis, qui deinde praevaricati sunt, nuncupato Potamio olyssiponensi, sequuntur: « Sed et ipse Osius Potamii querela accersitus ad Constantium regem, minisque perterritus et metuens ne senex et *dives* exsilium vel proscriptionem pateretur, dat manus impietati. »

Cum ergo Faustinus circa an. 360. Occidentis episcopos praecipue Potamium et Osium corripit, quod a veritate defecissent arianae haeresi subscribentes, mihi videretur, una cum his Liberius quoque Papa numerandus, siquidem hoc eodem tempore, eademque de causa in exilium pulsus est, si revera arianis dexteram dedisset: eoque magis quod ejusmodi Pontificis lapsus schismaticis praetextum praebuisset amplius Sedi apostolicae insultandi. Nihilominus nec luciferiani, nec ursiniani hanc notarunt Pontificis defectionem.

Item Severus Sulpitius in Libro II. *De sacra Historia* n. 39. 40. narrans quomodo ariani cum Valente edictum proposuerint, ut qui damnationem Athanasii non subscriberent in exilium pellerentur, addit deinde, Mediolani ubi imperator aderat, adhuc hanc contentionem perseverare; et Eusebium vercellensem et Luciferum calaritanum relegatos esse. Hinc ait principem Valentis et Ursacii opera emisisse fidei formu-

lam omni pravitate refertam: « Cui Dionysius mediolanensis non assensus, urbe pellitur; et alius in ejus locum subrogatur. Liberius quoque urbis Romae et Hilarius pictaviensis dantur exilio.... Ita pulsi in exilium, quos supra memoravimus, ab hinc annos quinque et quadraginta Arbetione et Lolliano consulibus. Sed Liberius paulo post Urbi redditur ob seditiones romanas..... Osium quoque ab Hispania in eamdem perfidiam concessisse opinio fuit; quod eo mirum et incredibile videtur; quia omni fere suae aetatis tempore constantissimus nostrarum partium; et nicaena Synodus, auctore illo, confecta habebatur; nisi fatiscente aevo, etenim major centenario fuit, ut s. Hilarius in epistolis refert, deliraverit. »

Hinc pariter colligitur Liberium non subscripsisse arianae pravitati. Cum enim Severus limpide scripserit Eusebium, Luciferum, Dionysium, Liberium, Hilarium et Osium pulsos esse in exilium eo quod refutarint impiam subscriptionem, ac simul notet hunc Osium postea, fatiscente aevo, arianorum improbitati cessisse, quare deinde narrans Osii lapsum praeterivit Liberii casum. Versabantur in eodem discrimine et ob eamdem causam ac in eodem tempore. Attamen cum lamentatur Osii lapsum, notat Liberii reditum non ob praevaricationem, sed ob seditiones romanas, quae coegerunt Constantium, ut ab exilio revocaret Papam, quin ultra ab eo repeteret impiam subscriptionem. Sulpicius vero ita scripsit de Osio et de ceteris, quae tunc gesta sunt probe callens. Versatus enim est cum episcopis, qui Mediolanum convenerant: legit scripta s. Hilarii; attamen uterque de Liberii defectione tacuit; ita ut et insuper hinc deducatur, Severum, qui libros s. Hilarii legit, non legisse *Fragmenta* s. Doctori inscripta, ubi perspicue tractatur de Liberii lapsu.

Haud secus s. Basilius, quem pariter non latebant, quae Constantii imperatoris aetate ex arianorum perfidia supervenerant Ecclesiae vexationes, in epistola 263. scribens ad Italiae episcopos de Eustathio, qui ad Liberii confugerat judicium, hunc vocat beatissimum episcopum, tanquam virum, cujus fidei integritas, dignitas et auctoritas in nullis defecerant.

Theodoretus in Lib. II. Hist. Eccl. c. XV. XVI. XVII. talia narrat de Liberio: « Jam vero celeberrimi Liberii fiduciam et admirabiles sermones, quos pro veritatis defensione habuit coram imperatore Constantio, hoc loco libet adscribere. Descripti sunt enim a piis viris, qui illo tempore vixerunt, utpote qui studiosos rerum divinarum acuere et ad aemulationem excitare possint. Is autem post Julium, qui Silvestro successerat, tunc Romanam Ecclesiam administrabat. » Sequitur Colloquium Liberii Episcopi et imperatoris Constantii: quod desiit cum exilio Pontificis. De quo subdit Historicus: « Gloriosus igitur veritatis athleta in Thraciam, uti praeceptum fuerat, perrexit. Elapso autem biennio, Constantius Romam profectus est. Senatorum vero et honoratorum conjuge-

a viris suis petiere, ut Principem adirent, rogarentque ut Pastorem gregi suo redderet: addentes nisi hoc ab ipsis impetrarent, discessuras se ab illis et ad magnum illum Pastorem migraturas. At illi iram Principis reformidare se dixerunt. Nobis enim, ajebant, utpote viris nullam fortasse veniam indulgebit. Vobis autem rogantibus procul dubio parcet: duorum alterum eveniet, ut aut precibus vestris annuat; aut si abnuerit, saltem illaesas dimittet.

« Hoc consilium amplexae praestantissimae foeminae cum sollemni cultu atque ornatu imperatorem adierunt, ut cum ex veste eas nobiles esse conjecisset, cum reverentia ac lenitate ipsas exciperet. Sic igitur ornatae cum ad imperatorem venissent, suppliciter ab eo petierunt, ut tantae Urbis pastore suo orbatae et luporum insidiis expositae misereretur. Ille vero matronis respondit, Urbem alio pastore non egere: habere enim Antistitem idoneum, qui ipsius curam gerat. Quippe post magnum Liberium ordinatus fuerat quidam ex ejus diaconis, Felix nomine. Qui formulam fidei a nicaenis Patribus expositae, integram quidem atque inviolatam servabat: cum iis tamen, qui eam labefactabant, libere communicabat. Atque ob hanc causam nemo ex civibus romanis in ecclesiam ingressus est, dum ille intus esset. Et istud etiam illae mulieres suggesserunt imperatori. Flexus itaque imperator, egregium illum omnique laude dignissimum ab exilio redire jussit. »

Et haec tradit Theodoretus de Liberio; quem vocat virum celeberrimum et dignissimum, et invictum veritatis Athletam: qui tituli soli sufficerent ad plenam ipsius apologiam. Pro veritate enim dicit, Papam coram Constantio pugnasse. Profecto qualis Liberii victoria, vel quibus encomiis celebrandus, et qualem aemulationem in posteris excitasset, si in tentamine minis cessisset imperatoris, verae fidei et justitiae mentitus? Insuper ab initio ait Theodoretus, se historiam Liberii instruere, testibus adhibitis piis viris tunc viventibus. Et quum talia dicit Historicus, indicat, se non simplicem texisse narrationem, veluti modici momenti rem. Verum ait, se accuratum studium impendisse, veluti de re gravissima, coram se stantibus testibus, qui aliter sentiebant, aut dubitabant de sanctitate hujus Pontificis. Haud enim ignorabat Theodoretus, eo usque disputari de illius gestis, aliis pro, aliis contra sentientibus. Quapropter investigatis et collatis, quae de ipso dicebantur, perceptaque viri probitate, ex conscientia sincerorum testium, pro eodem pugnavit.

Ita sane ipsius Liberii gesta et circumstantias disponit Historicus, ut concludatur, falsa tenenda esse, quae de ejusdem lapsu vulgo dicebantur, ceu ex arianorum perfidia congesta, praesertim consideratis illius reditus ab exilio causis, idest mediante romanarum matronarum interventu apud Constantium. Hac enim admissa mediatione, unde Liberius restitutus est ad suam Cathedram, necessario excluditur ipsius lapsus. Nam si formulae arianae et damnationi Athanasii subscripsisset Liberius prius-

quam convenirent matronae ad Constantium, frustra istae huic supplicassent de reditu Pontificis. Protinus enim imperator, accepta iniqua subscriptione, ad suam Sedem remisisset Papam. Si vero ex mulierum intercessione Constantius ab exilio revocarit Liberium, minime putandum est, hunc deinde subscripsisse haeresi et pravo decreto in Athanasium: nec multo minus tandem Theodoretus commendasset Pontificem, si in exilio aut post exilium fidei nicaenae mentitus esset, et sententiae adhaesisset contra s. episcopum latae.

Quoad autem matronarum interventum apud Constantium pro Liberii reditu haud sejunctum a senatorum virorum suorum sicuti et populi romani sollicitudine erga tantum Pontificem praestita, admodum facit quod de eo narrat Ammianus Marcellinus in Libro XV. c. VII. Arbetione et Lolliano Consulibus an. Christi 355. Ammianus itaque, qui certe nullis partibus in hoc negotio studebat, enarrans quam impense Constantius nitebatur cogere Liberium ad subscriptionem decreti sanciti contra Athanasium, haec tradit:

« Hoc administrante Leontio, Liberius christianae legis Antistes, a Constantio ad Comitatum mitti praeceptus est, tanquam imperatoris jussis et plurimorum sui consortium decretis obsistens in re, quam brevi textu percurram. Athanasium episcopum eo tempore apud Alexandriam ultra professionem altius se efferentem sciscitarique conatum externa, ut prodidere rumores assidui, coetus in unum quaesitus ejusdem loci multorum (Synodus ut appellant) removit a Sacramento.... Hunc per subscriptionem abjicere sede sacerdotali, paria sentiens ceteris, jubente principe, Liberius monitus perseveranter renitebatur, nec visum hominem nec auditum damnare, nefas ultimum saepe exclamans; aperte scilicet recalcitrans imperatoris arbitrio. Id enim ille, Athanasio semper infestus licet sciret impletum, tamen auctoritate quoque potiore aeternae Urbis Episcopi firmari desiderio nitebatur ardenti: quo non impetrato, Liberius aegre populi metu, qui ejus amore flagrabat, cum magna difficultate noctis medio potuit absportari. »

Cum igitur Ammianus Liberii resistentiam arbitrio Constantii, Pontificis perseverantiam in suo proposito, ac deinde exilium notarit, quam alteram transegit circumstantiam de Liberii reditu postquam subscripsit iniquo decreto adversus Athanasium, quod erat in votis imperatoris? Nec enim mihi suadeo, si demum convenisset Papa cum Constantio adversus Athanasium, Ammianum, qui paulo post scripsit, praeteriisse hujusmodi facti mentionem.

Et sane cum Ammianus fateatur, Constantium ardenter desiderasse ut Episcopi Romani auctoritate sanciretur iniquum decretum (quod et assecutus est) si reapse deinde Liberius cessisset exactioni imperiali, historicum urgebat necessitas hoc asserendi: tanquam per hoc expletum esset Constantii desiderium. Alioquin cum de hoc expleto desiderio a

leat Ammianus, idem est ac asseveret, nequaquam Liberium pravae subscripsisse sententiae adversus s. Antistitem.

Huic nostrae interpretationi accedit quoque Socratis testimonium, qui in Libro II. c. XXXVII. Hist. Eccles. ait: « Ceterum Liberius non multo post revocatus ab exilio, Sedem suam recepit: cum populus romanus, seditione facta, Felicem ecclesia expulisset; et imperator *licet invitus* assensum illis praebuisset. » Cum ergo dicit Historicus Constantium invitum revocasse ab exilio Papam, cessat omnino suspicio, Liberium voluntati imperiali adhaesisse. Si enim antea Papa etsi exul restiterit subcriptioni, eo magis postquam restitutus est ad suam Sedem. His stantibus pro Liberii fide aequis deductionibus, subdit Rufinus, qui in Libro I. c. XXVII· Historiae Eccles. de episcopis ab exilio reducibus ex Juliani mandato, locutus scribit: « Interim qui superfuerant episcopi, de exiliis relaxantur. Nam Liberius urbis Romae episcopus, Constantio vivente, regressus est. Sed hoc utrum quod acquieverit voluntati suae ad subscribendum, an ad populi romani gratiam, a quo proficiscens, fuerat exoratus, indulserit, pro certo compertum non habeo. » Nec sane absque jure ita arguebat Rufinus in causa Liberii, veluti in sequentibus dicetur.

CAPUT XIX.

Illorum argumenta refutantur, qui putant Liberium Papam errasse, s. Athanasii subscribentem damnationi et haereticae pravitati.

Nunc exploranda manent ab initio citata documenta, origo et auctoritas: quibuscum adversarii magnopere conantur adstruere Liberii Papae lapsum: quorum primus Nicolaus Faber (de quo supra) qui ad roborandam horum documentorum sinceritatem ea inscripsit s. Hilario pictaviensi, ac Vallarsius edidit sub nomine s. episcopi. Quod nullimode admittendum arbitror.

Et primum huic opinioni obstat s. Hieronymus, qui in Libro *De viris illustribus* n. 100. scripta recensens s. Hilarii, ab hac recensione excludit hanc Fragmentorum rapsodîam, nec titulum notans, nec multo minus, quae in his narrantur de Liberii lapsu; quamvis Hieronymus putet revera hunc errasse. Ceteroquin nemo ignorat, cunctos fere Tractatus hujus antistitis, ab omnibus acceptos uti genuinos, versari de arianorum gestis, et praecipue sub Liberii Pontificatu et Constantii imperio, in quo plura passus est Hilarius. Quare necesse erat, ut iste hoc pertingeret argumentum, persecutionem narrans imperatoris adversus Catholicos promotam: sicuti reapse explevit in multis locis, quin tamen indicium aliquod, nec unum verbum quidem obsignarit de hujus Pontificis praevaricatione. Quinimmo sedulo ejusdem Doctoris scriptis ponderatis, ista aperte testantur contra perfidiam malignantium, qui per haec notha documenta insidiati sunt tanti Pontificis fidei et sanctitati.

Ac interim Hilarius in Libro *De Synodis seu De fide orientalium*, scribens ad episcopos occidentales n. 3. (an. 358) inquit: « Et licet non sine aliquo aurium scandalo et piae sollicitudinis offensione restiterint, tamen adeo restiterunt, ut ipsos illos, qui tunc apud Sirmium in sententiam Potamii atque Osii, (Osium scribit loco Hosium) ita et ipsi sentientes confirmantesque, concesserant, ad professionem ignorantiae et erroris compellerent, ut ipsi rursus suscribendo, damnarint, quod fecerunt ut aliud ante damnarent. » Cum ergo Hilarius Potamii et Osii lapsum notarit, quare omisit Liberii praevaricationem; qui eodem tempore dicitur subscripsisse haeresi condemnans Athanasium?

Deinde in n. 63. rursus de Osio locutus, ait: « Nam illi in primo collatae expositionis fides hanc habuit necessitatem; quia apud Sirmium per immemorem gestorum suorum et dictorum Osium, novae et tamen suppuratae jamdiu impietatis doctrina proruperat. Sed de eo nihil loquor; qui idcirco est reservatus, ne judicio humano ignoraretur, qualis ante vixisset. » Item n. 87. de vocabulis *homousion* et *homoeusion* disserens,

Ceterum, uti ex hac Collectione videre est, Liberius praesumptus praevaricator scripsit ad Hosium litteras: scripsit ad Caecilianum spoletinum: scripsit ad constantinopolitanos; tres scripsit epistolas ad Eusebium vercellensem; rursus ad eumdem scripsit et socios in exilio: bis scripsit ad coepiscopos orientales; scripsit ad Vincentium capuensem; scripsit ad episcopos Italiae etc. Et ex his omnibus huc illuc foetor emanat haereseos arianorum ac s. Athanasio hostilis.

Et quomodo Athanasius veri zelator adversus se et fidem nicaenam stantibus ejusmodi testimoniis ex Liberii parte, calamum suum cohibere poterat, quem non cohibuit adversus ceteros in praefatis epistolis citatos? his exprobrans defectionem a veritate, scandala lamentatus ab eisdem in orbe christiano excita, quin inter hos nuncuparet Liberium; qui per has epistolas se constituisset coryphaeum inimicorum suorum, quum Athanasius ipse eadem Papae aetate vixerit, et post hujus obitum aliquot annos? Et cum ita sit, jure suspicandum est, talia documenta ab arianorum perfidia derivasse et inventa illudendi causa proborum et incautorum simplicitati.

Praestans autem argumentum, quo istud Fragmentorum Opus (non praeclarum, ut putat Vallarsius, sed putidum) conflatum esse constat ab arianis, ab hoc adstruitur, quod in harum epistolarum catalogo Liberio inscriptarum, desideretur ac penitus desit epistola encyclica hujus Papae ad omnes Orientis antistites, in cunctis suis partibus orthodoxa, fideique nicaenae consona (quae incipit *Optatissimum)* et ab universa Ecclesia, nemine refragante, uti genuina accepta, superius a nobis citata ac discussa. Cum itaque Fragmentorum Collector tanto studio praemissas epistolas publici juris fecit, quare hanc praetermisit, oblivioni tradens? nisi per eamdem sensisset, omnes destrui, quas adversus sanctum Pontificem obtrectatores commenti fuerant falsitates?

Alterum vero adminiculum adversus Liberii lapsum accedit ex eo, quod hucusque ignoretur, quali arianorum formulae et quo anno subscripserit Pontifex. Ac reapse Socrates et Sozomenes, qui 60. annos circiter post, hujus quaestionis acta collegerunt, quin fontes animadverterent unde emanarunt, nec inter se concordant, nec multo minus cum praemissis Athanasii et Patrum eamdem Liberii aetatem degentium. Socrates tacens Liberii lapsum, ait post Synodum ariminensem Constantium mandasse, quicumque formulae arianae in hac Synodo emissae subscribere renuissent, in exilium pelli: quod inter ceteros episcopos passus est Liberius.

Sozomenes vero prae ceteris nostram postulat mentem. Is enim ter in Histor. Eccles. cc. XI. XV. et XIX. Libri IV. rem pertigit, nec tamen sibi consonans in expositione. In primis notetur Sozomenem praeteriisse causam praecipuam, qua in exilium pulsus est Papa: idest quod recusarit subscribere Athanasii damnationi. De reliquo in c. XI. ait, prius-

quam Romam ingrederetur Constantius triumphator, ad se vocasse Liberium, eique persuasisse ut arianis, qui secum erant, consentiret; cui firmiter restitit Liberius: quare jussu imperatoris Beroeam Thraciae abductus est.

Item in c. XV. dicit imperatorem Roma Sirmium reversum, ad se accersivisse Liberium, eumque denuo compulisse, ut profiteretur Filium non esse Patri consubstantialem. Paulo post ait Basilium et socios effecisse ut Liberius subscriberet formulae fidei Sirmii decretae; ac insuper eosdem addit cum Liberio suscepisse confessionem, quacum extra Ecclesiam fieret, quicumque Filium secundum substantiam et per omnia Patri similem non esse assereret. Hinc subjungit Historicus: « sparsis rumoribus vulgatum esse per Eudoxium et socios, Liberium vocabulum *consubstantiale* condemnasse: et confiteri Filium Patri esse dissimilem. Quare Constantius ad suam Sedem restituit Papam. »

Demum in c. XIX. eamdem repetens historiam de Liberii exilio ex aliorum opinione, scribit « Constantium, cum episcopi ab urbe Arimini citra consensum suum discessissent, Valenti suisque asseclis permisisse, ut occidentalium ecclesiis pro arbitrio suo ordinarent. Istos vero licentiam nactos, adhibita vi, compulisse episcopos, ut fidei illi, nempe formulae Arimini promulgatae subscriberent: obsistentes vero, ecclesiis suis exturbasse: ac primum omnium Liberium Episcopum Romae. »

Quamobrem, cum nullimode refutari possit Liberii exilium circa an. 355. sicuti tantumdem post biennium ejus reditus ex mandato imperiali cum arianorum aegritudine, ac praeterea ex diversis opinionibus, undique vagantibus ab aevo Socratis et Sozomenis et ultra de hujus lapsus tempore, et post tot a nobis allatas adversus hoc factum discussiones, nec non tot Patrum argumenta pro firma hujus viri fide et pietate, una nobis verissima et peremptoria ex illis a Sozomeno citatis, talis suscipienda sententia manet: quacum is dicit, per Eudoxium ceterosque episcopos de imperatoris comitatu, falsis rumoribus promulgatum esse, Liberium Papam vocabulum *consubstantiale* condemnasse, fatendo Filium Patri esse dissimilem: et super hanc impiam formulam structas esse epistolas suo nomini inscriptas in Sedis apostolicae ignominiam et Ecclesiae Catholicae scandalum.

Nec insuper nobis obstat Praefatio Libelli Valentiniano et Arcadio dicati a Faustino et Marcellino Ursini et Luciferi schismatis fautoribus, ubi de Liberio haec notantur: « Post duos annos venit Romam Constantius. Pro Liberio rogatur a populo: qui mox annuens ait. Habetis Liberium: qui qualis a vobis profectus est, melior revertetur. Hoc autem de consensu ejus, quo manus perfidiae dederat, indicabat. Tertio anno redit Liberius. » De his prius liquet, parum nobis facessere hoc testimonium a schismatico calamo prodiens: sive Faustinus auctor Praefationis habeatur, vel potius alter anonymus et quidem schismaticus. In Libello

namque Faustini nulla mentio occurrit de Liberii lapsu, quamvis latius in eo de Constantio et de episcopis exulibus disputetur.

Secundo, Liberii lapsus valde schismaticis satisfaciebat, qui Damasi successoris famam summopere lacerarunt. Idcirco nihil mirum si iidem una cum arianis adjuverint calumniosam insimulationem in s. Pontificem. Insuper ex Constantii verbis, quibus utitur Praefationis Auctor, videretur, Liberius convenisse secreto cum Constantio, priusquam iste Romam adveniret, subscripta formula ariana et Athanasii damnatione, ut inde postea sine interventu populi Romam ab exilio revocaretur: quod contradicit aliorum narrationibus.

Item, ut obtrectantium mos est, perpetuo versari in antilogiis, Auctor anonymus Historiae arianorum ad Monachos, illusus, Liberii lapsum excusans n. 41. inquit ipsum subscripsisse fidei arianae et Athanasii damnationi non libere sed vi aductum tormentorum. Attamen dico ego, quamdiu perduravit talis violentia supra Liberii mentem? Si enim fides praestanda sit Fragmentis s. Hilario inscriptis, Pontifex non probavit haeresim tantum, sed scripsit quoque deinde episcopis arianis impietati consentiens, ac amplius vario tempore duas misit encyclicas ad antistites Orientis; in quibus manifeste haeresim confirmat. Idcirco qualis excusationis locus admittitur, postquam tales dedit epistolas, palam in his innovans fidei nicaenae damnationem?

His stantibus discrepantiis circa Liberii lapsus historiam, Critici quoque recentiores confusi sunt, ac inter se dissident. In notis namque Libri III. s. Ambrosii *De virginibus,* ubi celebratur memoria hujus Papae legitur: « Hic Liberius quidem est, qui an. 357. sirmiensi professioni Demophilo sibi allatae, sive posteriori ut Petavius et Blondellus contendunt, aut priori ut Baronio et recentioribus placet, subscripsit, ut reditum ab exilio impetraret. Sed is pulchre lapsum reparavit; cum Concilio ariminensi summa constantia assensum negavit et suffragium. » At quomodo lapsum reparavit Liberius in Synodo ariminensi; si post hanc Synodum in exilium abductus est, testibus Socrate et Sozomeno, ut illi probaretur ipsius in fide constantia et subscriberet impietati?

Post hoc, siquis fontem dignoscere cupiat, super quem instruxerunt ariani insimulationum basim adversus tantum virum; ac unde illusi sunt veteres nonnulli, praesertim Hieronymus (cujus illusioni deinde latini scriptores participarunt) mihi videretur repetendus ab Apologia Athanasii ad Constantium n. 27. ubi dicitur: « Haec cum mecum perpenderem in culpa me esse non arbitrabar. Sed cum hac Apologia mea ad pietatem tuam properabam.... jam me iter instituente, relictoque eremo, fama quidem de repente percrebuit: quae initio quidem supra fidem visa post vera deprehensa est. Rumor undique pervagabatur, Liberium Romanum Episcopum, et magnum illum Hosium in Hispaniis episcopum Paulinum Galliarum, Dionysium quoque et Eusebium Italiae, Luciferum

Sardiniae et alios quosdam episcopos, presbyteros et diaconos, quod adversus nos subscribere renuissent in exilium missos. Vincentium vero capuanum, Fortunatianum aquilejensem, Herennium thessalonicensem, et omnes occidentales episcopos vi non minima, immo maxima violentia et gravibus injuriis affectos esse, donec pollicerentur, se in posterum nobiscum non communicaturos. Hinc nobis etc. »

Super hoc sane documentum indiscriminatim nec rite expensum videtur superstructa ab adversariis esse summa illarum epistolarum Liberio inscriptarum. Et quidem eo ipso tempore id factum foret, quo Liberius ab exilio, ita mandante Constantio, ob causas supra expositas, ad suam Sedem restitutus est, quin tamen ullimode periclitaretur ipsius fides. Quod aegreferentes ariani in vulgus detulerunt, Liberium quoque cum Fortunatiano, Vincentio, Herennio ceterisque Occidentis episcopis lapsum esse, et subscripsisse iniquae Athanasii damnationi et haereticae pravitati.

Et cum haec vulgarent ariani, epistolas quoque commenti sunt praemissis consentaneas et Pontificis nomine inscriptas ad incautorum illusionem; in quibus dicit Papa, se cum Fortunatiano aliisque episcopis, qui ab Athanasio et a fide nicaena defecerant, convenisse. Revera s. Hieronymus *De viris illustribus* c. 97. supra citato, ait Fortunatianum afrum aquilejensem episcopum.... in hoc detestabilem haberi, quod Liberium Romanum Episcopum pro fide in exilium pergentem, primum sollicitasset ac fregisset et ad subscriptionem haereseos compulisset. » Ideoque in encyclica Liberii ad episcopos Orientis et quidem apocrypha, dicitur manifeste hic Fortunatianus ejusdem Liberii nomine litteras dedisse ad Constantium perferendas: in quibus commodavit consensum arianorum judicio in Athanasii condemnationem sicuti et nicaenae fidei ab ipso propugnatae.

Quid ergo putandum est de Hieronymo, qui talia scripsit cum tanti Papae injuria? nisi quod ad manus suas perveniente ejusmodi epistola, atque ut authentica reputata, arianorum perfidiae inscius, posteritati in suis libris commendavit hoc falsum de Liberio infaustumque documentum. Ceterum, etsi Pontifex a Constantio, a Fortunatiano et ceteris haereticis varimode sollicitatus fuerit ut subscriberet arianorum pravitati, uti legitur in praefata Apologia: nihilominus fortiter restitit; nec unquam cessit sponsionibus, nec minis; nec unquam prodidit excelsum magisterium sibi a Christo Domino commissum. Quod amplissime testatur Athanasius in suis scriptis post Liberii reditum editis et post ejusdem obitum.

Novissime adversus obtrectatores tanti viri sicuti et illusos, non est praetereundum praeclarum testimonium Theodoreti. Is enim sedulus hujus historiae scrutator, in Libro II. Hist. Eccl. c. XV. ita scribit de Liberio: Εγὼ δὲ καὶ Λιβερίου τοῦ πανευφήμου τὴν ὑπὲρ τῆς ἀληθείας παρρησίαν, καὶ τοὺς ἀξιαγάστους λόγους. Ego vero etiam Liberii fama celeber-

rimi pro veritate fiduciam et admirabiles sermones, quos pro veritatis defensione habuit coram Constantio, scriptis mandare volo. » In praecedentibus una cum ceteris episcopis exulibus *veritatis praeconibus* nuncupatur Liberius. Deinde in c. XVII. inquit: « Ο μὲν δὴ νικεφόρος τῆς ἀληθείας ἀγωνιστὴς i. e. Victoriosus igitur seu triumphator veritatis athleta (Liberius) in Thraciam, sicuti mandatum fuit, perrexit. » Et haec scripsit Theodoretus post Liberii obitum, documenta mutuatus, ut ipse ait, a piis viris rerum divinarum studiosis, qui ipsius Papae aetate in Ecclesia inclaruerant. » Ceterum qualis in agone triumphus Liberii, et qualis victoria? si tantisper tentationi cessisset, subscribens iniquo decreto in Athanasium, et si veritati mentitus foret?

Demum ut corona omnium documentorum pro fide et sanctitate Liberii simul sumantur tituli, quibus decorarunt illius nomen non tantum in vita quantum post obitum, Athanasius, Ambrosius, Damasus, Siricius, Basilius, Theodoretus, Rufinus viri pietate, fide et doctrina insignes. Isti enim in suis libris ita hunc Pontificem exornarunt. Alius illum vocat *veritatis praeconem;* ille *virum dignissimum, celeberrimum, invictum veritatis athletam.* Alter *beatissimum episcopum et venerandae memoriae* nuncupat: iste *virum eximiae sanctitatis* dicit *et beatae memoriae;* ita ut praefati Patres viderentur prae ceteris, qui hac aetate gubernarunt Ecclesiam, ob praeclaras virtutes, quibus in Pontificatu emicuit Liberius, ac hostium tentamina superavit, singulari encomio illum donare voluisse.

CAPUT ULTIMUM

Praefatarum disquisitionum summarium in iis, quae spectant ad personalem Romani Pontificis infallibilitatem.

Quamvis hucusque ex praemissis investigationibus exactis super acta cujusque Pontificis a beato Petro usque ad s. Leonem consequatur luculenter Sedis apostolicae jurisdictionis exercitium supra universalem Ecclesiam, ejusdemque judicium infallibile in rebus fidei et morum: nihilominus circa secundam partem, quae spectat ad infallibilitatem, necessario a pontificia institutione emanantem, aptum mihi visum est, summam hîc documentorum hinc inde simul collectorum texere: quibus demonstrationis vis magis elucescat in lectoris oculis et praesertim illorum, qui hodie sub titulo *catholicorum veterum* insurrexerunt adversus oecumenici Concili Vaticani definitionem.

Ideo, posita antiqua et sacra formula: *Referte ad me et ego audiam,* quae Sacerdotii mosaici fundamentum, alterius erat praecursor et praeco Sacerdotii in Ecclesia erigendi, in primis nobis adstat mysticum Cephae nomen, quod stabilitatem sonat, eoque vocavit Jesus Simonem Barjona, symbolum firmitatis in suo pronunciando judicio, ita ut nec ad dexteram neque ad sinistram declinaret, et esset infallibilis; et hinc inferorum portae nunquam praevaliturae adversus hanc Petram.

Ab initio notetur, neminem Ecclesiae Patrum aliquando dubitasse de infallibili Petri apostoli doctrina, cum pro eo rogarit Dominus ne deficeret fides sua. Ea propter hanc veritatem edocti Patres, ejusmodi in suis scriptis exposuerunt sensus, ut hoc idem privilegium singulare fuisse Petri successoribus divinitus commissum in regimine Ecclesiae crederent et docerent. Id autem probatur ex titulis, quibus Patres decorarunt Petri successores in Pontificatu, nunc Petri Cathedram vocantes, modo Sedem apostolicam, alias thronum apostolicum, aliquando Cathedram veritatis, quandoque Scholam apostolicam, alias Petrae christianae veritatem; modo Petri fidem. Ac saepe per anthonomasiam simplici Petri nomine nuncuparunt Pontifices, qui post eum gubernarunt Ecclesiam: quasi tunc ex. g. non Clemens, non Dionysius, non Julius, non Damasus, non Siricius, non Innocentius, non Leo regerent docerentque Christi Ecclesiam, sed Petrus ipse adhuc in eis vivens, per eosdem loqueretur, agnos et oves pasceret, duceretque ad fontem aquae vivae absque errandi metu.

Ideo sicuti fatebantur Spiritum Sanctum adstitisse apostolo Petro in totius Ecclesiae regimine; ita tantumdem credebant de suis successoribus ita ut per eamdem Spiritus Sancti adsistentiam, hos infallibiles in

suis definitionibus existimarint. Hinc s. Irenaeus jure ait, in Ecclesia Romana conservatam esse traditionem apostolicam idest Petri et Pauli; ceterasque ecclesias ob hoc ad hanc convenire; cujus episcopus Petri successor praestabat credentibus veritatem.

Item Dionysius alexandrinus etsi in sacris doctissimus supra ceteros Orientis episcopos, nihilominus ad Xystum Papam scribit; consilium ab eo petit ne forte erret. Et quidem in difficillima quaestione fatetur Dionysius, se illusioni subdi, cum tamen putet, Papam supra illusionem ferri et infallibilem pronunciare sententiam.

Marcellus ancyranus de haeresi suspectus circa dogma de Trinitate, porrigit suae fidei professionem in manu Julii Papae, ut ipse judicet. Nisi enim putaret Pontificem in hac causa infallibilem fore, non appellasset ad illum, nec judicio suo acquievisset.

In colloquio Constantii cum Liberio, teste Theodoreto, de quo supra, imperator huic ait: « Quota pars es orbis terrarum, ut tu solus homini impio suffragari velis, et orbis romani ac totius mundi pacem dissolvas? Liberius dixit: *Non eo quod sim solus, fidei causa minuitur.* Item suffragante Sozomeno, contendentibus inter se episcopis Orientis, utrum Spiritus Sanctus ejusdem cum Patre et Filio substantiae censendus esset, Episcopus Romanus, re comperta, ad illos scripsit, *ut Trinitatem consubstantialem et honore et gloria aequalem una cum occidentalibus episcopis confiterentur.* Quo facto utpote controversia judicio Romanae Ecclesiae terminata, singuli quievere. »

In utroque documento, ubi agitur de causis fidei, in primo cum subit Liberius Papa ut judex, et obtestatur, quamvis solus in judicando, non imminui tamen fidei causam, personalis firmatur inerrantia Pontificis. In altero vero adstruitur orientalis episcopatus obsequium erga absolutum Sedis apostolicae judicium, ita ut non esset ultra disputandum.

Inter epistolas s. Basilii illa notatur n. 92. scripta ab episcopis Orientis et regionum finitimarum, Asiae Minoris nempe, Ponti, Mesopotamiae, Syriae, Armeniae, Aegypti et Thebaidis ad Synodum occidentalem, cui praeerat Damasus Papa. In his litteris manifestatur angustia praefatorum antistitum ob irrumpentes undequaque scissuras inter fideles: « Quapropter, inquiunt, et maxime indigemus auxilio vestro, ut qui apostolicam profitentur fidem, excogitata a se schismata dissolventes, deinde auctoritati Ecclesiae subjiciantur.... *Revera enim excelsae beatitudinis dignum est, quod a Domino pietati vestrae datum est, adulterinum quidem a probo ac puro discernere; Patrum vero fidem sine ulla dubitatione vel metu praedicare. Quam quidem et nos suscepimus et agnovimus apostolicis notis signatam.* » Et quid isto documento pro thesis nostrae munimine magis perspicuum, quocum Synodus tantorum episcoporum nomine illustrata, appellans ad episcopatus occidentalis auxilium contra haereses, ejusmodi auctoritatis facit hujus judicium, quippe characteribus

apostolicis idest beati Petri obsignatum, ut sit infallibile? Eo magis quod fatetur s. Basilius a Domino ipsis datum esse, adulterinum a probo discernere, Patrumque fidem sine ulla dubitatione praedicare.

S. Hieronymus in epistolis supra citatis ad Damasum, anxius circa usum et significationem *hypostaseon*, hunc adit quem dicit in Petri Cathedra sedere, et apud eum incorruptam servari Patrum haereditatem, ut doceat apud quem, vel quibuscum debeat communicare. Ac interim de ipso Papa scribit: *Vos estis lux mundi, vos sal terrae.*

Siricius in exordio epistolae ad Himerium ait, se accepisse litteras Damaso scriptas jam defuncto. Hinc illius consultationibus respondens inquit: « Portamus onera omnium, qui gravantur. Quinimmo haec portat in nobis beatus apostolus Petrus; qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suae protegit et tuetur haeredes. »

Innocentius I. ad Concilium milevitanum scribens: « neque enim, ait, hoc vestram credo latere prudentiam, qui id etiam actione firmastis, scientes, quod per omnes provincias de apostolico fonte petentibus, responsa semper emanent, praesertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres et coepiscopos nostros nonnisi ad Petrum, idest sui nominis et honoris auctorem referre debere, veluti nunc retulit vestra dilectio: quod per totum mundum possit ecclesiis omnibus in commune prodesse etc. » Item in alia epistola laudat Exuperium tolosanum; qui institutum praecedentium secutus ad Sedem apostolicam referre maluit, quid de rebus dubiis custodire deberet. »

Cum igitur Innocentius laudet episcopos milevitanos, qui de more consuluerant Sedem apostolicam, praesertim quoties ratio fidei ventilabatur, nonne per hoc propugnatur personalis Romani Pontificis infallibilitas in rebus fidei dijudicandis? Eoque magis quod Innocentius non semetipsum vocat judicem, sed Petrum, cujus gerebat personam; a cujus non erat sententia recedendum. Nec secus videtur putandum, cum in hoc negotio agitur de fide, in quo non humana ratio sed divina praestat.

Item ad Concilium carthaginense scribens, cujus episcopi ad suum appellarunt judicium: « scientes, ait, quid apostolicae Sedi (cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum) debeatur: a qua ipse episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emersit. »

Quod idem innovat in epistola ad Felicem nucerianum, ei gratulatus, quod majorum instituta secutus, sua dubia retulit ad episcopatus caput et apicem, *Referte ad me, et ego audiam:* « Ut consulta videlicet Sedes apostolica ex rebus ipsis dubiis, certum aliquid faciendumque pronunciet.»

Zosimus Papa scribens ad episcopos africanos: « quamvis, inquit, Patrum traditio apostolicae Sedi auctoritatem tantam tribueret, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet; idque per Canones et regulas servaverit, et currens adhuc suis legibus ecclesiastica disciplina Petri nomini, a quo ipsa descendit, reverentiam, quam debet, exolvat.... tamen

cum nobis tantum esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia, nihil egimus etc. »

Cyrillus alexandrinus, in Sermone sub titulo *Encomium Beatae Virginis* contra Nestorium, vocat Caelestinum Papam *totius orbis archiepiscopum et testem fide dignum.* Itaque si Cyrillus adversus Nestorii haeresim pugnans confugit ad auctoritatem Caelestini, eumque appellat non solum totius orbis archiepiscopum sed et *testem fide dignum,* quid adhuc vetat quominus et dicatur infallibilis in nestoriana anathematizanda impietate? Hinc ad Clerum constantinopolitanum locutus idem Papa, inquit: « Habuistis vigilem proditorem (Nestorium); nec tamen beatus Petrus apostolus (in persona mea) deseruit tam graviter laborantes. »

Xystus Papa III. in litteris ad Cyrillum post initam pacem inter hunc et Joannem antiochenum, scribit: « Gaudii coelestis judicium tales habere debet auditores. Et quia res et causa deposcit, locum quoque convenit intueri. Ad beatum Petrum apostolum fraternitas convenit: ecce auditorium congruens auditoribus. » Et in altera sequente inquit Papa: « Sic Romana Ecclesia unum suffragium servavit in constitutione fidei praeconis; sicuti in ipso fidei praeconio unam semper servavit sententiam. » In epistola 1. Xystus laetus ait, quod fratres episcopi convenerant ad apostoli Petri, cujus ipse personam gerebat, auditorium. Et in altera dicitur Xystus fidei praeco, qui unam semper servavit sententiam in ejusdem fidei praeconio ita ut ab illusione evaderet. Similiter ad eundem Cyrillum mittens subdit: « Expertus es negotii praesentis eventu, quid sit sentire nobiscum. Beatus Petrus apostolus in successoribus suis, quod accepit, hoc tradidit. Quis ab ejus se volet separare doctrina, quem ipse inter apostolos primum Magister edocuit? Non hunc auditus per alterum, non sermo lectus instruxit. Doctus est cum aliis ore Doctoris, non scripturae, non scriptorum passus est quaestionem. Absolutam et simplicem fidem, et quae controversiam non haberet, accepit. » Hoc stante Xysti testimonio et praesertim ex verbis: *Beatus Petrus apostolus in successoribus suis, quod accepit, hoc tradidit,* quis mentiri poterit dogmati de personali Pontificis infallibilitate?

Philippus presbyter Legatus Sedis apostolicae in depositione Nestori coram Synodo ephesina (Actione 2.) dixit: « Nulli dubium est quod sanctus et beatissimus Petrus apostolorum princeps et caput, et fidei columna et Ecclesia Catholicae fundamentum .... qui ad hoc usque tempus in suis successoribus vivit, et judicium exercet. Hujus igitur secundum ordinem successor Caelestinus etc. » His dictis nullus Patrum restitit nec dubitavit; sed ea reverenter comprobavit, talia sentiens de Caelestino Petri successore.

Theodoretus Cyri episcopus a sua sede expulsus ex pseudosynodo ephesinae decreto, ab exemplo Pauli apostoli (qui etsi praeco veritatis ad magnum Petrum se contulit) s. Leonis invocat judicium adversus a

cusatores suos: « Multo magis, addit, humiles et pusilli ad apostolicam Sedem vestram occurrimus, ut ecclesiarum ulceribus remedium accipiamus.... At ego apostolicae vestrae Sedis expecto sententiam: et oro et obtestor Sanctitatem tuam, ut mihi *rectum et justum tribunal vestrum* invocanti opem ferat; jubeatque ad vos venire, et doctrinam meam apostolicis vestigiis inhaerentem ostendere. » Demum concludit: « Ante omnia ut a vobis docear oro, an me oporteat in hac injusta depositione acquiescere an non. Vestram sententiam expecto. » Cum ergo ab exemplo beati Pauli judicium magni Petri invocantis, utrum gentiles conversi ad Christum subjiciendi forent circumcisioni, Theodoretus, quin aliunde quaerat judicem, Sedis apostolicae judicium rectum et justum ait se expectare super fide et doctrina sua, concluditur, unum et inerrantem idest Romanum Pontificem judicem haberi in Ecclesia Christi.

Petrus Chrysologus rogat Eutychetem; « ut his, quae a beatissimo Papa romanae civitatis scripta sunt, obedienter attendat; quoniam beatus Petrus, qui in propria Sede vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis et fidei extra consensum romanae civitatis Episcopi, causas fidei audire non possumus. » Quasi diceret, non ad nos pertinet hujusmodi judicium, sed ad Petrum, qui in persona Leonis praestat quaerentibus fidei veritatem. In Actione III. Concilii chalcedonensis citatur epistola Patrum ad Valentinianum et Marcianum de Dioscoro extincto: « Christo, dicunt, ad intelligentiam prospere dirigente, qui ostendit in Leone mirabili veritatem. Quia sicuti sapiente Petro, ita et isto utitur adsertore (Christus). » Et quidem Patres ex Orientis regionibus adunati Chalcedone, cum ajunt, Christum prospere dirigentem ad intelligentiam, in Leone Magno ostendisse veritatem, non semetipsos statuunt veritatis magistros, sed Leonis personam divinitus veritate instructam. Ambobus enim, in pari conditione positis, idem Christus utitur adsertoribus veritatis, ita ut nullum discrimen inter Petrum cedat et Leonem in hac speciali et superna praerogativa.

Item scribens ad Leonem imperatorem ait (epist. 25 vel 129.) « Cum ergo universalis Ecclesia per illius principalis Petrae aedificationem facta sit Petra: et primus apostolorum beatissimus Petrus voce Domini dicentis audierit: *Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam;* quis est nisi aut Antichristus, vel diabolus, qui pulsare audeat inexpugnabilem firmitatem? » In his ponderandum quod ait, Ecclesiam Catholicam factam esse Petram per principalis Petrae aedificationem. Idcirco non Ecclesia, nec episcoporum Synodus, neque multo minus populus christianus fecit Petram; verum Christus Domini fecit et facit Petrum Petram inexpugnabilem, idest infallibilem adversus hostium suorum sive inferorum conatus. Nequaquam Ecclesia sustinet Petrum; sed Petra sustinet Ecclesiae corpus omnibus suis majoribus et minoribus membris compactum, ne dissolvatur nec in partes scindatur. Eaque

propter Leo Christi verba: *et portae inferi non praevalebunt adversus eam,* pronomen *eam* non retulit ad Ecclesiam, sed ad Petram. Quod et fecit in litteris ad episcopos et clericos aegyptios, hos hortatus ne a vera fide amoverentur (epist. 160.) « Nec pedes vestros, inquit, peccatorum pax visa dimoveat; quos in ea Petra fixos habere debetis: adversus quam nec portas inferi praevalere legistis. » Concordes igitur Patres chalcedonenses cum ipso Papa in confutandis Eutichetis erroribus, innovarunt, quod antea in Ecclesia praedicatum fuerat de infallibili Romani Pontificis judicio in enodandis fidei christianae quaestionibus.

Ac propterea Valentinianus scribens ad Theodosium, hunc rogat, instante Leone, ut consulat fidei in illis locis tam perturbatae: « Quam (fidem) nos a nostris majoribus traditam, omni competenti devotione defendere; et dignitatem propriae venerationis beato apostolo Petro, intemeratam et in nostris temporibus conservare: quatenus beatissimus Romae civitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat et facultatem de fide et sacerdotibus judicare, domine imperator. »

Et hîc supersedeo juxta statutum nostrum cetera sequentis aetatis subjungere Patrum de hac re documenta. Idcirco, quoties Antistites Romani Petri successores in Pontificatu, hujus Petri nomine docebant Ecclesiam, vel episcoporum de fide et moribus consultationibus respondentes sive dubia tollentes et explanantes, ac praesertim episcopis inter se disputantibus, subirent, et stantes coram Ecclesia, sicuti aliquando Petrus Hierosolymis stetit in medio fratrum suorum, singuli a beato Lino incipiendo usque ad Pium IX. (quem Deus diu servet) in ipsius Petri nomine decernebant quidquid credendum vel agendum foret, intime sentiebant, se eamdem fidem et doctrinam profiteri, quam professus est et docuit Petrus; una spondentes, se certum et infallibile supra humanae mentis illusionem pronunciare judicium: *Referte ad me et ego audiam.*

Siquis vero secus sentiret, in duo necessario offenderet. Aut arbitratur beatum Petrum hoc superno dono non fuisse a Jesu ditatum, sicut neque ceteros suos successores. Seu putat illum reapse divinitus instructum in suo apostolico regimine, mentiri vero suos successores, Pontifices omnes usque ad praesentem diem, nomen Petri usurpantes, ejusque gerentes personam et auctoritatem in judicando ad deceptionem totius Ecclesiae, eorum commissae administrationi, conscios tamen, se ipsos extra hoc supranaturale privilegium vagari, et hinc fallibiles esse. Quod est in utraque parte absurdum.

Ceterum non est mentitus Petrus, nec sui successores ex Cathedra ipsius docentes. Quamobrem Leo Magnus in Sermone secundo *De die anniversaria assumptionis suae ad Pontificatum n.* 2. Christi vigilantiam celebrans in sua Ecclesia, inquit: « De cujus principali aeternoque praesidio etiam apostolicae opis munimen accepimus: quod utique ab operi

suo non vacat; et firmitas fundamenti, cui totius Ecclesiae superstruitur altitudo, nulla incumbentis sibi templi mole lassescit. Soliditas enim illius fidei, quae in apostolorum Principe est laudata, perpetua est; et sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit; ita permanet quod in Petro Christus instituit.... Manet ergo dispositio veritatis: et beatus Petrus in accepta fortitudine Petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit.... Siquid igitur a nobis recte agitur, recteque decernitur, siquid a misericordia Dei quotidianis supplicationibus obtinetur, illius est operum atque meritorum, cujus in Sede sua vivit potestas, et excellit auctoritas etc. »

Novissime rogo ego: quot et quales sunt Pontifices Romani, qui a beato Petro usque ad s. Leonem coram universa Ecclesia obtestati sunt, pro seipsis locutum esse eumdem Petrum doctorem infallibilem: et hinc inerrans eosmet in Petri persona pronunciasse judicium de omnibus controversiis inter totius orbis fideles agitatas? Et qui et quanti Ecclesiae Patres extitere, qui de Petro Ecclesiae Romanae fundatore locuti sunt et de suis successoribus hac adauctis sublimi praerogativa?

Quoad primum respondeo: isti sane sunt Antistites Romani, qui in Petri Cathedra sederunt; quosque in praefatis nuncupavi testes fideles mearum disquisitionum: et qui unanimiter ab aevi christiani primordiis ad quinque fere secula, hoc singulari divinoque privilegio in conspectu totius Ecclesiae a Christo Jesu munitos se esse confessi sunt, nemine refragante.

Quoad vero secundum: isti sunt episcopi, qui (sicuti olim in veteri Testamento israelitae, quamvis longinqui a solo patrio, Hierosolymam tamen frequentarunt, Templum Dei ibi collocatum reveriti, divinumque Sacerdotis magni oraculum) qui, inquam, a solis ortu usque ad occasum, ab extremis orbis regionibus, ubicumque praedicatum fuerat Evangelium, apostolica et patria traditione confortati, per seipsos vel per epistolas Romam confugerunt ad Petri Cathedram, intime persuasi ab hac Cathedra emanare, quam quaerebant, veritatem.

Et huc reapse advenerunt metropolitae alexandrini, quorum jurisdictio cunctas pervadebat inferioris et superioris Aegypti provincias. Huc advenerunt metropolitae antiocheni super universas Orientis regiones usque ad indos episcopatum gerentes. Huc advenerunt Hierosolimorum metropolitae, huc primates afri, huc metropolitae Armeniae, Asiae Minoris, Ponti, Thessaliae, Hispaniarum, Galliae, Germaniae, Angliae et aliarum regionum metropolitae huc advenerunt, ut supernam illius vocem audirent, cui dixit Dominus: *pasce oves meas: confirma fratres tuos.*

Quid ergo novi statuit Synodus oecumenica Vaticana, divinitus revelatum hoc dogma esse docens et definiens? Nihil novi sane nec inauditum aliquid Patres coram Ecclesia proclamarunt, decernentes: « Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, idest cum omnium chri-

stianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse. Siquis autem huic nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit, anathema sit. »

Quibus verbis alterum, veluti praecursor, praeibat divinum oraculum a Moyse enunciatum coram viris a se electis in judices Israelis: *Quod si difficile* (illis ait) *vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, et ego audiam.* Quam quidem praerogativam a Synagoga in Ecclesiam transgressam, Christus Deus Simoni Petro commisit, ita ut siquid difficile episcopis judicibus, in populo christiano instituendo, visum foret, referrent ad eumdem Petrum: pro quo rogavit ut nunquam deficeret fides ejus, et per hanc confirmaret fratres suos.

Et ita sane senserunt et docuerunt ab Ecclesiae initio totius orbis episcopi ab apostolica et ecclesiastica traditione roborati: adeo ut quoties adunarentur Synodi cum consensu Sedis apostolicae, episcopi omnes, qui ab hac Sede missionem et confirmationem acceperant, professi sint pariter reverentiam erga definitiones ab hac veritatis Cathedra emanantes in iis maxime, quae ad fidem vel mores spectabant.

Hosius episcopus Romani Pontificis legatus ad Synodum nicaenam secum tulit fidei apostolicae formulam ab initio Ecclesiae in sua integritate servatam. Ac ideo Athanasius in Libro de Synodis n. 5. inquit, Patres nicaenos adversus arianos non emisisse decretum, sicuti de D Paschatis, sed dixerunt: *ita credit Ecclesia Catholica.*

Contendentibus inter se episcopis Orientis (inquit Sozomenes ut supra) de Spiritu Sancti essentia, Episcopus Romanus, re comperta, illos scripsit, *ut Trinitatem consubstantialem et honore et gloria aequalem una cum occidentalibus episcopis confiterentur.* Quo facto, utpote controversia judicio Romanae Ecclesiae terminata, singuli quievere. »

Caelestinus Papa scribit ad Synodum ephesinam missis legatis, intersint iis, quae aguntur « καὶ τὰ παρ' ἡμῶν et quae a nobis, ait, antea definita sunt, exequantur: quibus praestandum a vestra sanctitate non dubitamus assensum. His litteris recitatis in Synodo, omnes reclamarunt *Hoc judicium justum* etc. » Et quot et quales fuerunt episcopi, qui proclamarunt in Synodo *hoc judicium justum* a Caelestino emissum contra Nestorium? Omnes huic Synodo adstantes: in quibus emicuerunt metropolitae alexandrinus, antiochenus, constantinopolitanus, thessalonicensis una contestati, per Caelestinum locutum esse Petrum.

FINIS PARTIS PRIMAE.

PRAEFATUM

Nemo miretur, nec me temeritatis nec novitatis arguat, legens hujus Tractatus titulum, haud ignorans, veritatem ubique et quovis tempore reperisse, qui ei contenderent de primatu et dominatione. Ea propter Ecclesia christiana catholica hanc veritatem a sua institutione professa, ejusmodi subiit vices, ut hostes sui sive armis materialibus, aut voce, seu scriptis nunquam hanc oppugnare cessarint. Inter autem hos oppositores nullus tantum profecit, quantum schismaticorum et haereticorum perfidia in mutilandis et falsandis orthodoxorum scriptis, detractis quae vera dicta sunt, vel huc illuc artificiose sparsis erroribus in simplicium illusionem; expletis quae Christus Jesus de Ecclesia sua prophetavit in parabola de zizaniis in medio tritici superseminatis ab inimico homine: quae succrescentia confusa sunt cum semine bono, adeo ut deinde collecta, contra monitum Patrisfamilias, sine discretione probata, congregata sint in horreum tritici.

Talis vero prava consuetudo in Ecclesia a priscis temporibus adeo invaluit, ut Patres in edendis suis scriptis valde solliciti de eorum integritate servanda, praeter alias cautiones ab ipsis praestitas et lectoribus porrectas, has addiderint obtestationes et adjurationes: quibus tam librorum transcriptores ab hac abstinerent corruptione, quam viros probos non fugeret, in his legendis, malitia perversorum. S. Irenaeus in fine Libri *De Ogdoade,* inquit: « Adjuro te, qui transcripseris hunc librum, per Dominum nostrum Jesum Christum, et per gloriosum ejus adventum, in quo judicaturus est vivos et mortuos, ut conferas quod transcripseris, et diligenter emendes ad exemplar, ex quo transcripsisti: utque adjurationem istam similiter excribas, et codici tuo inseras. »

Quamquam vero Irenaeus et cum eo Eusebius, Ruffinus aliiqu hanc emitterent adjurationem contra librorum suorum falsatores nihilominus improborum et maxime haereticorum perrexit studium ubicumque propitia occasio sibi occurreret, falsandi orthodoxorum libros. Cujus rei manifestum testimonium colligas ab Origene e Vigilio Papa; quorum scripta vix in vulgus prodierant, jam falsa ta erant: quare utriusque fama diu pessumdata est cum pusillo rum scandalo et tantorum virorum ignominia. Hoc autem, si in pri vatorum scriptis hoc factum esse constet; eo magis in Synodorum actis et quidem in quaestione de privilegiis Sedis apostolicae pu tandum est patrasse dogmatis catholici hostes.

Interea, nequis ob hujus 2. Partis titulum offendatur, putan cuncta harum Synodorum acta fuisse falsata ac ideo in illis def nita, ad nos non pervenisse in sua integritate, sciat, hoc non es se intelligendum de praecipuis argumentis in illis tractatis: pro pter quae convenerant episcopi, stabiliendi causa dogma catholi cum, ejusque refellendi adversarios. Synodalia enim Patrum de creta a Sede apostolica confirmata, cunctisque fidelibus nota et a cepta, sincera ad nos pervenerunt, adeo ut nulli liceat de eisdem dubitare. De Synodo nicaena inquam, in qua adversus Arium e arianos dogma de Christi divinitate, ejusque cum Patre consub stantialitate confirmatum est. De Concilio sardicensi dico, ubi adu nati sunt episcopi, et ubi, innovato Arii, Eusebii et aliorum haere ticorum anathemate, calumnias refellerunt in s. Athanasium et so cios ejus jactas. De Synodo constantinopolitana oecumenica inquam ad quam convenerunt 150. Patres, pugnantes adversus Macedoniu Spiritus Sancti divinitati mentitum. De Synodo carthaginensi ple naria loquor, ubi damnati sunt Pelagius et Caelestius, qui infi ciati sunt culpae originalis propagationi, et necessitati interna gratiae nobiscum operantis ad salutaria opera, totam illorum tri buentes facultatem animi libero arbitro etc. Et haec praecipu tractata sunt in quatuor allatis Synodis.

De ceteris vero actis et praesertim de Canonibus unicuique ho rum Conciliorum inscriptis, circa numerum et substantiam, cum in his citandis prisci scriptores inter se, seu de eorum numero au de sensu statuendo discrepent, vel penitus hi omittantur ac mul

α'.

ς ἐν νόσῳ ὑπὸ ἰατρῶν ἐχειρουργήθη, ἢ ὑπὸ βαρβάρων ἐξετμήθη, νέτω ἐν τῷ κλήρῳ· εἰ δέ τις ὑγιαίνων ἑαυτὸν ἐξέτεμε, τοῦτον καὶ ιήρῳ ἐξεταζόμενον πεπαῦσθαι προσήκει· καὶ ἐκ τοῦ δεῦρο μηδένα ύτων χρῆναι προάγεσθαι· ὥσπερ δὲ τοῦτο πρόδηλον, ὅτι περὶ τῶν όντων τὸ πρᾶγμα, καὶ τολμώντων ἑαυτοὺς ἐκτέμνειν, εἴρηται· οὕτως πὸ βαρβάρων ἢ δεσποτῶν εὐνουχίσθησαν, εὑρίσκοιντο δὲ ἄλλως ὺς τοιούτους εἰς κλῆρον προσίεται ὁ κανών.

I.

iis a medicis in morbo excisus, vel a barbaris exsectus est, is in neat. Si quis autem cum esset sanus, seipsum exsecuit, eum etiam examinatum cessare convenit, et deinceps nullum talem oportet ri. Quemadmodum autem hoc manifestum est, quod de iis, qui tria hoc agunt, et se ipsos audent excidere, dictum est: ita si aliarbaris vel dominis castrati sint, inveniantur autem et ii alioqui les in clerum admittit Canon.

β'.

δὴ πολλὰ ἤτοι ὑπὸ ἀνάγκης, ἢ ἄλλως ἐπειγομένων τῶν ἀνθρώ- ίνετο παρὰ τὸν κανόνα τὸν ἐκκλησιαστικόν, ὥστε ἀνθρώπους ἀπὸ βίου ἄρτι προσελθόντας τῇ πίστει, καὶ ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ κατηχη- ύθὺς ἐπὶ τὸ πνευματικὸν λουτρὸν ἄγειν, καὶ ἅμα τῷ βαπτισθῆναι εἰς ἐπισκοπὴν ἢ πρεσβυτερεῖον· καλῶς ἔδοξεν ἔχειν τοῦ λοιποῦ οιοῦτο γίνεσθαι· καὶ γὰρ καὶ χρόνου δεῖ τῷ κατηχουμένῳ, καὶ βάπτισμα δοκιμασίας πλείονος· σαφὲς γὰρ τὸ ἀποστολικὸν γράμ- έγον· μὴ δὲ νεόφυτον, ἵνα μὴ τυφωθεὶς εἰς κρῖμα ἐμπέσῃ καὶ τοῦ διαβόλου· εἰ δὲ προϊόντος τοῦ χρόνου, ψυχικόν τι ἁμάρτημα περὶ τὸ πρόσωπον, καὶ ἐλέγχοιτο ὑπὸ δύο ἢ τριῶν μαρτύρων, ω ὁ τοιοῦτος τοῦ κλήρου. ὁ δὲ παρὰ ταῦτα ποιῶν, ὡς ὑπεναν- εγάλῃ συνόδῳ θρασυνόμενος, αὐτὸς κυδυνεύσει περὶ τὸν κλῆρον.

II.

iam multa, vel necessitate, vel urgentibus alioqui hominibus, Canonem ecclesiasticum facta sunt, ut homines, qui e vita gen-

tili ad fidem nuper accesserunt, et exiguo tempore catechumeni, id est, initiati fuere, statim ad lavacrum spiritale deducant, et simul ac baptizati fuerint, ad episcopatum vel presbyteratum provehant, recte habere visum est, ut deinceps nihil tale fiat. Nam et catechumeno tempore opus est, et post baptismum probatione majore. Apertum enim est scriptum apostolicum, quod dicit, *non neophytum*, id est, recens plantatum: *ne inflatus in judicium incidat et diaboli laqueum.* Si autem procedente tempore, animale aliquod peccatum circa personam inventum fuerit, et a duobus vel tribus personis convincatur, cesset, quia talis est, a clero. Qui autem praeter haec facit, ut qui magnae Synodo adversus esse audeat, ipse de clericatu in periculum veniet.

γ'.

Ἀπηγόρευσε καθόλου ἡ μεγάλη σύνοδος, μήτε ἐπισκόπῳ, μήτε πρεσβυτέρῳ, μήτε διακόνῳ, μήτε ὅλως τινὶ τῶν ἐν τῷ κλήρῳ, ἐξεῖναι συνείσακτον ἔχειν· πλὴν εἰ μὴ ἄρα μητέρα, ἢ ἀδελφὴν, ἢ θείαν, ἢ ἃ μόνα πρόσωπα πᾶσαν ὑποψίαν διαπέφευγε.

III.

Vetuit omnino magna Synodus, ne liceat episcopo, nec presbytero, nec diacono, nec ulli penitus eorum qui sunt in clero, introductam habere mulierem, praeterquam utique matrem vel sororem, vel amitam, vel eas solas personas, quae omnem suspicionem effugiunt.

δ'.

Ἐπίσκοπον προσήκει μάλιστα μὲν ὑπὸ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ καθίστασθαι. Εἰ δὲ δυσχερὲς εἴη τὸ τοιοῦτο, ἢ διὰ κατεπείγουσαν ἀνάγκην, ἢ διὰ μῆκος ὁδοῦ, ἐξ ἅπαντος τρεῖς ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναγομένους, συμψήφων γινομένων καὶ τῶν ἀπόντων, καὶ συντιθεμένων διὰ γραμμάτων, τότε τὴν χειροτονίαν ποιεῖσθαι· τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ.

IV.

Episcopum oportet maxime quidem ab omnibus, qui sunt in provincia constitui. Si autem sit hoc difficile, vel propter urgentem necessitatem, vel viae longitudinem, tribus omnino eumdem in locum congregatis, absentibus quoque suffragium ferentibus, et per scripta assentientibus, tunc electio fiat: eorum autem quae fiunt, confirmatio in unaquaque provincia metropolitano tribuatur.

ε.

Περὶ τῶν ἀκοινωνήτων γενομένων, εἴτε τῶν ἐν τῷ κλήρῳ, εἴτε ἐν λαϊκῷ τάγματι, ὑπὸ τῶν καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπων, κρατείτω ἡ γνώμη κατὰ τὸν κανόνα τὸν διαγορεύοντα, τοὺς ὑφ' ἑτέρων ἀποβληθέντας, ὑφ' ἑτέρων μὴ προσίεσθαι· ἐξεταζέσθω δὲ, μὴ μικροψυχίᾳ, ἢ φιλονεικίᾳ ἤ τινι τοιαύτῃ ἀηδίᾳ τοῦ ἐπισκόπου ἀποσυνάγωγοι γεγένηνται. ἵνα οὖν τοῦτο τὴν πρέπουσαν ἐξέτασιν λαμβάνῃ, καλῶς ἔχειν ἔδοξεν ἑκάστου ἐνιαυτοῦ καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν δὶς τοῦ ἔτους συνόδους γίνεσθαι, ἵνα κοινῇ πάντων τῶν ἐπισκόπων τῆς ἐπαρχίας ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνηγμένων, τὰ τοιαῦτα ζητήματα ἐξετάζοιτο καὶ οὕτως οἱ ὁμολογουμένως τῷ ἐπισκόπῳ, κατὰ λόγον ἀκοινώνητοι παρὰ πᾶσιν εἶναι δόξωσι, μέχρις ἂν, τῷ κοινῷ τῶν ἐπισκόπων δόξῃ τὴν φιλανθρωποτέραν ὑπὲρ αὐτῶν ἐκθέσθαι ψῆφον. Αἱ δὲ σύνοδοι γινέσθωσαν, μία μὲν πρὸ τῆς τεσσαρακοστῆς, ἵνα πάσης μικροψυχίας ἀναιρουμένης, τὸ δῶρον καθαρὸν προσφέρηται τῷ Θεῷ, δευτέρα δὲ, περὶ τὸν τοῦ μετοπώρου καιρόν.

V.

De iis qui a communione segregati sunt, sive clericorum sive laicorum sint ordinis, ab episcopis, qui sunt in unaquaque provincia, valeat sententia secundum Canonem, qui pronunciat eos, qui ab aliis ejecti sunt, non esse ab aliis admittendos. Examinetur autem, numquid vel pusillanimitate, vel contentione, vel aliqua ejusmodi episcopi acerbitate, e congregatione pulsi sint. Ut hoc ergo convenientem examinationem accipiat, recte habere visum est, ut singulis annis in unaquaque provincia bis in anno Synodi fiant: ut cum omnes provinciae episcopi in eumdem locum communiter conveniant, ejusmodi quaestiones examinentur: et sic quos episcopum offendisse constiterit, juste esse a congregatione separati apud omnes videantur, donec episcoporum congregationi videatur pro iis humaniorem proferre sententiam. Synodi autem fiant, una quidem ante quadragesimam, ut omnibus animi sordibus sublatis, purum munus Deo offeratur: secunda autem autumni tempore.

ϛ.

Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν· ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν· ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις, τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις· καθόλου δὲ πρόδηλον ἐκεῖνο, ὅτι εἴτις χωρὶς γνώμης τοῦ μητροπολίτου γένοιτο ἐπίσκοπος, τὸν τοιοῦτον ἡ μεγάλη σύνοδος ὥρισε μὴ δεῖν εἶναι ἐπίσκοπον· ἐὰν μέντοι τῇ κοινῇ πάντων ψήφῳ

εὐλόγῳ οὔσῃ, καὶ κατὰ κανόνα ἐκκλησιαστικόν, δύο ἢ τρεῖς δι' οἰκεί: φιλονεικίαν ἀντιλέγωσι, κρατείτω ἡ τῶν πλειόνων ψῆφος.

VI.

Antiqui mores serventur, qui sunt in Aegypto, Libya et Pentapo ut alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem, quand quidem et episcopo Romano hoc est consuetum. Similiter et in Anti chia, et in aliis provinciis sua privilegia ac suae dignitates et auctorit tes ecclesiis serventur. Illud autem est omnino manifestum, quod si qu absque metropolitani sententia factus sit episcopus, eum magna synod definivit non esse episcopum. Quod si quidem communi omnium electi ni, quae et rationi consentanea, et ex regula ecclesiastica facta est, d vel tres propter suam, qua delectantur, contentionem contradicant, vi cant plurium suffragia.

ζ'.

Ἐπειδὴ συνήθεια κεκράτηκε καὶ παράδοσις ἀρχαία, ὥστε τὸν ἐν λίᾳ ἐπίσκοπον τιμᾶσθαι, ἐχέτω τὴν ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς, τῇ μητρο λει σωζομένου τοῦ οἰκείου ἀξιώματος.

VII.

Quoniam obtinuit consuetudo et antiqua traditio, ut qui est in A episcopus, honoretur: habeat honoris consequentiam, metropoli prop dignitate servata.

η'.

Περὶ τῶν ὀνομαζόντων μὲν ἑαυτοὺς καθαρούς ποτε, προσερχομένων τῇ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ συν δῳ, ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς, μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ· πρὸ πα των δὲ τοῦτο ὁμολογῆσαι αὐτοὺς ἐγγράφως προσήκει, ὅτι συνθήσοντ καὶ ἀκολουθήσουσι τοῖς τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας δό μασι, τουτέστι, καὶ διγάμοις κοινωνεῖν, καὶ τοῖς ἐν τῷ διωγμῷ παραπ πτωκόσιν, ἐφ' ὧν καὶ χρόνος τέτακται, καὶ καιρὸς ὥρισται, ὥστε αὐτο ἀκολουθεῖν ἐν πᾶσι τοῖς δόγμασι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας. Ἔνθα μὲν ο πάντες, εἴτε ἐν κώμαις, εἴτε ἐν πόλεσιν, αὐτοὶ μόνοι εὑρίσκοιντο χειρ τονηθέντες, οἱ εὑρισκόμενοι ἐν τῷ κλήρῳ ἔσονται ἐν τῷ αὐτῷ σχήμα· εἰ δὲ τοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου ἢ πρεσβυτέρου ὄντος, προ ἔρχονταί τινες, πρόδηλον, ὡς ὁ μὲν ἐπίσκοπος τῆς ἐκκλησίας ἕξει ἀξίωμα τοῦ ἐπισκόπου, ὁ δὲ ὀνομαζόμενος παρὰ τοῖς λεγομένοις καθαρ

ἐπίσκοπος, τὴν τοῦ πρεσβυτέρου τιμὴν ἕξει, πλὴν εἰ μὴ ἄρα δοκοίη τῷ ἐπισκόπῳ τῆς τιμῆς τοῦ ὀνόματος αὐτὸν μετέχειν· εἰ δὲ τοῦτο αὐτῷ μὴ ἀρέσκοι, ἐπινοήσει τόπον ἢ χωρεπισκόπου, ἢ πρεσβυτέρου, ὑπὲρ τοῦ ἐν τῷ κλήρῳ ὅλως δοκεῖν εἶναι, ἵνα μὴ ἐν τῇ πόλει δύο ἐπίσκοποι ὦσιν.

VIII.

De his, qui se cātharos, id est puros quandoque nominant, si ad Catholicam et apostolicam Ecclesiam accedunt, sanctae magnae Synodo visum est, ut impositis eis manibus, sic in olerc maneant. Ante omnia antem hoc in scriptis ipsos profiteri convenit, quod adhaerebunt et sequentur Catholicae Ecclesiae decreta, idest quae et cum digamis communicabunt, et cum iis, qui in persecutione lapsi sunt, in quibus et tempus constitutum est, et opportunitas praefinita, ut ipsi sequantur in omnibus Ecclesiae decreta. Ubi ergo omnes sive in vicis, sive in urbibus, ipsi soli reperiuntur ordinati, qui inveniuntur in clero, erunt in eodem ordine. Si autem Catholicae Ecclesiae episcopo vel presbytero existente, accedunt aliqui, clarum est, quod ecclesiae quidem episcopus episcopi dignitatem habebit: qui autem apud eos, qui cathari dicuntur, nominatur episcopus, presbyteri honorem habebit: nisi utique episcopo placeat ipsum nominis honorem impertire. Si autem hoc illi non placeat, vel chorepiscopi, vel presbyteri locum excogitabit, ut esse omnino in clero videatur, ne in civitate duo sint episcopi.

θ'.

Εἴ τινες ἀνεξετάστως προσήχθησαν πρεσβύτεροι, ἢ ἀνακρινόμενοι ὡμολόγησαν τὰ ἁμαρτήματα ἡμαρτημένα αὐτοῖς, καὶ ὁμολογησάντων αὐτῶν, παρὰ κανόνα κινούμενοι ἄνθρωποι τοῖς τοιούτοις χεῖρα ἐπιτεθείκασι, τούτους ὁ κανὼν οὐ προσίεται· τὸ γὰρ ἀνεπίληπτον ἐκδικεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία.

IX.

Siqui citra examinationem promoti, sunt presbyteri, vel examinati sua peccata confessi sunt, eisque confessis, praeter Canonem moti homines manus imposuerunt, eos Canon non admittit. Quod est enim a reprehensione alienum, defendit Ecclesia Catholica.

ι'.

Ὅσοι προεχειρίσθησαν τῶν παραπεπτωκότων κατὰ ἄγνοιαν, ἢ καὶ προειδότων τῶν προχειρισαμένων, τοῦτο οὐ προκρίνει τῷ κανόνι τῷ ἐκκλησιαστικῷ, γνωσθέντες γὰρ καθαιροῦνται.

X.

Quicumque ex iis qui lapsi sunt, vel per ignorantiam, vel scientibus iis, qui promoverunt, ordinati sunt, hoc ecclesiastico Canoni non praejudicat. Ii enim cogniti deponuntur.

ια'.

Περὶ τῶν παραβάντων χωρὶς ἀνάγκης, ἢ χωρὶς ἀφαιρέσεως ὑπαρχόντων, ἢ χωρὶς κινδύνου, ἤ τινος τοιούτου, ὃ γέγονεν ἐπὶ τῆς τυραννίδος Λικινίου, ἔδοξε τῇ συνόδῳ, κἂν ἀνάξιοι ἦσαν φιλανθρωπίας, ὅμως χρηστεύσασθαι εἰς αὐτούς· ὅσοι οὖν γνησίως μεταμέλονται, τρία ἔτη ἐν ἀκροωμένοις ποιήσουσιν οἱ πιστοὶ, καὶ ἑπτὰ ἔτη ὑποπεσοῦνται· δύο δὲ ἔτη χωρὶς προσφορᾶς κοινωνήσουσι τῷ λαῷ τῶν προσευχῶν.

XI.

De iis, qui sine necessitate, vel sine facultatum suarum ablatione, vel sine ullo periculo, vel aliquo ejusmodi, transgressi sunt, quod sub Licinii tyrannide factum est, Synodo visum est, etsi humanitate indigni sunt, clementia tamen et benignitate in eos uti. Quicumque ergo germane et vere poenitentia ducuntur, tres annos inter auditores exigent, ut fideles, et septem annis prosternentur supplices: duobus autem annis absque oblatione erunt orationum cum populo participes.

ιβ'.

Οἱ δὲ προσκληθέντες μὲν ὑπὸ τῆς χάριτος, καὶ τὴν πρώτην ὁρμὴν ἐνδειξάμενοι, καὶ ἀποθέμενοι τὰς ζώνας, μετὰ δὲ ταῦτα ἐπὶ τὸν οἰκεῖον ἔμετον ἀναδραμόντες ὡς κύνες, ὥς τινας καὶ ἀργύρια προέσθαι, καὶ βενεφικίοις κατορθῶσαι τὸ ἀναστρατεύσασθαι· οὗτοι δέκα ἔτη ὑποπιπτέτωσαν, μετὰ τὸν τῆς τριετοῦς ἀκροάσεως χρόνον· ἐφ' ἅπασι δὲ τούτοις προσήκει ἐξετάζειν τὴν προαίρεσιν, καὶ τὸ εἶδος τῆς μετανοίας· ὅσοι μὲν γὰρ καὶ φόβῳ καὶ δάκρυσι καὶ ὑπομονῇ καὶ ἀγαθοεργίαις, τὴν ἐπιστοφὴν ἔργῳ καὶ οὐ σχήματι ἐπιδείκνυνται, οὗτοι πληρώσαντες τὸν χρόνον τὸν ὡρισμένον τῆς ἀκροάσεως, εἰκότως τῶν εὐχῶν κοινωνήσουσι, μετὰ τοῦ ἐξεῖναι τῷ ἐπισκόπῳ καὶ φιλανθρωπότερόν τι περὶ αὐτῶν βουλεύσασθαι· ὅσοι δὲ ἀδιαφόρως ἤνεγκαν, καὶ τὸ σχῆμα τοῦ εἰσιέναι εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἀρκεῖν αὐτοῖς ἡγήσαντο πρὸς τὴν ἐπιστροφὴν, ἐξ ἅπαντος πληρούτωσαν τὸν χρόνον.

XII.

Qui autem a gratia quidem evocati, et primum suum ardorem ostenderunt, et cingula deposuerunt, postea autem ut canes ad suum vomitum reversi sunt, ut nonnulli etiam pecuniam profunderent, et beneficiis militiam assequerentur, hi decem annis prosternantur supplices, etiam post triennii auditionis tempus. In his autem omnibus examinare convenit consilium et speciem poenitentiae. Quicumque enim et metu, et lacrymis, et tolerantia, et bonis operibus conversionem et opere et habitu ostendunt, hi impleto auditionis tempore quod praefinitum est, merito orationum communionem habebunt, cum eo quod liceat etiam episcopo humanius aliquid de eis statuere. Quicumque autem non adeo graviter tulerunt, nec multum sua referre existimarunt, satisque esse putarunt in ecclesias ingredi ad conversionem, tempus omnino impleant.

ιγ'.

Περὶ δὲ τῶν ἐξοδευόντων ὁ παλαιὸς καὶ κανονικὸς νόμος φυλαχθήσεται καὶ νῦν, ὥστε εἴτις ἐξοδεύοι, τοῦ τελευταίου καὶ ἀναγκαιοτάτου ἐφοδίου μὴ ἀποστερεῖσθαι· εἰ δὲ ἀπογνωσθείς, καὶ κοινωνίας πάλιν τυχὼν, πάλιν ἐν τοῖς ζῶσιν ἐξετασθῇ, μετὰ τῶν κοινωνούντων τῆς εὐχῆς μόνης ἔστω· καθόλου δὲ καὶ περὶ παντὸς οὑτινοσοῦν ἐξοδεύοντος, αἰτοῦντος τοῦ μετασχεῖν εὐχαστίας, ὁ ἐπίσκοπος μετὰ δοκιμασίας ἐπιδότω τῆς προσφορᾶς.

XIII.

De iis qui excedunt, antiqua et canonica lex nunc quoque servabitur, ut si quis vita excedat, ultimo et maxime necessario viatico ne privetur. Si autem deploratus et communionem assecutus, rursus in vivos relatus sit, cum iis sit, qui orationum sunt tantum communionis participes. In summa autem, de quolibet excedente et eucharistiae participationem petente, cum examinatione oblationem impertiat.

ιδ'.

Περὶ τῶν κατηχουμένων καὶ παραπεσόντων, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ συνόδῳ, ὥστε τριῶν ἐτῶν αὐτοὺς ἀκροωμένους μόνον, μετὰ ταῦτα εὔχεσθαι μετὰ τῶν κατηχουμένων.

XIV.

De catechumenis, et qui lapsi, visum est et sanctae et magnae Synodo, ut ii tribus tantum annis audientes, postea orent cum catechumenis.

Διὰ τὸν πολὺν τάραχον καὶ τὰς στάσεις τὰς γινομένας, ἔδοξε παντάπασι περιαιρεθῆναι τὴν συνήθειαν τὴν παρὰ τὸν κανόνα εὑρεθεῖσαν ἔν τισι μέρεσιν, ὥστε ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν μὴ μεταβαίνειν, μήτε ἐπίσκοπον, μήτε πρεσβύτερον, μήτε διάκονον· εἰ δέ τις μετὰ τὸν τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης συνόδου ὅρον, τοιούτῳ τινὶ ἐπιχειρήσειν ἢ ἐπιδοίη ἑαυτὸν πράγματι τοιούτῳ, ἀκυρωθήσεται ἐξ ἅπαντος τὸ κατασκεύασμα, καὶ ἀποκατασταθήσεται τῇ ἐκκλησίᾳ, ᾗ ὁ ἐπίσκοπος ἢ ὁ πρεσβύτερος ἐχειροτονήθη.

XV.

Propter multum tumultum et seditiones quae fiunt, omnino visum est ut consuetudo, quae praeter Canonem in nonnullis partibus invenitur, tollatur: ut a civitate in civitatem nec episcopus, nec presbyter, nec diaconus transeat. Si quis autem post sanctae et magnae Synodi definitionem tale quippiam aggressus fuerit, vel se rei ejusmodi dederit, quod factum erit, omnino infirmabitur, et ecclesiae restituetur, cui episcopus aut presbyter ordinatus fuerit.

ις'.

Ὅσοι ῥιψοκινδύνως, μήτε τὸν φόβον τοῦ Θεοῦ πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχοντες, μήτε τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα εἰδότες, ἀναχωρήσουσι τῆς ἐκκλησίας, πρεσβύτεροι ἢ διάκονοι, ἢ ὅλως ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι, οὗτοι οὐδαμῶς δεκτοὶ ὀφείλουσιν εἶναι ἐν ἑτέρᾳ ἐκκλησίᾳ, ἀλλὰ πᾶσαν αὐτοῖς ἀνάγκην ἐπάγεσθαι χρὴ, ἀναστρέφειν εἰς τὰς ἑαυτῶν παροικίας, ἢ ἐπιμένοντας, ἀκοινωνήτους εἶναι προσήκει· εἰ δὲ καὶ τολμήσειέ τις ὑφαρπάσαι τὸν τῷ ἑτέρῳ διαφέροντα, καὶ χειροτονῆσαι ἐν τῇ αὐτοῦ ἐκκλησίᾳ, μὴ συγκατατιθεμένου τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, οὗ ἀνεχώρησεν ὁ ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενος, ἄκυρος ἔστω ἡ χειροτονία.

XVI.

Quicumque temere et inconsiderate, nec Dei timorem prae oculis habentes, nec ecclesiasticum Canonem scientes, presbyteri vel diaconi, vel quicumque omnino in Canone recensentur, ab ecclesiis secesserint, ii in aliena ecclesia nullo modo recipi debent, sed omnino cogendi sunt in suas ipsorum parochias redire: vel si perseverent, eos a communione separatos esse oportet. Sin autem et ausus fuerit quispiam eum, qui ad alium pertinet, surripere, et in ecclesia ordinare, non consentiente proprio episcopo, a quo recessit, qui in Canone censetur, irrita sit ordinatio.

ιζ'.

Ἐπειδὴ πολλοὶ ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι τὴν πλεονεξίαν καὶ τὴν αἰσχροκέρδειαν διώκοντες, ἐπελάθοντο τοῦ θείου γράμματος λέγοντος· τὸ ἀργύριον αὐτοῦ οὐκ ἔδωκεν ἐπὶ τόκῳ· καὶ δανείζοντες, ἑκατοστὰς ἀπαιτοῦσιν, ἐδικαίωσεν ἡ ἁγία καὶ μεγάλη σύνοδος, ὡς εἴ τις εὑρεθείη μετὰ τὸν ὅρον τοῦτον τόκους λαμβάνων ἐκ μεταχειρήσεως, ἢ ἄλλως μετερχόμενος τὸ πρᾶγμα, ἢ ἡμιολίας ἀπαιτῶν, ἢ ὅλως ἑτεróντι ἐπινοῶν αἰσχροῦ κέρδους ἕνεκα, καθαιρεθήσεται τοῦ κλήρου, καὶ ἀλλότριος τοῦ κανόνος ἔσται.

XVII.

Quoniam multi qui in Canone recensentur, plura habendi studium et turpe lucrum persequentes, divinae Scripturae obliti sunt, quae dicit: *Argentum suum non dedit ad usuram:* et foenerantes, centesimas exigunt; aequum censuit sancta et magna Synodus, ut si quis inventus fuerit post statutum usuras ex mutuo sumere, vel eam rem aliter persequi, vel sesquialteras exigere, vel aliquid aliud excogitare turpis quaestus gratia, e clero deponatur, et sit alienus a Canone.

ιη'.

Ἦλθεν εἰς τὴν ἁγίαν καὶ μεγάλην συνόδον, ὅτι ἔν τισι τόποις καὶ πόλεσι, τοῖς πρεσβυτέροις τὴν εὐχαριστίαν οἱ διάκονοι διδόασιν, ὅπερ οὔτε ὁ κανὼν, οὔτε ἡ συνήθεια παρέδωκε, τοὺς ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν, τοῖς προσφέρουσι διδόναι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ· κἀκεῖνο δὲ ἐγνωρίσθη, ὅτι ἤδη τινὲς τῶν διακόνων καὶ πρὸ τῶν ἐπισκόπων τῆς εὐχαριστίας ἅπτονται· ταῦτα μὲν οὖν ἅπαντα περιῃρήσθω, καὶ ἐμμενέτωσαν οἱ διάκονοι τοῖς ἰδίοις μέτροις, εἰδότες ὅτι τοῦ μὲν ἐπισκόπου ὑπηρέται εἰσί, τῶν δὲ πρεσβυτέρων ἐλάττους τυγχάνουσι· λαμβανέτωσαν δὲ κατὰ τὴν τάξιν τὴν εὐχαριστίαν μετὰ τοὺς πρεσβυτέρους, ἢ τοῦ ἐπισκόπου διδόντος αὐτοῖς, ἢ τοῦ πρεσβυτέρου· ἀλλὰ μηδὲ καθῆσθαι ἐν μέσῳ τῶν πρεσβυτέρων ἐξέστω τοῖς διακόνοις· παρὰ κανόνα γὰρ καὶ παρὰ τάξιν ἐστὶ τὸ γινόμενον· εἰ δέ τις μὴ θέλοι πειθαρχεῖν καὶ μετὰ τούτους τοὺς ὅρους, πεπαύσθω τῆς διακονίας.

XVIII.

Pervenit ad sanctam Synodum, quod in nonnullis locis et civitatibus diaconi dant presbyteris eucharistiam, quod nec Canon neque consuetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis qui offerunt, dent corpus Christi. Jam vero illud etiam cognitum est, quod jam quidam ex diaconis etiam ante episcopos eucharistiam attingunt. Haec ergo omnia

auferantur, et diaconi intra suas mensuras permaneant: scientes quod sunt quidem episcopi ministri, presbyteris vero minores. Accipiant autem suo ordine eucharistiam post presbyteros, eis praebente episcopo vel presbytero. Sed nec in medio quidem presbyterorum liceat diaconis sedere. Id fit enim praeter Canonem et ordinem. Si quis autem non vult obedire post has constitutiones, a diaconatu desistat.

ιθ'.

Περὶ τῶν Παυλιανισάντων, εἶτα προσφυγόντων τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ὅρος ἐκτέθειται ἀναβαπτίζεσθαι αὐτοὺς ἐξάπαντος· εἰ δέ τινες ἐν τῷ παρεληλυθότι χρόνῳ ἐν τῷ κλήρῳ ἐξητάθησαν, εἰ μὲν ἄμεμπτοι καὶ ἀνεπίληπτοι φανεῖεν, ἀναβαπτισθέντες χειροτονείσθωσαν ὑπὸ τοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου· εἰ δὲ ἡ ἀνάκρισις ἀνεπιτηδείους αὐτοὺς εὑρίσκοι, καθαιρεῖσθαι αὐτοὺς προσήκει· ὡσαύτως δὲ καὶ περὶ τῶν διακονισσῶν, καὶ ὅλως περὶ τῶν ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζομένων, ὁ αὐτὸς τύπος παραφυλαχθήσεται· ἐμνήσθημεν δὲ διακονισσῶν τῶν ἐν τῷ σχήματι ἐξετασθεισῶν, ἐπεὶ μηδὲ χειροθεσίαν τινὰ ἔχουσιν, ὥστε ἐξάπαντος ἐν τοῖς λαϊκοῖς αὐτὰς ἐξετάζεσθαι.

XIX.

De Paulianistis, qui deinde ad Ecclesiam confugerunt, statutum est, ut ii omnino rebaptizentur. Si qui vero tempore praeterito in clericorum numero erant, si quidem a culpa et reprehensione alieni visi fuerint, rebaptizati ordinentur a Catholicae Ecclesiae episcopo. Si vero examinatio eos non esse aptos deprehendit, deponi eos oportet. Similiter autem et de diaconissis, et omnino de omnibus, qui inter clericos annumerantur, eadem forma servabitur. Diaconissarum autem meminimus, quae in habitu quidem censentur, quoniam nec ullam habent manuum impositionem, ut omnino inter laicos ipsae connumerentur.

κ'.

Ἐπειδή τινές εἰσιν ἐν τῇ κυριακῇ γόνυ κλίνοντες, καὶ ἐν ταῖς τῆς πεντηκοστῆς ἡμέραις, ὑπὲρ τοῦ πάντα ἐν πάσῃ παροικίᾳ φυλάττεσθαι, ἑστῶτας ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τὰς εὐχὰς ἀποδιδόναι τῷ Θεῷ.

XX.

Quoniam sunt quidam, qui in die dominico genu flectant, et ipsis diebus pentecostes, ut omnia similiter in omni parochia serventur, visum est sanctae Synodo, ut stantes Deo orationes effundant.

CAPUT I.

Canonis nicaeni de pontificia jurisdictione supra universam Ecclesiam vindicatur integritas et authenticitas adversus furtivam ejusdem subtractionem a catalogo vulgato.

Hucusque veterum Patrum monumenta diluimus de Episcopi Romani jurisdictione supra Ecclesiam universalem; unde emanavit Canon fideliter perpetuoque servatus, appellandi ad Sedem apostolicam in omnibus negotiis sive fidem, vel mores, aut Ecclesiae disciplinam spectantibus: et unde maxime eluxit sicuti Ecclesiae unitas, ita et unus Pastor Christus. Qui per Petrum et successores suos in ipsius Cathedra sedentes, tanquam fons a terra ascendens, irrigaturus erat universam orbis faciem, et ceu lucerna ardens illustraturus mentis humanae tenebras.

Nunc superest diluendum, quid de hac re statutum sit in Concilio nicaeno. Hinc namque praetextum invenerunt adversarii aut refellendi hujus appellationis vetustatem, quasi ante hanc Synodum haec praxis ignota foret in Ecclesia; sive asserendi nicaenos Patres Episcopum Romanum ceteris Orientis metropolitis auctoritate parem considerasse, episcoporum ideo appellatione ad eumdem, ejusque judicio supremo posthabitis in controversiis definiendis, ceterisque componendis, quae conferrent ad reipublicae christianae commodum.

Quapropter summopere decet cuncta hujus Synodi acta investigare, numerum et sensum Canonum huic inscriptorum, nec non coaevorum testimonia et huic aetati proximorum Patrum et Pontificum in authenticis hujus Concilii gestis statutisque citandis, et maxime, quae de pontificia jurisdictione versantur. Hinc enim patefiet discrimen, quod inter Canones sub nicaenorum nomine notos, cedit, et Canones haud numeratos in eo catalogo, sed a praefatis Patribus vel a Pontificibus hîc illic in suis epistolis citatos, et secus exprimentes, quam volunt vulgo dicti Canones in labbeana collectione editi. Quibus studiose expensis, consequetur consensus Patrum nicaenorum cum illis, qui ante et post hanc aetatem in Ecclesia docuerunt circa eximias Pontificatus Romani praerogativas supra ceteros mundi episcopos, et quidem super eos, qui hodie sicuti antiquitus, patriarcharum titulo ornantur.

Ac interim quoad appellationis praxim ad Petri Cathedram et normam in ea perficiendam juxta apostolicam institutionem a Patribus nicaenis comprobatam, praestantissimum hujus rei testimonium et quidem explicitum praebet Zosimus Papa in epistola ad Faustinum episcopum et ad presbyteros Philippum et Asellum circa an. 417. In qua duos Ca-

nones citat; quorum etsi hucusque unus desideretur in catalogo vulgato nicaenorum Canonum et alter in lectione variet, Pontifex tamen utrumque tradit ceu ab hac Synodo sancitum. Ideoque congruum mihi visum est integrum praemittere amborum Canonum textum, ac deinde subdere documenta Pontificum, qui Zosimo praecessere et subsecuti sunt. Hoc autem eo lubentius agam, quo ferventius jam ab Augustini aetate de his disputatum est a Zosimo Papa et successoribus cum episcopis africanis, illis ceu Canones sinceros Synodi nicaenae habentibus, his vero saltem primum negantibus.

Alioquin acceptum fore confido, si nos sedula inquisitione usi, etsi valde sero, veterum Patrum scrutati documenta, eaque inter se conferentes et cum Canonibus in quaestione, scopum attigerimus, asserentes illos Canones revera nicaenos haberi, a Synodo oecumenica sancitos: ac amplius Canonem de appellationibus ad Sedem apostolicam a perfidia arianorum subtractum esse ab elencho, cui subscripserunt 318. Patres.

Haec porro praefatis viris ait Zosimus in Commonitorio: « Vobis commissa negotia non latent. Vos, ita ut nostra, immo quia nostra ibi in vobis praesentia est, cuncta peragite: maxime cum et hoc nostrum possitis habere mandatum, et verba Canonum, quae in pleniorem firmitatem huic Commonitorio inseruimus. Ita enim dixerunt, dilectissimi fratres, in Concilio nicaeno, cum de episcoporum appellationibus decernerent: *Si episcopus accusatus fuerit, et judicaverint congregati episcopi regionis illius, et de suo gradu dejecerint eum; et appellasse videatur, et confugerit ad beatissimum Ecclesiae Romanae Episcopum, et voluerit audiri; et justum putaverit ut renovetur examen; scribere his episcopis dignetur, qui in finitima et propinqua provincia sunt, et ipsi diligenter omnia requirant, et juxta veritatis fidem definiant. Quod si is, qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut e latere suo presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi Romani quid velit, et quid existimet. Et si decreverit mittendos esse, qui praesentes cum episcopis judicent, habentes auctoritatem ejus, a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit sufficere episcopos, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo judicaverit.*

De appellationis autem clericorum (in quo titulo comprehenduntur presbyteri et diaconi) item: *Si episcopus quis forte iracundus, quod esse non debet, cito aut aspere commoveatur adversus presbyterum sive diaconum suum; et exterminare eum de Ecclesia voluerit, providendum est, ne innocens damnetur, aut perdat communionem. Habeat potestatem ejectus, ut finitimos interpellet: causa ejus audiatur, et diligentius tractetur; quia non oportet negare ei audientiam petenti: et ille episcopus, qui juste aut injuste eum rejecit, patienter accipiat, ut negotium discutiatur, ut aut probetur ejus, aut emendetur sententia.* (Gallandi Tom. IX. p. 18.)

Et haec decernit Zosimus Papa non tantum ex suprema sui officii

Synodo discuti posse, confirmatur non solum concordia Canonum a Zosimo citatorum cum ipsius Julii litteris ad Danium et socios, sed et fons nicaenus patet, unde ipsi Canones emanarunt. [1]

Interim nostro argumento proderit tum ex hac Julii epistola cum ex Athanasii Apologia quaedam summarie carpere, diligenterque examinare. Jam dixi, teste Julio, Patres nicaenos ecclesiasticae traditionis custodes et interpretes quaedam in suis constitutionibus decrevisse, quae hodie frustra quaeres in vulgatis Canonibus huic Synodo inscriptis. Et primum Julius ait n. 22. se eusebianos hortatum esse, ut Romae accederent ad Synodum, cum Nicaeae statutum erat, et hoc ex more antiquo, acta prioris Synodi in alia disquiri posse. Deinde n. 25. arguit illos, quod invitati noluerint venire ad Synodum sub praetextu itineris et angusti temporis spatii. Mihi vero viderentur eusebiani, potiusquam hanc proferre excusationem, secus absolute debuisse obtestari, se minime cogi huic interesse Synodo, neque obsequi mandato pontificio, si reapse eousque in Ecclesia ignotum fuisset hoc Cathedrae Romanae privilegium. Verumtamen eusebiani hucusque haud mentiti sunt, nec refutarunt hanc pontificiam praerogativam ad se revocandi acta prioris Synodi undequavis adunatae, cum alias potius scrutati sint causas suae absentiae.

Quapropter paulo post n. 31. subdit: « Nam si omnino, ut dicitis, aliqua fuit eorum culpa, judicium secundum ecclesiasticum Canonem, nec eo pacto fieri oportuit. Oportuit omnibus nobis scripsisse.... Sane si ejusmodi suspicio in illius urbis episcopum cadebat, ad hanc Ecclesiam scribendum erat. » En integrum Canonis nicaeni sensum, veluti expressit deinde Zosimus in Commonitorio. Hinc alacriter n. 35. Julius conqueritur eusebianis, quare ad se non scripserint: « Cur autem, ait, de alexandrina potissimum ecclesia nihil nobis scriptum est? An ignoratis hanc esse consuetudinem, ut nobis primum scribatur; et hinc quod justum est decernatur? » Nisi enim pro Julio staret firmus Canon nicaenus referendi ad Sedem apostolicam acta cujusque Synodi et cujuscumque regionis etiam dissitae, haud tam sollicite corripuisset gesta Concilii alexandrini.

Alioquin tanta erat radicitus fixa fidelium mentibus reverentia erga supremum judicium Cathedrae apostolicae, ut (teste Athanasio in Apologia n. 20.) priusquam eusebiani penitus ab Ecclesia scinderentur, per litteras Papam appellarunt, rogantes eum, ut Synodus cogeretur, et ipse si vellet, judex foret. Item de eisdem n. 35. scribit: « Nunc autem quos certiores minime fecerunt, postquam jam egerint quod libuit, nos, rei ignaros, cui non interfuimus, suffragatores esse volunt. » Necessariam

[1] Interim ab expositis constat, hunc Canonem nicaenum citatum a Julio, eumdem esse, quem postea Zosimus Papa ad litteram citavit in Commonitorio ad episcopos africanos. Ac ideo quamvis iste Canon insertus deinde dicatur Canonibus sardicis, revera tamen fatendum est spectare ad Synodum nicaenam. Julii namque aetate cum has litteras dedit, nondum adunatum erat Concilium sardicense. De hoc porro alibi disputabitur.

que provincia bis in anno Synodi fiant: ut simul omnibus episcopis pro vinciae congregatis, ejusmodi quaestiones examinentur; et ita qui ex con fessione offenderunt episcopum, juxta rationem existimentur apud omne fuisse a communione separati: donec communi episcoporum videatur hu maniorem pro his proferre sententiam. Synodi autem fiant; una quidem ante hyemem, ut omnibus animi sordibus sublatis, purum Deo munu offeratur: secunda vero tempore Autumni. »

Idem Canon ex versione Ruffini.

Et ne, quem alius episcopus de Ecclesia expulerit sive clericum siv laicum, suscipiat alius. Sane ne hoc aut iracundia aliqua et contentio ne, ut fieri solet, injuste factum, remedium non haberet, decernunt, pe singulos annos in singulis quibusque provinciis secundo ab omnibus ep scopis provincialibus Concilia agi debere: et de hujusmodi negotiis ju dicari, ut si forte ab uno inique aliquid gestum sit, a ceteris emende tur, si recte, ab omnibus confirmetur. »

Hinc nemo non videt, haec tria documenta eumdem praetendere sco pum, licet varimode exposita, de episcopi nempe judicio in causis pre sbyterorum, diaconorum et laicorum, adeo ut si forte aliquis ex his a proprio episcopo ob aliquod delictum excommunicatus fuerit, providen dum sit, ne injuste aut nimia severitate puniatur. Et ob hoc statuit Sy nodus licere ei, qui communione privatus est, appellare ad episcopos fi nitimos, ut causa ejus audiatur; et decernant, num rata sit habenda la ta sententia, an tollenda, vel temperanda. Nisi quod in Canone V. ex elencho labbeano additum est, ob hujusmodi causas bis in anno congre gandos esse episcopos in unaquaque provincia ut (et hoc clare explica Canon XX. antiochenus) in ipsis Synodis accedant presbyteri, et diaco ni et omnes, qui se affectos injuria putant, ut a Synodo judicium asse quantur. Et hoc item notatur in Breviario horum Canonum: « Duas vi ces in anno Concilium fiat: et presbyteri et diaconi ambulent. Episcop non faciant Concilium sine metropolitano.

Quamobrem hic Canon V. non est confundendus, ut aliqui putant cum altero surrepto de episcoporum appellationibus cujus initium: *Si episcopus accusatus fuerit* etc. Aliter namque Canones nicaeni providerunt in ordine hujus appellationis; quemadmodum jure animadverterun quoque episcopi ariani in Synodi antiochenae Canone VI. et XIV. « Si quis (Canon VI.) a proprio episcopo excommunicatus fuerit, ne prius ab aliis suscipiatur, quam fuerit a proprio episcopo susceptus, vel facta Synodo accedens se defenderit, et persuasa Synodo, aliam sententiam retulerit. Idem autem decretum adversus laicos et presbyteros et diaconos et eos, qui sunt in cleri catalogo, observetur. » Deinde Canone XIV « Siquis episcopus de certis criminibus judicetur, et contingat de eo com provinciales episcopos dissidere, cum judicatus ab aliis innocens creditur, reus ab aliis existimatur, pro totius hujus ambiguitatis absolutione,

sanctae Synodo placuit, ut metropolitanus episcopus a vicina provincia judices alios convocet, qui controversiam tollant etc. » (Labbei Tom. II. p. 1312. 1313.).

Hinc concluditur in Canone V. nicaeno vulgato agi de causis privatis inter episcopum et presbyteros, diaconos et laicos suae dioecesis, si forte episcopus quemdam injuste ab Ecclesiae communione expulisset, quare ejectus ad episcopos finitimos appellabat ut innovaretur judicium. Canon vero alter nicaenus, et quidem surreptus, ad quem appellat Julius, versatur de quaestionibus in Synodo agitatis inter episcopos et episcopos, inter metropolitas et metropolitas variarum provinciarum; quarum causarum definitio, quoties oporteret, in alia Synodo examinanda erat ac demum Sedis apostolicae subjicienda judicio. Utroque igitur collato Canone, manifeste perspicitur istius differentia in sensu ab altero supra citato.

Itaque cum constet, Patres nicaenos episcoporum appellationes distinxisse ab appellationibus presbyterorum et diaconorum, sicuti factum est a Synodo antiochena, rogo ego quare Synodus nicaena tam sollerter in Ecclesiae ordine et decore servando secundum apostolicam traditionem, ad presbyteros, diaconos et laicos intenderit animum, ut si forte quis eorum deliquisset, aut de aliqua culpa in fide vel moribus accusaretur, judicium subiret episcopi, a cujus sane judicio appellare posset ad Synodum metropolitanam, quare peto ego, de accusationibus in episcopos latis et de horum appellationibus non statuerunt Patres nicaeni, quid agendum erat? Fieri enim non potuit, ut Synodus nicaena consuluerit presbyterorum, diaconorum, laicorum negotiis, quin majoris momenti episcoporum causas ad se revocaret, decerneretque, quid agendum esset, si nonnemo illorum de aliquo delicto insimularetur et damnaretur, et ipse appellaret pro suae causae recognitione. [1]

His positis, cum constitutionis ordo a Patribus postularet specialem Canonem circa episcopos alicujus delicti reos, eorumque appellationem; cumque insuper hic Canon summatim citetur a Julio Papa ceu foetus Synodi nicaenae, et amplius deinde in sua integritate citetur a Zosimo, eidemque Synodo inscribatur (eoque magis quod huic Canoni alter succedit de cleri inferioris appellationibus) concludendum est hunc Canonem fuisse a perfida arianorum manu deletum a statutis Concilii nicaeni. Ex duobus Canonibus a Zosimo citatis, primum sustulerunt ariani propter

[1] Hic tamen notetur, me tres Canones antiochenos ab arianis conditos citasse de appellationibus ad Synodum in causis inter episcopos agitatis, statuendi gratia fieri non potuisse quod nicaeni Patres transigerent super easdem quaestiones in Ecclesia frequentes. Ceterum si episcopi antiocheni sejuncti a Sede apostolica in his casibus totam quaestionem remiserint Concilio provinciali, non ita putarunt nicaeni, qui definitiones synodales submittendas esse decreverunt judicio Episcopi Romani: sicuti plane docuit Julius in praefatis litteris.

appellationem ad Antistitem Romanum in eo sancitam; secundum acceperunt ob ejusdem convenientiam cum suis statutis. Exceptis namque fide nicaena et primatu Sedis apostolicae, in ceteris Canones antiocheni catholicis institutionibus fere concordant.

Praeterea ne putandum quidem est, Julium Papam in quaestione Athanasii Canonem nicaenum animadvertisse eumdem citatum in elencho vulgato de appellationibus clericorum in causis minoribus ad episcopum vel ad Synodum provinciae, altero praetermisso Canone (quem subtractum postea fuisse asserimus) de causis majoribus inter episcopos promotis. Hoc sane absit. Julius manifeste coram Danio et sociis eusebianis citat Canonem nicaenum de appellationibus ad Sedem apostolicam ob causas majores inter episcopos promotas, et quidem illum eumdem Canonem, de quo disputatur.

In Canone namque vulgato circa quaestiones inter presbyteros et episcopos, nulla occurrit Sedis apostolicae mentio, cum deferrentur ad Synodum provinciae. In altero vero Canone surrepto, ad quem refertur Papa, quippe de majoris momenti negotiis agitur inter episcopos et metropolitas, vocatur judex Episcopus Romanus; ita ut unus Canon ab altero distinguatur nec sit confundendus ob circumstantiarum diversitatem. Si quis autem in epistola, ubi dicitur, Patres nicaenos acta prioris Synodi denuo permisisse examinari, velit in hoc intelligi Canonem vulgatum de cleri minoris causis (quod tamen non est hic casus, cum disputatio urgeret inter antistites eusebianos et catholicos) attamen Julius in fine repetens Ecclesiae morem et Canonem, ostendit, quaestiones illi similes, cum ageretur de sedibus primariis, in quibus alexandrina, necessario ad Cathedram pontificiam referendas esse. Et ob hoc eos corripit inquiens: « An ignoratis hanc esse consuetudinem, ut primum nobis scribatur, et hinc quod justum est, decernatur? » Et sane quam hîc vocat *consuetudinem,* prius dixit *Ecclesiae Canonem;* et quem vocat *Canonem ecclesiasticum,* antea appellavit *veterem morem in magna Synodo* confirmatum: et quem tandem nuncupat *veterem morem,* luculenter indicavit initium Canonis VI. immediate huic succedentis in his verbis: *veteres mores teneant,* quem Canonem in ceteris falsatum fuisse, inferius patefiet in Capite de ecclesiarum apostolicarum privilegiis.

S. Ambrosius haud ignoravit hunc Canonem nicaenum in epistola 9. Libri I. ad Theophilum alexandrinum judicem constitutum causae inter Flavianum et Evagrium de Antiochiae episcopatu (quia Flavianus confugerat ad Imperatorem) inquiens: « Iterum oportet fratrem nostrum Flavianum convenias, ut si in eo perseveraverit, quo veniendum non putet, salvis Concilii nicaeni, sed etiam Synodi capuensis statutis, illibata pace ita consulas universorum, ut non videamur destruere quod aedificatum est. . . . . Sane referendum arbitramur ad sanctum fratrem nostrum Romanae Ecclesiae Sacerdotem: quoniam praesumimus, ea te judicatu-

ı, quae etiam illi displicere nequeant. Ita enim, utile erit consultum tentiae etc. » In his litteris totum vidimus expletum quod statuit Ca- . nicaenus a Zosimo citatus.

Item ad eumdem Canonem, nec alium praeter hunc, appellavit bis ocentius, scribens ad Clerum constantinopolitanum et ad praefatum ɔophilum in beati Chrysostomi causa. Quapropter Papa, acceptis Joan- litteris, putans cuncta adversus Joannem per ludibrium esse patrata, bit ad Theophilum, hortatus ut renovetur judicium: « Fieri enim, ait, i non posse, ut, nisi congruum judicium subsequatur super his, quae ludibrium gesta sunt, sine ratione a Joannis communione discedas. Tu igitur, si judicio confidis, siste te ad Synodum, quae secun- ı Christum fuerit; et ibi expositis criminationibus sub testibus Ni- ae Canonibus (alium enim Canonem Romana non admittit Ecclesia) ıritatem habebis sine contradictione. »

Innocentius non exprobrat Theophilo, quod ab Aegypto Constantino- im convenerit in quaestione Chrysostomi, sicuti antea hujus sanci- at electionem in illius ecclesiae episcopatu; et hoc ex privilegio me- ɔolitae alexandrini, de quo postea. Verum Pontifex non probavit ju- ium adversus Joannem emissum quippe iniquum: et ob hoc Canonis aeni auctoritate usus in his circumstantiis, mandat Theophilo ejusdem ɔcutionem. Cujus Canonis sensus ita se habet uniformem pontificiis tis, ut non sit dubitandum de illorum convenientia, et fonte nicaeno, le emanarunt: « Si episcopus, decernit Canon, accusatus fuerit, et ju- averint congregati episcopi regionis illius: et de ipso gradu dejece- t eum; et appellasse videatur et confugerit ad beatissimum Ecclesiae manae Episcopum, et voluerit audiri; et justum putaverit ut renove- examen; scribere Episcopus (Romanus) dignetur his, qui in finitima propinqua provincia sunt: et ipsi diligenter omnia requirant et juxta ;itatis fidem definiant etc. »

Itaque, sicuti manifesta est convenientia Canonis cum Innocentii epi- la; ita tantumdem satis absonum foret arbitrari, Papam Canonem ci- e, quem Patres nicaeni non sancivissent: eoque magis quod ipsemet ıocentius, hoc accepto genuino Canone, alios tunc refutarit Canones ɔcryphos ab Ecclesia rejectos. Ac demum pariter liquet inter nicaenos ıones hunc solum (postea ab horum catalogo subtractum) verti supra aestiones inter episcopos agitatas, deque in his definiendis ratione ser- nda, adeo ut vel illusum statuendum sit Innocentium, cum citet hunc ıonem nicaenum, qui non extat, quod putare non licet, aut Canonem rasum ab elencho genuino, quo usus est s. Pontifex.

Ideoque in litteris ad Victricium rotomagensem n. 3. mandat: « Si- ae autem causae, vel contentiones fuerint inter clericos tam superioris dinis quam inferioris exortae, ut secundum Synodum nicaenam, congre- tis ejusdem provinciae episcopis, jurgium terminetur. Nec alicui liceat

sine praejudicio tamen Romanae Ecclesiae, cui in cunctis causis debet reverentia custodiri, relictis suis sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei Ecclesiam divino nutu gubernant, ad alias devolare provincias.... Si autem majores causae in medio fuerint devolutae, ad Sedem apostolicam juxta Synodum (nicaenam) post episcopale judicium referantur. » En praeclarissime pro utroque casu praeviso de appellationibus, duo Canones nicaeni citantur ab Innocentio, tam qui in catalogo vulgato legitur, tam alter postea ab eodem expunctus.

Luculentius autem hoc idem contestatur Bonifacius I. scribens ad episcopos Thessaliae (Gallandi Tom. IX. p. 57.) sic epistolam exorsus: « Institutio universalis nascentis Ecclesiae de beati Petri sumpsit honore principium: in quo regimen ejus et summa consistit. Ex ejus enim ecclesiastica disciplina per omnes ecclesias, Religionis jam crescente cultura, fonte manavit. Nicaenae Synodi non aliud praecepta testantur, adeo ut non aliquid super eum ausa sit constituere, cum videret, nihil supra meritum suum posse conferri: omnia denique huic noverat Domini sermone concessa etc. »

Cum itaque Bonifacius in hac et in sequenti epistola, Thessaliae episcopis pro fidei et disciplinae ecclesiasticae unitate custodienda commendet obsequium in Petri Cathedram, eamque commendationem fulcirit supra nicaenae Synodi praecepta, quid huic proposito conferre putamus hujus Synodi praecepta, si in actis Concilii sive in vulgato Canonum nicaenorum numero ne verbum quidem occurrat de ejusmodi privilegiis? Unde ergo Patrum nicaenorum praecepta fidelibus tradita erga definitiones Antistitis Romani, *a cujus deliberatione,* inquit Bonifacius, *pendet summa rerum,* si ex praefatis Canonibus nihil constet a Patribus elaboratum, definitumque fuisse de Sedis apostolicae praerogativis? Mentitum esse Bonifacium fortasse dicendum est, cum iterum iterumque talia docet de nicaenae Synodi praeceptis? Absit.

Si ergo non mentitur Pontifex statuta nicaena repetens adversus contemptores juris pontificii, ab illius appellationibus abstinentes, necessario inferendum est, Patres in Synodo nicaena et oecumenica adunatos, apostolicam servantes traditionem, plura decrevisse pro Pontificatus Romani juribus; sive jurisdictionem supra totius mundi episcopos spectes, vel appellationes ad supremum illius tribunal; et hinc eadem decreta in praedicta Synodo luculenter expressa, paulo post ab arianis subtracta sicuti et cetera falsata fuisse; qualia hodie in catalogo vulgato illorum Canonum inspiciuntur.

S. Leo in epistola 40. ad Theodosium, inquit ob Synodum ephesinam praedatoriam, Flavianum et alios episcopos libellum sibi obtulisse appellationis, ac ideo jubet Concilium adunari intra Italiam, ut qui deviarent a veritatis tramite, salutaribus remediis in integrum revocentur, et non desinant ab Ecclesiae unitate: « Quantum autem, ait, post ap-

llationem interpositam, hoc necessario postuletur, Canonum Nicaeae bitorum decreta testantur, quae a totius mundi sunt sacerdotibus contuta. » S. Pontifex hunc Canonem citat de appellationibus ad Sedem ostolicam haud veritus contradictionem ob praesumptionem *apocryiae:* nec multo minus confundit nicaenum decretum de quaestionibus ivatis inter clericos et episcopum unius civitatis, de quo non erat tunc :us. Verum de rebus fidei substantialibus disputabatur inter episcopos, arum judicium ad Petri Cathedram referendum erat. Ceterum praeter ıc Canonem (furtive sublatum) nullum aliud a Patribus in Synodo caena editum est decretum, quod Pontifici suffragaretur. Et quidem hic em est Canon a Julio Papa citatus eademque de causa ac in litteris l eusebianos in quaestione s. Athanasii: adeo ut unus alteri suffrager, sive quoad sensum, vel authenticitatem ejusdem. [1]

Novissime hujus Canonis authenticitatem confirmat Gelasius Papa in ommonitorio ad Faustum magistrum fungentem legationis officio Conantinopoli circa an. 493. de Acacio damnato a Sede apostolica. Ex luribus, quae Papa exprobrat schismaticis, haec notantur: « Nobis oponunt, inquit, Canones, dum nesciunt, quid loquuntur. Contra quos hoc ›so venire se produnt, quod primae Sedi, sana et recta suadenti, paere fugiunt. Ipsi sunt Canones: qui appellationes totius Ecclesiae ad ıujus Sedis examen voluere deferri. Ab ipsa vero nusquam prorsus apellari debere sanxerunt; ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, psam ad nullius commeare judicium: nec de ejus unquam praeceperunt udicio judicare; et sententiam illius constituerunt non oportere dissolri; cujus potius decreta sequenda mandarunt. » Paulo post: « Quaero amen ab his, judicium quod praetendunt, ubinam possit agitari: an apud ipsos, ut iidem sint inimici et testes et judices? Sed tali judicio nec humana debent committi negotia, nedum divinae Legis integritas. Si quantum ad Religionem spectat, non nisi apostolicae Sedi juxta Canones debetur summa totius judicii... Ineptias itaque suas sibi servent, nisi resipiscant: potius cogitantes Christi vocem non esse superfluam; quae confessioni beati Petri apostoli inferni portas nunquam praevalituras asseruit. Quapropter non veremur, ne apostolica sententia resolvatur, quam et vox Christi, et majorum traditio et Canonum (*nicaenorum* ex Harduino) fulcit auctoritas, ut totam potius Ecclesiam semper ipsa dijudicet. »

Interea ex hoc Commonitorio perspicue desumitur, saepe Gelasium antiquos Ecclesiae Canones citare: in quibus definitum erat, *totius Eccle-*

[1] Porro dixi hunc Canonem a catalogo vulgato surreptum versari de appellationıus ad Sedem apostolicam, cum tamen in sequenti Canone VI, quem falsatum esse infra patefiet, agitur de primatu Episcopı Romani supra ceteros mundi antistites. Idcirco ıon est mirum, si Patres quandoque non Canonem sed Canones nicaenos citarint, disserentes de Episcopatu Romano.

siae appellationes ad Sedem apostolicam deferendas esse. Item: *Si quantum ad Religionem spectat, non nisi apostolicae Sedi juxta Canones deberi summam totius judicii.* Nec secus paulo post ait, *ex voce Christi, traditione et Canonibus fulciri hujus Sedis auctoritatem in suis judiciis.* Cum ergo Gelasius ter hos Canones citet de appellationibus ejusmodi, et praesertim schismaticos confutans, non est quidem praesumendum, illum per se primum illos excogitasse, ut opponeret adversariis. Sed aliter dicendum est, Gelasium hos Canones a priscis Patribus sancitos ut authenticos et in Ecclesia servatos, appellasse.

Cum ergo non sit dubitandum de horum Canonum antiquitate, quorum tenor respicit pontificiam jurisdictionem supra universae Ecclesiae episcopatum, necessario sequitur hos a Synodo nicaena repetendos esse: quorum tamen fons ab apostolica institutione emanabat. De reliquo frustra hos Canones aliunde exquires in Conciliis nempe oecumenicis vel provincialibus huic aetati praecedentibus extra Concilium nicaenum. Siquis vero miretur, cur Gelasius Synodi nicaenae nomen tacuerit, unde hos Canones transcripserit, quamvis Harduinus putet revera hoc notatum esse in Commonitorio, respondeo istud non obstare, si conferantur s. Leonis scripta, ubi saepe per antonomasiam citantur Ecclesiae Canones, et quidem nicaeni, quin aliquando notetur Synodus, ubi conditi sunt. Verumtamen in sequentibus, praesertim in Capite de Synodo sardicensi, magis res patefiet.

Cunctis his praemissis, concludam Patres veteris disciplinae peritos in Synodo nicaena adunatos, cum decreverint, quaestiones inter episcopos agitatas, referendas esse ad judicium Antistitis Romani, non nisi mosaicum et mysticum statutum saepius citatum explevisse, ubi dicitur: *quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, et ego audiam.* Quod quidem divinum oraculum deinde a Christo Jesu confirmatum, translatum est in personam beati Petri totius Ecclesiae rectoris et doctoris infallibilis: *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

---

alia ecclesia non admittat. Ut venientes a novatianis vel montensibus per manus impositionem suscipiantur, praeter eos, qui rebaptizant. »

Innocentius autem paulo post ad Victricium rotomagensem latius eadem innovat decreta cum eisdem praemissis ab epistola Siricii transcriptis, cujus initium: *Etsi tibi* etc. Ait enim: « Primum ut extra conscientiam metropolitani episcopi nullus audeat ordinare. Integrum enim est judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur; nec unus episcopus ordinare praesumat, ne furtivum beneficium praestitum videatur. Hoc enim in Synodo nicaena constitit definitum.

« Item siquis post remissionem peccatorum cingulum militiae secularis habuerit, ad clericatum omnino admitti non debet. Siquae autem causae vel contentiones inter clericos tam superioris ordinis quam etiam inferioris, fuerint exortae, ut secundum Synodum nicaenam congregatis ejusdem provinciae episcopis, jurgium terminetur. Nec alicui liceat (sine praejudicio tamen Romanae Ecclesiae, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri) relictis his sacerdotibus, qui in eadem provincia Dei Ecclesiam nutu divino gubernant, ad alias convolare provincias. Quod si forte quis praesumpserit, et ab officio clericatus submotus, et injuriarum reus ab omnibus judicetur. [1]

« Si majores causae in medium fuerint devolutae, ad Sedem apostolicam, sicuti Synodus statuit, et beata consuetudo exigit, post judicium episcopale referantur. » Qui sequuntur Canones, infra expendentur.

Antea notetur, Siricium in his texendis Canonibus semel citare Synodum nicaenam, et quidem ubi agitur de episcopi ordinatione: quamvis, ut verius dicatur, cuncta summatim ibi statuta, partem constituere Canonum hujus Concilii. Innocentius vero ter hoc appellat Concilium, et in loco citato, et ubi agitur de causis majoribus ad Sedem apostolicam referendis (quod omittitur in catalogo labbeano) et ubi agitur de clerico ejecto ab episcopo, et ab altera ecclesia non recipiendo. Nihilominus non solum Patres nicaeni decrevere quae ab his Pontificibus dicuntur statuta nicaena, sed et ceteros fere Canones (quamvis sub hoc titulo non appellentur) quippe ab hoc uno fonte manarint.

Interim quod magis nostra scire interest, respicit decretum nicaenum, quocum statuitur, majores causas, illas scilicet inter episcopos excitas, ad Sedem apostolicam referendas esse: *sicuti,* inquit Innocentius, *Synodus nicaena statuit et beata consuetudo.* Nihilominus, etsi ita decernat Papa ex Concilii nicaeni auctoritate et ex praxi ecclesiastica, frustra hodie hoc statutum quaeres in elencho Canonum nicaenorum.

[1] Siquis vero verba parenthesi inclusa *(sine praejudicio tamen Romanae Ecclesiae, cui in omnibus causis debet reverentia custodiri)* non acceperit genuina, sed postea inserta, uti criticis visum est ex Codicum collatione, tunc in sua integritate manent duo Canones de clericorum causis minoribus ad metropolitas referendis, et de causis majoribus inter episcopos et episcopos agitatis ad Sedem apostolicam revocandis: sicuti a Sozimo Papa planissime distincti sunt.

De reliquo non est tantum de hoc Sedis Romanae privilegio nobis disputandum, satis a praefatis noto: ast augescit opus, si consideretur lectionis discrimen ortum in exponendis primis decreti verbis circa jus et normam ordinationis episcoporum. Siricius enim ait: *Primum, ut extra conscientiam Sedis apostolicae hoc est primatis nemo audeat ordinare. Integrum enim est judicium, quod plurimorum sententia consequatur. Nec unus episcopus episcopum ordinare praesumat propter arrogantiam, ne furtivum beneficium praestitum videatur. Hoc enim in Synodo nicaena constat esse definitum.* Innocentius porro eadem praemittens scribit: *Primum, ut extra conscientiam metropolitani nullus audeat ordinare. Integrum enim est judicium* etc. sicuti in praefatis. Item in Canone I. Concilii telensis vel ellensis circa an. 418. traditur: « Sine apostolica Sede idest Metropoli nullus ordinetur episcopus. Plurimorum episcoporum sententia teneatur. » (Labbei Tom. III. p. 380.

Hinc nemo non videt differentiam conceptus utriusque, Siricii nempe et Innocentii in hoc citando et exponendo nicaeno Canone. Unus enim mandat, *neminem audere ordinare extra conscientiam Sedis apostolicae idest primatis.* Alter vero antecessoris transcribens verba, statuit, *nullum audere ordinare extra conscientiam metropolitani episcopi,* ita ut solummodo in his vocabulis discordent, et in ceteris sive praecedentibus vel sequentibus ambo sensu et verbis coalescant. Quid ergo putandum est et agendum ut tollatur ejusmodi discrepantia; et concordia instituatur pontificiae locutionis?

Et primum circa epistolam Siricii, furtivo calamo puto intrusa verba *hoc est primatis:* ita ut, nisi subintelligatur vocabulum *romani* idest Primatis Romani, quasi diceret, ut extra conscientiam Sedis apostolicae, idest Primatis Romani nemo audeat ordinare, vana prorsus foret repetitio. Coustantius in notis hujus epistolae p. 653. postquam ait, se in uno Codice, loco *idest primatis,* legisse *haec est prima testatio,* subdit: « Mea sententia in Concilio nicaeno scriptum erat: *Ut extra conscientiam Sedis apostolicae nemo audeat ordinare,* subaudita voce *episcopum.* At ubi ad afros perlata est epistola, additum fuit, *hoc est primatis.* » Quod non respondet Synodi menti. Innocentius vero hoc statutum revocans, omissa Sedis apostolicae conscientia in ordinatione episcopi, statuit: *Ut sine conscientia metropolitae nullus audeat ordinare.* Quae tamen varietas nullam admittit contradictionem, ut deinceps dicetur.

Nostra porro interest animadvertere, ambos Pontifices in hac constitutione appellare Synodum nicaenam: ac aliter legisse Canonem IV. quam notatur in catalogo vulgato de episcoporum ordinatione. Exposita namque regula: *ut extra conscientiam Sedis apostolicae* vel *metropolitae,* ambo subdunt. » *Integrum enim est judicium, quod plurimorum sententia consequatur.* Particula *enim* respicit et refertur ad illud quod antea statutum est de episcoporum ordinatione ex Sedis apostolicae et metro-

politae conscientia, expositis causis, cur ita agendum sit; idest inspecta judicii integritate, a pluribus pronunciandi. Ac ideo probe statuit Synodus nicaena in episcoporum electione non solum metropolitae concursum necessarium haberi, sed et Antistitis Romani consensum: quum unusquisque ex parte sua actus et qualitates episcopi ordinandi scrutatur, num promovendus talibus praestet moribus, quales dicit Apostolus ad Timotheum et Titum. Nisi quod Sedes apostolica ob locorum distantiam et personarum, quae ad episcopatum vocantur, primati vel metropolitae provinciae committit hoc inquisitionis munus sicuti et ordinationis, integre servatis, quae ad pontificiam jurisdictionem spectant in toto orbe christiano diffusam.

Quapropter Siricius ipse (quod valde juvat propositum) in epistola 6. praecedenti ad universos antistites, quae incipit *Cogitantibus nobis* etc. de non promovendis episcopis indignis, inquit: « Perlatum est ad conscientiam apostolicae Sedis contra ecclesiasticum Canonem praesumi, et quae ita sunt a majoribus ordinata, ut ne vel levi susurro debeant violari, proprias quosdam observationes novas inducere, et praetermisso fundamento, supra arenam velle construere..... Qua de re videt sinceritas vestra in sacris ministeriis, aut in ordinationibus quantum sacerdotum magna cura et diligens sollicitudo debeat observari. Quod propterea memoratur, ut examine habito et probitate morum et ecclesiastico labore sit commendatior, qui vocatur in medium, ut summum Sacerdotium possit accipere, probatus judicio, non favore, susceptus veritate, non gratia, apostolico ordine fultus, non praecipiti voluntate. De quo, carissimi, mihi ante vestram sinceritatem hujusmodi litterae cucurrerunt multo fratrum et consacerdotum consensu, ut hac vestra subscriptione firmata ecclesiastici Canonis dispositio, quae apud Nicaeam tractata et confirmata est, suo merito fundatissimo permaneret: ut tales videlicet ad ecclesiasticum ordinem permitterentur accedere, quales apostolica auctoritas jubet; non quales dico vel eos, qui cingulo militiae secularis adstricti, olim gloriati sunt etc. »

Nec secus in epistola 10. n. 18. ad Gallos: « Illud praeterea satis grave est, et contra episcopalem moderationem Sedis apostolicae, suos fines excedere, ad alienam tendere regionem, festinare ordinationes celebrare praeceptis (praesumere); metropolitanum episcopum non permittere in sua dioecesi una cum vicinis episcopis, sicuti 318. episcopi confirmarunt, tres vel eo amplius sacerdotes episcopum ordinare debere, vel subrogare dignissimum. Si quis certe fines alterius possessionis invaserit, reus violentiae judicabitur. Quid curritur? Quid festinatur ut regula ecclesiastica conculcetur. »

Hinc explicatur, quod sequenti epistola velit Papa in episcoporum electione, jubens custodiri Ecclesiae regulam a Synodo nicaena firmatam: tametsi in catalogo nicaenorum Canonum hucusque desideretur

reverentiam, qui primus metropolitanus arelatensis civitatis ex hac Sede directus est, concedere vel mutare ne hujus quidem Sedis possit auctoritas. Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reverentiam etc. Item in epistola 6. n. 2. adversus Hilarium: « Neque aestimes tibi ulterius pontificatum de ordinandis sacerdotibus vindicandum, cum hoc videas episcopo arelatensis civitatis et per apostolicam Sedem et per s. Trophimi reverentiam et per veterem consuetudinem et nostra evidentissima recenti definitione deferri. »

Ceterum in utraque quaestione tam de Romani Pontificis in cunctis orbis christiani partibus jurisdictione, quam de ejusdem interventu in episcoporum cujusque provinciae ordinatione, secundum Canones nicaenos a traditione apostolica repetitos, plurimum juvat Constitutio Theodosii et Valentiniani Augustorum ad Actium de episcopis ordinandis: cujus initium, *Certum est* (Labbei Tom. V. p. 1252. an. 445: « Cum igitur Sedis apostolicae primatum sancti Petri meritum, qui princeps est episcopalis coronae, et romanae dignitas civitatis, *sacrae etiam Synodi* firmavit auctoritas, nequid praeter auctoritatem Sedis istius, inlicitum praesumptio attentare nitatur. Tunc enim demum ecclesiarum pax ubique servabitur, si Rectorem suum agnoscat universitas..... Hilarius enim, qui episcopus arelatensis vocatur, Ecclesiae Romanae Urbis inconsulto Pontifice, indebitas ordinationes episcoporum sola temeritate usurpans, invasit.... Hoc perenni sanctione censemus, nequid tam episcopis gallicanis, quam aliarum provinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis Papae Urbis aeternae auctoritate tentare. »

Hinc primum perpendito, utrumque Augustum talia decrevisse non ex se, aut quidquam novi introducentem in Ecclesiam; sed ex veterum Patrum et maxime nicaenorum auctoritate. Cum enim *sacrae Synodi* statuta citent, non aliud quam antonomastice Concilium nicaenum indicant. In successivis namque Synodis constantinopolitana et ephesina de his quaestionibus nihil actum est, nisi obiter, id postulantibus peculiaribus circumstantiis: cum ex adverso in prima Synodo hujusmodi Canones expresse liquet fuisse sancitos. Insuper patet, non tantum ad ecclesiam arelatensem verti Constitutionem, verum et ad ceteras provincias; cum Patres nicaeni ista pro fidelium universitate decreverint. Et ob hoc Gelasius Papa in epistola VIII. de Petro et Acacio Eutichetis sectatoribus disserens, qui schismata provocarunt in Orientis ecclesiis, ex Christi testimonio: *pasce oves meas*, inquit: « Qua ratione majores nostri, reverendi illi ecclesiarum magistri, clarissimaque illa populi christiani lumina, quos merita virtutum suarum usque ad confessionis gloriosissimas palmas et martyrii fulgentes extulere coronas, ad illam Sedem, quam Princeps apostolorum sederat Petrus, sui sacerdotii sumpta principia, repleti Christi caritate mittebant, suae inde soliditatis gravissima firmitatis roboramenta poscentes. » (Sirmondi *Opera varia* Tom. I. p. 451.).

Hîc autem opportune Sozomeni testimonium in medium revocare accidit (Histor. Eccles. Lib. III. c VIII.) Athanasii et sociorum Romam narrantis adventum, ut se defenderent ab insimulationibus eusebianorum: qui juxta Ecclesiae praxim apud Sedem apostolicam sanctos viros citarant. Inquit enim: « Μαθὼν δὲ ὁ ῥωμαίων ἐπίσκοπος τὰ ἑκάστου ἐγκλήματα, ἐπειδὴ πάντας ὁμονοοῦντας εὗρε περὶ τὸ δόγμα τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου ὡς ὁμοδόξους αὐτοὺς εἰς κοινωνίαν προσήκατο. Οἷα δὲ τῆς πάντων κηδεμονίας αὐτῷ προσηκούσης διὰ τὴν ἀξίαν τοῦ θρόνου, ἑκάστῳ τὴν ἰδίαν ἐκκλησίαν ἀπέδωκε. i. e. Episcopus autem romanorum, quum singulorum causas cognovisset, siquidem omnes consentientes invenisset fidei nicaenae, in communionem recepit. Et quoniam propter Sedis dignitatem omnium cura ad ipsum spectabat, unicuique propriam restituit ecclesiam. »

Duo in hac pericope consideranda sunt: primum quod ait, omnium curam spectare ad Episcopum Romanum, idest sollicitudinem omnium ecclesiarum, et hinc episcoporum, qui illis praeerant. Secundum, quod est maximum, dicta considerentur, *cuique ecclesiam restituit* Papa, Athanasio scilicet, Marcello ceterisque. Verum quo jure Julius illis sedes suas restituit, nisi super illas ecclesias ac super praesules earum jurisdictionem exerceret; et hinc quid restituit, nisi quod antea illis dederat, et quod inique illis ablatum fuit? Vel qua ratione restituit Papa, nisi suo jure utens; et quod erat in sua potestate a Christo accepta, ab aliis detractum reddidit illis, quibus antea tradiderat, illarum nempe ecclesiarum episcopatum? Quocum magis Canon nicaenus surreptus firmatur de appellatione ad Sedem apostolicam, et una emendatur et illustratur Canon IV. circa Papae accessionem in electione episcoporum totius orbis cujusque regionis et gradus forent. Porro hic Canon adeo ab antiqua Ecclesiae praxi roboratur: ut episcopi (aliquando quoque intrusi) post ordinationem scripserint ad Sedem apostolicam pro confirmatione suae electionis.

Post hoc non officit argumento, si Pontifices quandoque hunc appellantes Canonem, praecipua ejusdem omiserint dicta *extra conscientiam Sedis apostolicae,* notatis solummodo *extra conscientiam metropolitae nullus audeat ordinare.* Ideoque sive dicatur ut extra conscientiam Sedis apostolicae, ut scribit Siricius, vel dicatur ut extra conscientiam metropolitae nemo audeat ordinare ut mandat Innocentius, in utraque lectione concordant Patres nicaeni. Cum enim Pontifices ad metropolitas, ad primates, seu ad vicarios apostolicos scribunt, eis delegantes episcoporum ordinationem, implicite faciunt quod Canon statuit, communicantes nempe metropolitis hanc ordinandi facultatem; quam non haberent, nisi ex supremo Sedis apostolicae placito eis collata esset.

Ex. g. Caelestinus in litteris ad episcopos Illyrici de Rufo suo Vicario dicit ei a se commissam provinciam, ac ideo sine ejus consilio

nemini licere ordinare. Xystus III. ad omnes episcopos Synodi thessalonicensis an. 435. (Coustant p. 1263) de metropolitarum privilegiis in ordinatione: « nos, ait, fratri et coepiscopo nostro Anastasio tantum tribuimus, quantum et decessoribus ipsius a nostris decessoribus attributum. Priorum judicium sequimur, haec constituendo, quae ab his novimus constituta: quia et ipsum hujus probamus meriti, cujus fuerunt illi, qui talia meruerunt. Nullus obviet salubribus constitutis: nullus praeceptionibus his resultet. Habeant honorem suum metropolitani singularum, salvo hujus privilegio, quem honorare debeant amplius honorati. In provincia sua jus habent ordinandi: sed hoc inscio vel invito, quem de omnibus volumus ordinationibus consuli, nullus audeat ordinare. Ad thessalonicensem majores causae referantur antistitem. Ipsum major cura respectet, eos, qui ad episcopatum vocantur discutiendi sollicitius et probandi etc. »

Item s. Leo traditionis custos in epistola IV. ad Anastasium episcopum thessalonicensem, inquit: « Nullus, te inconsulto, per illas ecclesias ordinetur antistes. Ita enim fiet, ut sint de eligendis matura judicia, dum tuae dilectionis examinatio formidatur. Quisquis vero metropolitanus episcopus contra nostram praeceptionem, praeter tuam notitiam fuerit ordinatus, nullam sibi apud nos status sui esse noverit firmitatem; eosque usurpationis suae rationem, qui hoc praesumpserint, reddituros. Singulis autem metropolitanis sicuti potestas ista committitur, ut in suas provincias jus habeant ordinandi; ita eos metropolitanos a te volumus ordinari, maturo tamen et decocto judicio. » Cum ergo dicit s. Pontifex Anastasio metropolitae et suo Vicario: *volumus a te eos metropolitanos ordinari,* et in sequenti epistola asserit, se eidem Anastasio *sollicitudinem commisisse illarum ecclesiarum,* Canonem apostolicum memorat in Synodo nicaena instauratum, ut *extra conscientiam Sedis apostolicae et metropolitae, vel primatis nullus audeat ordinare.*

Quamobrem non mihi videtur admittenda Coustantii opinio (pag. 653.) in hujus constitutionis varietate explananda, quae intercedit in dictis Siricii et Innocentii epistolis: « Mea nempe, ait, sententia primum romano in Concilio episcoporum italorum scriptum erat: *ut extra conscientiam Sedis apostolicae nemo audeat ordinare,* subaudita voce *episcoporum.* At ubi ad afros perlata est haec epistola, illi decretum idem ad usum ecclesiae suae accommodantes, verbis *apostolicae Sedis* interpretationem adjecerunt *hoc est primatis.* Neque in hac re ullo modo recesserunt a Siricii mente. Dubium enim non est, quin si Papa propter afros hanc epistolam proxime scripsisset, hoc ipsum decretum aliter concinnasset in hunc modum: *ut extra conscientiam primatis nemo audeat ordinare:* quomodo postea idoneus Siricii interpres Innocentius in epistola 2. ad Victricium rotomagensem, sic illud ad gallicanam disciplinam aptatum temperavit: *Primum ut extra conscientiam metropolitani episcopi nul-*

Zus audeat ordinare. Et id quidem Romani Pontificis jus, quo in Italia, seu in ecclesiis ipsius Synodo subjectis, episcopos ordinare citra ipsius conscientiam non liceret, notari et firmari videtur Canon VI. Concilii nicaeni: ubi Synodus alexandrino praesuli de more tribui vult per Aegyptum, Lybiam et Pentapolim jus ei simile, quo Romanus Antistes in suburbicarias, ut loquitur Ruffinus, ecclesias potiebatur etc. »

Cum itaque Coustantius per hanc notam nititur concordiam inire inter duos Pontifices relate ad episcoporum ordinationes, mentem illorum interpretatus ex duarum epistolarum titulo unius ad afros et alterius ad Victricium rotomagensem gallicanum, praetermisit earumdem epistolarum rite considerare tenorem. Siricius enim (sicuti et Innocentius) praecessoris sui secutus vestigia, abusus emendans afrorum in ordinandis episcopis appellat ad antiquam totius Ecclesiae disciplinam. Inquit enim: « Tales litteras dare placuit, non quae nova praecepta aliqua imperent, sed quibus ea quae per ignaviam et desidiam aliquornm neglecta sunt, observari cupiamus: quae tamen apostolica et Patrum constitutione sunt stabilita. » Paulo post praeclarius addit: « Haec sunt, quae deinceps intuitu divini judicii omnes catholicos episcopos expedit custodire. » Hinc cum ambo Pontifices arguentes desidiam et ignaviam afrorum et gallicanorum in ordinandis episcopis, repetunt veterem Ecclesiae praxim ac simul Canones nicaenos in hujus confirmationem, non licebat Coustantio praescribere Canonis sensum intra terminos ecclesiarum suburbicariarum, aut africanarum tantum, sed ad totius orbis ecclesias: quarum episcopi ex conscientia Sedis apostolicae vel metropolitae cum ejusdem Sedis mandato ordinandi erant. Quae porro subdit Coustantius de Canone VI. nicaeno circa privilegia Ecclesiae Romanae, alexandrinae, antiochenae extra propositum allata, expendentur in sequentibus. Et hîc sufficiat Coustantio opponere, utrumque Pontificem statuta majorum, sive Canones nicaenos citasse non ad peculiaris sed universalis Ecclesiae commodum, unde emendandi erant abusus ecclesiarum africanae et gallicanae.

CAPUT III.

Canonis VI. nicaeni de sacro πρεσβείου primatu sive praerogativa ecclesiarum apostolicarum Romanae, alexandrinae, antiochenae, et caesariensis, singulis in suo honoris gradu collocatis, primo, secundo, tertio, quarto cum suis attributionibus propriis, genuinus sensus explanatur et vindicatur contra ejusdem falsatores.

Nunc diluendus manet Canon nicaenus in catalogo labbeano sextus; qui ex adversariorum parte nobis admodum negotii facessit quoad pontificiam jurisdictionem supra universum episcopatum. Hic vero ex graeco textu superius citato ita se habet.

Canon VI. Nicaenus in elencho vulgato.

Antiqui mores serventur, qui sunt in Aegypto, Lybia et Pentapoli, ut alexandrinus episcopus horum omnium habeat ἐξουσίαν potestatem, quandoquidem et Episcopo Romano hoc est consuetum, sive parilis est mos. Similiter et in Antiochia et in aliis provinciis sua privilegia ac suae dignitates et auctoritates ecclesiis serventur. Unde autem est omnino manifestum, quod siquis absque metropolitani sententia factus sit episcopus, eum magna Synodus definivit non esse episcopum. Quod si quidem omnium communi electioni, quae et rationi consentanea et ex regula ecclesiastica facta est, duo vel tres propter suam, qua delectantur, contentionem contradicant, vincant plurium suffragia. » Item in exemplaribus graecis latine versis ac lectis in Synodo africana circa an. 419.

Talis est Canon VI. nicaenus, de quo offenduntur multi, et gloriantur schismatici et heterodoxi cujusque regionis et maxime orientales; cum nulla ibi interposita sit differentia inter Ecclesiam Romanam et ceteras ecclesias, alexandrinam nempe, antiochenam et caesariensem propter praecipuas cujusque praerogativas; quibus tamen una Ecclesia Romana supra omnes ex divina institutione eminebat.

Itaque, omissis, quae istius Canonis interpretes catholici de hujus integritate persuasi, excogitarunt, ut, sicuti est in elencho vulgato, dogmati catholico constituerent uniformem, alia potius et magis idonea quaerantur argumenta, a Synodi coaevis et successivis Pontificibus et Patribus petita; qui secus hunc Canonem legerunt exposueruntque.

Canon nicaenus VI. de primatu ecclesiarum apostolicarum ex pontificiis citationibus restitutus in pristinam suam formam: « Antiqui mores teneant, ut Sedes Romana πρεσβεῖον primatum honoris in primo gradu habeat. Primatum honoris in secundo gradu obtineat sedes alexandrina. Primatum honoris in tertio gradu teneat sedes antiochena. Primatum ho-

suetudine, idest semper, Ecclesiam Romanam habuisse primatum et adhuc habere. Et ita stabilitur variae lectionis concordia. [1]

Alioquin nemo ignorat, universam Ecclesiam occidentalem et orientalem in Antistite Romano beati Petri successore, totius christiani orbis principatum honorasse, et quidem antequam adunaretur Synodus nicaena. Et quem ideo eadem Synodus pro unitate servanda in regimine Ecclesiae, confirmatum voluit, ac distinctum per gradus ab aliarum sedium apostolicarum primatu, sive quoad dignitatem sive auctoritatis amplitudinem, cuique inferiorum sedium privilegiis assignatis. Quae non nisi ex successivis Patrum et Pontificum documentis illustrantur.

Et primum de hujus Canonis interpolatione praeclarum nobis suffragatur testimonium ab ipsis arianis petitum, et quidem eisdem, qui Concilio nicaeno adstiterunt, etsi formulae catholicae non subscriberent, aut subscriptam refutarent. Hujusmodi porro documentum eruitur ab Historia Eccles. Sozomeni Libro III. c. VIII. ubi disserens de litteris Julii ad arianos in causa Athanasii et sociorum, qui a sedibus suis inique expulsi fuerant: « has, inquit, cum illi permoleste ferrent, Antiochiae in unum congregati, scripsere vicissim ad Julium epistolam exquisita verborum elegantia, et oratorio more compositam, plenam tamen cavillationibus, nec expertem gravissimarum minarum. Φέρειν μὲν γὰρ πᾶσι φιλοτομίαν τὴν ῥωμαίων ἐκκλησίαν ἐν τοῖς γράμμασιν ὡμολόγουν, ὡς ἀποστόλων φροντιστήριον, καὶ εὐσεβείας μητρόπολιν ἐξ ἀρχῆς γεγενημένην. εἰ καὶ ἐκ τῆς ἕω ἐνεδήμησαν αὐτῇ οἱ τοῦ δόγματος εἰσηγηταί. Οὐ παρὰ τούτο δὲ τὰ δευτερεῖα φέρεν ἠξίουν, ὅτι μὴ μεγέθει ἢ πλήθει ἐκκλησίας πλεονεκτοῦσιν, ὡς ἀρετῇ καὶ προαιρέσει νικῶντες. In sacris enim litteris fatebantur romanorum quidem Ecclesiam ab omnibus ecclesiis dilectione affici et honore, veluti ab initio apostolorum domicilium seu scholam, et Religionis metropolim factam; licet doctrinae duces ex Oriente ad eam advenissent. Ob hoc autem non existimabant se in secundo loco haberi, quod non magnitudine vel amplitudine hanc superent Ecclesiam, quippe superiores essent virtute et proposito. » [2]

Cum ergo ariani Ecclesiam Romanam ab omnibus faterentur honoratam ecclesiis, tanquam apostolorum domicilium vel potius scholam ac insuper Religionis metropolim, nescio quare ecclesia alexandrina, antiochena et hierosolymitana, eisdem praerogativis decoratae appellari potuerint a Patribus nicaenis? Si ab omnibus ecclesiis una honoraretur Ecclesia Romana, sequitur ceteras ecclesias haud eodem partecipare ho-

[1] Conferatur Tomus 2. Labbei p. 688. et Tomus 1. Juris ecclesiastici graecorum Historiae per Card. Pitra. p. 438.

[2] Joannes Langus haec verba interpretatus est: *Romanae quidem Ecclesiae ab omnibus observantiam exhiberi et honorem*. Christophornus ita maluit exponere: *Fatebantur Ecclesiam Romanam primas apud omnes ferre*. Et Valesius vertit: *Fatebantur enim Ecclesiam Romanam apud omnes ambitiose sese jactare*.

nore. Insuper si in Ecclesia Romana ab initio erecta est schola apostolica, factaque est Religionis metropolis, quomodo stat paritas primatus hujus Ecclesiae cum ceteris alexandrina, antiochena etc.? Si Roma tantum dicitur metropolis Religionis, necessario excluditur, ceteras hoc sibi vindicare privilegium, et hinc primatus paritatem. Ex hac ergo episcoporum arianorum confessione infertur fieri non potuisse, quod Patres nicaeni (quorum valde intererat Pontificatus Romani jura integra servari) ejusmodi decreverint paritatem inter Episcopum Romanum et episcopos alexandrinum et antiochenum ita ut aequali pollerent honore et auctoritate, cum et ipsi episcopi ariani, quamvis illis displiceret, confessi sunt una cum catholicis, eo usque Antistitem Romanum hanc potissimam praeferre praerogativam. [1]

Deinde audiatur quoque quod his subdunt ariani, unde nostrum magis firmatur argumentum de hujus Canonis mutilatione: « *Non tamen* (sequitur Sozomenes) *aequum censebant ariani,* quamvis nempe Romana Ecclesia ceteris antecelleret, *indirco se in inferiore loco haberi, quod magnitudine et amplitudine hanc non superarent; cum ipsi virtute et proposito praestarent.*

His positis, si ariani in Canone nicaeno VI. uti nunc in catalogo labbeano occurrit, legissent: *Antiqui mores obtineant ita ut antistes alexandrinus totius Aegypti habeat primatum sicuti Episcopus Romanus pariter et antiochenus in provinciis propriis obtineant;* aut aliis verbis: *Romanus, alexandrinus, antiochenus episcopi primatum teneant* etc. nulla interjecta distinctione circa uniuscujusque illorun jurisdictionis terminos, quis putet, quanto studio ariani hunc Canonem citassent adversus orthodoxos episcopos, ostendentes, nullum discrimen institutum esse a Concilio nicaeno inter episcopos Romanum, alexandrinum et Antiochenum, quoad ipsorum jurisdictionem in suis ecclesiis, et hinc haudquaquam Antistitem Romanum ceteris praestare episcopis, si Patres in Synodo hanc absolutam instituissent juris paritatem? Nihilominus ariani de hoc Canone, qui universalis Ecclesiae exprimebat sententiam, sibique tam propitio ne verbum quidem. Quamobrem merito arguendum est, aliam le-

[1] Quas praerogativas in toto Oriente vulgatas, cum eusebiani didicissent e priscis Patribus, ipsi postea Catholicae Ecclesiae rebelles contempserunt. Cernuntur tamen hic illic celebratae in illis provinciis; ita ut, teste Abrahamo ecchellensi, legerentur citatae in catalogo Canonum arabicorum, qui Commentarium considerantur Concilii nicaeni oecumenici. Et sic quidem legitur in Canone 34. « Et sint patriarchae in universo mundo quatuor .... Et sit princeps et praepositus ipsis Dominus Sedis divi Petri, sicuti praeceperunt apostoli. » Item in Canone 44. « Et quemadmodum patriarcha habet potestatem super subditos suos; ita quoque potestatem habet Romanus Pontifex super universos patriarchas sicuti habuit Petrus etc. » Quisquis porro sit horum Canonum auctor, et cujusvis sit aetatis, Orientis nihilominus repetunt traditionem de Sedis apostolicae jurisdictione supra universalem Ecclesiam. Confer Dissertationem praefati Ecchellensis in Labbei Tomo II. pag. 981. et 1065.

ctionem tunc (an. 340.) praeferre Canonem VI. ac prorsus contrariam illi, quam postea pravatam esse tenemus.

Denique notanda sunt, quae Sozomenes ob oculos habens hanc arianorum epistolam, huic subjecit: « De iis autem, quae gesserant contra decreta Synodi nicaenae, nihil ei (Julio) rescripserunt; multas quidem causas se habere significantes, easque necessarias, quibus factum suum defenderent; in praesentiarum vero superfluum arbitrati, earum rerum defensionem instituere, cum generaliter in omnibus (ariani) injuste se gessisse arguerentur. »

Hinc tam ex ipsorum arianorum supersessione a refutandis nicaenis decretis, quam ex dictis Historici, qui illorum argumenta perspicue legit; quaeque non satis ipsorum causae fecerunt, quinimmo injuste idest contra Canones egisse in causa Athanasii et sociorum redarguti sunt, educitur non tantum eorumdem Canonum sensum relate ad Sedis apostolicae jura modo variare ab illorum originali, sed et contraria exprimere ipsorum praesumptionibus. Illud inquam praesertim decretum de Ecclesiae Romanae paritate cum alexandrina: quod quidem ita se habens, veluti nunc legitur in elencho labbeano, non erat ab iis refutandum, sed probandum.

Athanasius alexandrinus, ut constat e praefatis, ad Julium Papam appellat ut judicem in sua causa; et non solum ipse sed hostes sui ad eumdem confugiunt. Ac una Julius illis, exprobrat quod contra Canonem ecclesiasticum (nicaenum) egissent, Athanasium et socios, ipso Papa inscio, ejicientes e propriis sedibus. Et Sozomenes graecus de hac re locutus subjecit, *ad Julium Papam propter Sedis dignitatem omnium curam spectare. Omnium* dixit, idest non ecclesiarum occidentalium tantum, sed et orientalium et totius orbis christiani. Marcellus ancyranus judicium invocat ejusdem Pontificis adversus delatores suos, tam istis quam illo de supremo Papae magisterio persuasis. Damasus ad Paulinum antiochenum scribit, ei proferens fidei formulam, cui subscriberent omnes ab haeresi reversi. Atque inspecta sua suprema auctoritate, Damasus metropolitae antiocheno per litteras, Vitalis causam delegavit cognoscendam. Similiter antistites Orientis mittunt ad eumdem Papam ut consulat Timothei damnationi.

Item Siricius Anysio thessalonicensi scribens, mandat ut nullus absque consensu suo fieret episcopus. Nec secus s. Epiphanius epistolam mittit ad Siricium adversus Joannem metropolitam Hierosolymorum: qui ideo in sui defensionem scripsit ad Anastasium Siricii successorem. Similiter in Origenis et origenistarum causa Theophilus metropolita alexandrinus misit ad eumdem Anastasium, ut decretum suum confirmet in eorumdem damnatione. Innocentius per litteras ad Alexandrum metropolitam antiochenum inquit: « Scripta autem Acacii episcopi, quoniam cum vestris sunt porrecta, suscepimus, ne per vestram injuriam ille, qui

olim a nobis suspensus fuerat, repudiaretur. Et tamen satis abunde in actis statuimus, sicuti dignanter relegere procurabis, quid in ejus persona debeat custodiri; ut, si per omnia vestris consiliis, actibusque tam sanctis se rogaverit esse communem, praestetur seni favore vestro, nostroque judicio, communionis atque litterarum a nobis gratia praerogata. »

In his inspicito, quid et quomodo de Acacio et Alexandro metropolita consulat ac mandet Innocentius: ac num hinc eruenda sit jurisdictionis paritas inter utrumque, inter episcopum antiochenum et Romanum. Nec aliter paulo post ad eumdem Alexandrum de ecclesia antiochena locutus, scribit: « Revolventes itaque auctoritatem nicaenae Synodi, quae una omnium per orbem terrarum mentem explicat sacerdotum, quae censuit de antiochena ecclesia, cunctis fidelibus, ne dixerim sacerdotibus, esse necessarium custodire: quam super dioecesim suam praedictam ecclesiam non super aliquam provinciam (erant enim quindecim provinciae, quibus praeerat episcopus metropolita antiochenus) recognoscimus constitutam. » Nihilominus Alexander sciscitatur Innocentium, utrum, divisis imperiali judicio provinciis ut duae metropoles fiant, sic duo metropolitani episcopi debeant nominari etc. »

Bonifacius in epistolis 14. et 15. (Gallandi Tom. IX. p. 57.) bis repetens a Synodi nicaenae statutis Ecclesiae Romanae primatum, aliud legisse testatur in hujus Concilii actis quam traditur in elencho labbeano. In prima epistola cujus in cap. praecedente facta est mentio, ait: « Institutio universalis nascentis Ecclesiae de beati Petri honore sumpsit principium: in quo regimen ejus et summa consistit. Ex ejus enim ecclesiastica disciplina per omnes ecclesias, Religionis jam crescente cultura, fonte manavit, nicaenae Synodi non aliud praecepta testantur... Hanc (Ecclesiam) ergo, ecclesiis toto orbe diffusis, velut caput suorum certum est esse membrorum: a qua se quisquis abscidit, fit Religionis christianae extorris etc. » Ast manifestius hoc dicit in sequenti epistola ad Rufum et alios episcopos Thessaliae: « Quoniam locus exigit, si placet recensere Canonum sanctiones, reperietis, quae sit post Ecclesiam Romanam secunda sedes, quaeve sit tertia. A quibus ideo ita rerum videtur ordo distinctus, ut se ecclesiarum pontifices ceterarum, sub uno tamen eodemque sacerdotio, habere cognoscant, quibus, caritate servata, propter ecclesiasticam disciplinam debeant esse subjecti. Et quidem haec sententia Canonum a vetustate duravit; et nunc usque, Christo nostro favente, perdurat. Nemo unquam apostolico culmini, de cujus judicio retractari non licet, manus obvias audacter intulit: nemo in hoc rebellis extitit, nisi qui de se voluit judicari. »

Cum itaque ait Papa, sanctiones Canonum ab antiquo tempore statuisse, Ecclesiam Romanam primam tenere Sedem, ita ut ob suas speciales praerogativas distinguatur a secunda (alexandrina) a tertia (an-

tiochena) et hinc a ceteris inferioribus, nonne ex hoc patet, Bonifacium Canonem VI. Concilii nicaeni appellare circa Ecclesiae Romanae primatum supra omnes mundi ecclesias sicuti supra earum antistites, non honoris tantum sed et jurisdictionis? Ac praeterea (quod est maximum) nonne hinc liquet, Papam hunc eundem Canonem aliter legisse, quam nunc in catalogo labbeano citatur? ac praeterea (quod quaeritur) manum infidam deinde subrepisse violandi causa hujus Canonis integritatem?

Super eadem vestigia incedens s. Leo, eumdem Canonem VI. saepe citat cum distinctis praerogativis ecclesiarum apostolicarum, ac secus a lectione vulgata. In epistola 79. ad Marcianum n. 3. adversus Anatolii ambitum, inquit: « Privilegia enim ecclesiarum sanctorum Patrum Canonibus instituta et venerabilis nicaenae Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari. In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exequendo, necesse est me perseverantem exhibere famulatum: quoniam dispensatio mihi credita est, et ad meum tendit reatum, si paternarum regulae sanctionum, quae in Synodo nicaena ad totius Ecclesiae regimen, Spiritu Dei instruente, sunt conditae, me quod absit, connivente, violentur: et major sit apud me unius fratris voluntas, quam universae Domus Domini communis utilitas. » [1]

Secundo, ad Pulcheriam Augustam epistola 80. de eadem quaestione, ait ob hoc Anatolium metropolitarum impugnare primatus jura contra nicaena statuta: et ideo scribit n. 2. « Consensiones vero episcoporum sanctorum Canonum apud Nicaeam conditorum regulis repugnantes, unita nobiscum vestrae fidei pietate in irritum mittimus, et per auctoritatem beati Petri apostoli, generali prorsus definitione cassamus. »

Tertio, ad praefatum Anatolium in epistola 81. n. 2. scribens, illum corripit, quod conatus sit nicaenum Canonem infringere, tanquam opportune (illi ait) se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium sedes alexandrina perdiderit, et antiochena ecclesia proprietatem tertiae amiserit etc. » Quarto, in epistola 94. n. 3. ad Maximum Antiochiae episcopum, ei commendat observantiam Canonis nicaeni in iis, quae statuta sunt de privilegiis tertiae istius sedis.

Cum ergo secundi honoris privilegium concedit episcopo alexandrino ac tertium honorem antiochenae ecclesiae, sequitur primum honorem possidere Ecclesiam Romanam. Quae tamen honoris et primatus distinctio tam explicite notata a Concilio nicaeno, teste Leone Papa, non exprimitur a Canone VI. hodie ejusdem Patribus inscripto: ubi tres episcopatus Romanus, alexandrinus et antiochenus dignitate et honore pares considerantur.

Ceterum cum Leo Romanam et primam Sedem tenens, Anatolio ex-

[1] S. Leonis Magni Opera omnia studio Thomae Cacciari. Pars secunda. Romae 1755.

probret temeritatem in invadendo privilegia ecclesiae antiochenae, primatum suum et jurisdictionem supra ceteros antistites exercet uti caput, magister et judex omnium episcoporum et Ecclesiae universae. Nisi enim res ita se haberet, ac nisi in facto Anatolius ipse ita sentiret de Episcopo Romano, frustra laborasset Julianus coensis, vehementer rogans s. Leonem, ut Anatolium constantinopolitanum praeferret Antiocheno, conscius hanc praelationem pendere a Sedis apostolicae arbitratu. Quam tamen petitionem refutavit Pontifex in epistola 82. ad eumdem Julianum, inquiens: « Quantumlibet te affectione complectar, nullo tamen modo poteris obtinere, ut me in excidium ecclesiastici status, vel suadendo impellas, vel supplicando traducas. » Quae cum ita sint, manifeste tollitur ea praesumpta jurisdictionis paritas inter Romanum, alexandrinum, antiochenum aliosque metropolitas, de qua valde illuduntur adversarii.

In Novella Valentiniani III una cum Leonis epistola in Gallias legitur: « Quum igitur Sedis apostolicae primatum sancti Petri meritum, qui princeps est episcopalis coronae et romanae dignitas civitatis, sacrae etiam Synodi (nicaenae) firmarit auctoritas, nequid praeter auctoritatem Sedis istius inlicitum praesumptio attentare nitatur. » Hinc cum constet s. Leonem sub sacrae Synodi titulo nuncupare Canonem nicaenum VI. de ecclesiis apostolicis, quocum firmatur primatus Antistitis Romani supra omnem episcopatum, quomodo stat lectio vulgata hujus Canonis, qui in paritate constituit Romanae Ecclesiae jurisdictionem cum alexandrina? Nisi enim Papa cum Valentiniano aliter hunc Canonem legissent et quidem genuinum de primatu Episcopi Romani super omnes orbis antistites, frustra increpassent Hilario arelatensi, qui praeter pontificiam auctoritatem et praeter Synodum nicaenam sibi usurpasset episcoporum ordinationes.

Hîc autem obiter in majus praemissorum pondus de ejusdem Canonis textu et sensu aliter quam in elencho vulgato traditur, accedit epistola sive Tractatus Gelasii Papae adversus Acacium (Sirmondi Opera varia Tom. I. p. 450.). « Qua enim ratione, ait, vel consequentia aliis sedibus deferendum est, si primae beatissimi Petri Sedi antiqua et vetusta reverentia non defertur; per quam omnium sacerdotum dignitas semper est roborata atque firmata, et trecentorum decem et octo Patrum invicto et singulari judicio vetustissimus judicatus est honor? Utpote qui Domini recordabantur sententiam: *Tu es Petrus.... Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* »

Ceterum ubi est, et ubi invenitur honor vetustissimus Sedi apostolicae judicatus a 318. episcopis in Synodo nicaena? Frustra investigabis in vulgatis Canonibus hujus Synodi. Fortasse illusus est, vel mentitus Gelasius Papa? Verum si ita arbitraris, tunc et ipsum Acacium et socios illusos esse necessario sequeretur: qui contra se admiserunt te-

stimonium falsum, nec refutarunt. Attamen vix credendum est, Pontificem erranti opposuisse Canonem apocryphum, sive commentitium, et talem ab eo acceptum.

Novissime, siquando accidit in quaestionibus, ut adversarii nolentes, veritati concordent, hoc factum est circa hujus Canonis VI. lectionem ab eisdem probatam, qui videbantur aliter sentire debuisse. Et hi sunt concinnatores Canonis III. vel IV. Conciliabulo constantinopolitano inscripti, Patres chalcedonenses nempe et Anatolius in litteris ad Leonem. Canon ita se habet: « Ut episcopus constantinopoleos primatum habeat honoris post Episcopum Romanum, eo quod ista sit nova Roma. » Et id postulabant cum dejectione episcopi alexandrini, et antiocheni, qui eo usque secundum et tertium locum tenebant post Episcopum Romanum, praevio statuto Canonis nicaeni de ecclesiis apostolicis. Cui petitioni restitit s. Leo. Hoc itaque petentes a Papa tum auctor Canonis, tum Patres chalcedonenses, cum Anatolio contestati sunt, episcopum Romanum primatum habere supra universam Ecclesiam, et huic succedere in primatu episcopum alexandrinum; in cujus locum rogabant ut succederet episcopus constantinopolitanus, qui eo usque jurisdictioni subdebatur antistitis alexandrini, ut infra dicetur.

Ex his itaque manifestis testimoniis circa Ecclesiae Romanae, alexandrinae, antiochenae et caesariensis privilegia inter se distincta per gradus, ita tamen ut Ecclesia Romana ceteris praestet, nemo, puto, nec contradicet, neque ambiget, in his appellatum esse ad Concilium nicaenum et quidem ad Canonem VI. In hoc enim tantummodo actum est de his ecclesiis. Et cum ita sit, nequidem suspicandum est veteres et maxime Pontifices hunc citasse Canonem aliter quam tradiderunt nicaeni Patres, eoque usos ad confutandas praesumptiones et ambitum novatorum; si reapse lectio et sensus Canonis eorum oculis non affulsisset in sua integritate, sicuti a Synodo statutus fuit. Et maxime Leonem appello, qui decies et amplius coram adversariis hunc citavit Canonem, apertisque declarationibus munivit et sensum et auctoritatem, sive quoad Ecclesiae Romanae primatum supra universum christianum orbem, sive quoad peculiares praerogativas praedictarum ecclesiarum. Quare jure infertur juxta propositum nostrum, Canonem VI. prout legitur in textu vulgato, manifestam subiisse falsationem, eamque patratam esse ab eisdem, qui alterum sustulerunt Canonem de appellationibus ad Sedem apostolicam.

CAPUT IV.

Sensus genuinus explanatur Canonis VI. nicaeni circa essentiam πρεσβείου primatus honoris, post Ecclesiam Romanam, trium ecclesiarum apostolicarum alexandrinae, antiochenae et caesariensis: unde magis ac magis falsata firmatur lectio vulgata hujus Canonis.

In hac discussione dux noster sit Bonifacius Papa I. in citatis epistolis 14. et 15. In prima enim inquit: « Praecepta Synodi nicaenae testantur, institutionem universalis Ecclesiae nascentis de beati Petri honore sumpsisse principium. Ex ejus namque ecclesiastica disciplina per omnes ecclesias, Religionis jam crescente cultura, fonte manavit. Nicaenae Synodi non aliud praecepta testantur etc. » Item in altera Rufo et aliis episcopis Canonum sanctiones commendat, ut sciant, qualis sit, post Ecclesiam Romanam, secunda sedes, quaeve sit tertia. »

His positis, quaeritur quid reapse sibi voluerint Patres nicaeni in statuendis specialibus honoris praerogativis, post Ecclesiam Romanam, trium ecclesiarum apostolicarum, alexandrinae, antiochenae et caesariensis: quarum Pontifices tantopere inculcarunt observantiam.

In Canone, qui sexto praecedebat, et ab elencho subtractus, statutum fuit: *Si episcopus accusatus fuerit, et judicaverint congregati episcopi regionis illius, et de suo gradu dejecerint eum; et appellasse videatur, et confugerit ad beatissimum Ecclesiae Romanae Episcopum, et voluerit audiri; et justum putaverit ut renovetur examen; scribere his episcopis dignetur, qui in finitima et propinqua provincia sunt, et ipsi diligenter omnia requirant, et juxta veritatis fidem definiant. Quod si is, qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut e latere suo presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi Romani quid velit, et quid existimet. Et si decreverit mittendos esse, qui praesentes cum episcopis judicent, habentes auctoritatem ejus, a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit sufficere episcopos, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo judicaverit.*

Huic Canoni subtracto, intentis maxime quae a Patribus referuntur ad metropolitas provinciarum longinquarum, ab Episcopo Romano vocatos judices quaestionum inter episcopos promotarum, consentaneus immediate succedit Canon VI. genuinus, statuens non solum Ecclesiae Romanae primatum honoris super omnes ecclesias Occidentis et Orientis, sed et alias primarias ecclesias ab apostolis fundatas, ideo a Patribus nuncupatas, ut unaquaeque ex sui honoris gradu succedat in tractandis ecclesiarum negotiis cum Sedis apostolicae consensu, vetere prae-

eunte consuetudine, ut ait Canon *antiqui mores teneant* etc. revocatus ad pristinam et authenticam lectionem.

Haec porro privilegia, quibus ecclesiarum illarum adaucti sunt episcopi, versabantur non tantum circa administrationem provinciarum ipsis commissarum Aegypti, Syriae, Palaestinae, ut praesumpsit Canonis falsator, sed et magis in consulendo negotiis aliarum ecclesiarum extra praefatas regiones, et ubicumque opus erat illorum vigilantia, in dissidiis nempe de episcoporum electione non infrequentibus tollendis, in partibus sedandis, ac ceteris decernendis quaestionibus seu circa fidem vel circa disciplinam inter ipsos agitatis, servato tamen ordine et gradu cujusque illorum primatus: ita ut antistes alexandrinus secundus post Romanum Pontificem, praeferretur antiocheno et caesariensi; et hinc ad illum dirigerentur appellationes episcoporum finitimarum provinciarum non exclusis antiochena et caesariensi, salva tamen suprema Romani Pontificis sanctione, seu ad eumdem appellatione.

Et talis quidem erat, apertius loquar, ecclesiae alexandrinae jurisdictio ab avita consuetudine roborata, ut praetenderetur extra Aegypti fines, comprehendens Asiam Minorem, Pontum et Thraciam usque ad provincias Palaestinae ac totius Orientis fines. Et hoc est quod modo probandum suscipiam, Pontificum et Patrum munitus documentis: qui scripto et factis sunt ejusmodi ecclesiae alexandrinae privilegium post Ecclesiam Romanam, limpidis testati assertionibus adversus episcopatum constantinopolitani ambitum et Synodi nicaenae violationem. Quare praeceteris valde interest patriarchatus alexandrini proprios investigare jurisdictionis suae terminos secus ab eis, quos commenti sunt falsatores ejusdem Canonis. Et unde pendet exacta cognitio tam Romani quam antiocheni et caesariensis episcopatus praerogativarum relate ad episcopatum alexandrinum: qui, cum Pontificatui Romano subderetur, praestabat tamen praerogativis antiocheni antistitis et caesariensis.

Dionysius alexandrinus per sua scripta manifestissime testatur hujus ecclesiae privilegium, deinde confirmatum a Synodo nicaena. In epistola ad Cornelium Papam inquit se accepisse litteras ab Heleno tarsensi, Firmiliano Cappadociae episcopo, a Theoctisto caesariensi ut Concilii Antiochiae coacto, adesset. Item ad eumdem Papam scribens, et personam episcoporum Asiae Minoris, Orientis et Aegypti sumens, inquit cunctos illarum regionum episcopos in unam conspirasse sententiam adversus praxim rebaptizandi haereticos poenitentes. Interea ex hac Dionysii mediatione cernito, qualis praefatorum praesulum in episcopum alexandrinum observantia, et qualis item istius in Petri successorem reverentia.

Verum et hoc privilegium in lato sensu acceptum maxime elucet in quaestione Pauli samosateni Antiochiae antistitis cum eodem Dionysio. Iste namque in *Responsione* VII. dicit Paulo: « Sic enim non mihi scri

-unt, mihi scripserunt, ita te docere. » Hinc Vitae
« Per eosdem namque amicos, qui Antiochiae
-sius, ut Paulus ad se scriberet, ne aliorum
se habere ostenderit; sed ex ipsius ore
hosti vaferrimo praecluderet evadendi
Dionysius, se in parem episcopum jus
-sium Papam monet de lapsu Pauli,

-tor considerarit pari auctori-
-iochenum; nihilominus non
-sateno, quod is ad se non
-uae blasphemiae testibus
praeferre honoris discrepan-
in Canone nicaeno: ubi in secun-
-pus alexandrinus et in tertio antioche-
-ndicarunt, qui Antiochiae convenerant, per
episcopatum nominatim descriptum: ubi post
collocarunt Maximum Dionysii successorem in cathe-
-ra. [1]

hoc veteri usus privilegio, et quidem antequam adunaretur Sy-
nicaena, Alexander alexandrinus, collectis Aegypti episcopis, A-
lamnavit: ac una scripsit non ad antistitem constantinopolitanum
, ut quidam putarunt, sed ad omnes Asiae Minoris praesules et
Orientis, ut caverent ab ejusmodi Arii impietate: « Ac ideo n. 14.
rissimi et unanimes fratres, suffragamini nobis adversus furiosam
audaciam, perinde ac collegae nostri, qui indignati sunt; et no-
istolas scripserunt adversus illos, et tomo nostro subscripserunt
etiam ad vos misi per filium meum Apionem diaconum) partim
iversa Aegypto ac Thebaide, partim ex Libya, ac Pentapoli; item
ria, Lycia, Pamphylia, Asia, Cappadocia, aliisque finitimis provin-
uorum exemplo a vobis quoque litteras me accepturum esse con-
Similiter in alia epistola ad eosdem episcopos invehitur adversus
ium, quod ausus sit sibi jura ecclesiae vindicare, cum ambitione
relicta Beryto, nicomediensem invasit episcopatum; et apostata-
uscipiens patrocinium, litteras pro iis commendatitias, ubique mi-
adeo ut sibi necesse fuerit scribere ad episcopos, illis significans
eos et haereticorum perversitatem, ne ab illis deciperentur. [2]
anta vero auctoritate polleret episcopus alexandrinus non solum
gypto sed et in Asia et in Oriente, ita ut sacra illarum ecclesia-
egotia ad eum referrentur (conscio tamen Romae Episcopo) et hoc

Confer Eusebium Histor. Eccles. Lib. V. c. ult. Lib. VI. c. IV. et V. et Anony-
Libro, cujus titulus Dionysii alexandrini, *quae supersunt, Scripta:* Romae 1796.
Theodoretus Histor. Eccles. Lib. I. c. IV.

ex privilegio secundae sedis post Romanam juxta morem antiquum firmatum in Canone nicaeno, s. Basilius saepe in suis testatur scriptis. In epistola 66. rogat Athanasium, ut mittat aliquos viros in sana doctrina potentes ad occidentales episcopos, hisque exponant calamitates, quibus premebantur Asiae fideles. Deinde addit; « Ad reliquas quidem res Orientis fortasse tibi plurium etiam adjumento opus est: atque occidentales necesse est expectare. Bonus sane ecclesiae antiochenae status ex tua pietate pendet manifeste, ita ut in alios quidem temperamento utaris: alios vero compescas, atque ecclesiae robur per concordiam restituas. Rursus igitur et hîc magnanimitatem tuam decere tantarum rerum administrationem speramus, adeo ut populi quidem tumultum compescas: abroges autem praefecturas particulares, et omnes sibi invicem subjicias in dilectione: et robur priscum ecclesiae restituas. »

Item in epistola 69. ad eumdem Athanasium: « Quam dudum, inquit, de tua praestantia opinionem habemus, jam tempus progrediens semper confirmat: vel potius simul crescit ex eorum, quae singulatim fiunt, occasionibus. Nam plerisque aliis satis est, sua cujusque propria circumspicere; tibi vero id non satis est. Sed tanta inest tibi omnium ecclesiarum cura, quanta illius, quae privatim tibi a communi nostro Domino concredita est: quippe qui nullum tempus intermittas admonendi, scribendi ac subinde mittendi, qui optima commoneant. Atque nunc etiam dignum omni honore fratrem Petrum e sacro cleri tui coetu missum, multo cum gaudio excepimus: et bonum peregrinationis ipsius consilium laudavimus, quod quidem praesefert secundum praestantiae tuae mandata, concilians contraria, et divulsa conjungens. Unde et nos cum aliquid in hujus rei studium conferre velimus, convenientissimum initium rebus daturos duximus, si velut ad κορυφὴν coriphaeum universorum ad tuam confugeremus perfectionem: teque duce et consiliario uteremur . . . . . Deinde subdit: « Nobis autem congruum est mittere ad Episcopum Romae ut nostra invisat: et consilium dare, ut, cum illinc communi et synodico decreto aliquos mitti difficile sit, ipse hoc negotium suo marte aggrediatur, eligens viros idoneos etc. » Et in epistola 79. eumdem celebrat Athanasium propter studium et sollicitudinem omnium ecclesiarum; eique gratias agit ob missum ad se Petrum. Iterum mittit ad eum Dorotheum, ut ipsius consiliis munitus, Romam proficiscatur. Et sic progressus Basilius in epistola 80. petit tutelam ejusdem Athanasii pro curandis malis ecclesiarum. Nec aliter in epistola 82. rogat eum inquiens: « ut nobis omnibus scribas epistolam unam, quae quid agendum sit, admoneat. »

Similiter in epistola 266. ad Petrum Athanasii successorem scribit et ait: « Recte me reprehendisti, et ut decebat fratrem spiritualem. . . . . quod non te de omnibus, quae hîc geruntur, sive parvis sive magnis certiorem facimus. Nam et convenit nostra curare, et nobis ad tuam ca-

ritatem de rebus nostris referre. Et in fine ait: « Non enim nobiscum persecutionem passi sunt Canones. Itaque saepe a galatis importune rogatus, nondum illis potui respondere, vestrum expectans judicium. » Demum in epistola 133. hortatur eumdem, ut curam suscipiat fraternitatis ubique diffusae, sicuti antecessor Athanasius.

Et quid haec sibi volunt, nisi jurisdictionem sedis alexandrinae supra Asiae Minoris provincias? Quarum episcopi patriarcham Aegypti, cum opus fuerit de sacris consulebant negotiis. Ita sane, cum Basilius ait Petro: *tibi convenit nostra curare, et nobis ad tuam caritatem de rebus nostris referre,* unius luculenter notat privilegium primatus supra Asiae episcopos, atque alterius debitum appellandi, cum necesse foret, ad illius judicium. Et quid insuper sibi vult Basilius, cum ait, se et congruum putare scribens ad Episcopum Romanum, ut res illius regionis invisat, nonnullis illic commissis, vel ipse suo marte negotium aggrediatur per viros idoneos ab urbe legatos, nisi Sedis apostolicae jurisdictionem supra Asiae Minoris episcopatum: cujus cura post Antistitem Romanum episcopo alexandrino credita fuit, quippe in secundo honoris gradu posito justa veterem Ecclesiae disciplinam in genuino Canone VI. nicaeno confirmatam.

S. Gregorius nazianzenus in Carmine *De vita sua* v. 830. inquit Petrum alexandrinum misisse Constantinopolim, qui hujus ecclesiae res explorarent circa sui ipsius electionem. Et in sequentibus v. 850. subdit: « Quomodo Petrus ipse pastorum arbiter primum quidem me litteris tam manifestis a versutia alienis (ut ipsae suadebant ad nos litterae missae) in sede constituit. » Item Maximus ex mandato ejusdem Petri post s. Gregorium consecratus est episcopus Constantinopoleos, adprobante Damaso Papa.

Teste Ambrosio in epistola 9. Libri I. ad Theophilum, causa Flaviani et Evagrii circa episcopatum antiochenum ad Concilium capuanum delata est: ibique statutum, ut Theophilus ipse ac ceteri episcopi Aegypti, salvis nicaenae Synodi statutis, decernerent, ac una ad Sedem apostolicam referrent: « Sane referendum arbitramur ad sanctum fratrem Romanae Ecclesiae Sacerdotem: quoniam praesuminus ea te judicaturum, quae etiam illi displicere nequeant. » Et hoc quidem statuit Canon nicaenus VI. collocans Ecclesiae Romanae primatum supra ceteras ecclesias alexandrinam et antiochenam; itemque alexandrinam, quae est secunda post Romanam, praeferens antiochenae. Ac ideo Concilium capuanum cum Ambrosio ac ceteris Occidentis episcopis vocavit Theophilum alexandrinum judicem quaestionis Flaviani et Evagrii; cuinam scilicet committendus foret Antiochiae episcopatus. Quod egregie animadvertit Socrates in Libro V. Hist. Eccl. c. XV. inquiens Flavianum, post Paulini mortem, ordinatum esse Antiochiae episcopum contra voluntatem Theophili. Nisi quod paulo post Flavianus Theophili ejusdem seda-

vit indignationem; et per hunc sibi quoque conciliavit Damasum Papam. Hinc inspicito, quid sibi velit Canon VI. nicaenus in definienda praerogativa episcopi alexandrini in secundo loco post Antistitem Romanum, num scilicet intra tantummodo Aegyptum, nonne potius et extra hanc regionem ejusdem auctoritas protenderetur in consulendo negotiis illarum ecclesiarum, praevio consensu et sanctione Sedis apostolicae.

Hinc paulo post per idem privilegium Chrysostomus inunctus est episcopus Constantinopoleos ab ipso Theophilo. Eodemque jure (teste Palladio in Vita Chrysostomi) scribit Theophilus ad Innocentium Papam, inquiens, se deposuisse Joannem ab episcopatu illius urbis, eo quod clericos a se excommunicatos, Joannes ipse communioni restituisset. Quamvis autem in hac quaestione cuncta iniquissime a Theophilo patrata fuerint, nihilominus educitur episcopi alexandrini privilegium interveniendi in negotiis Asiae Minoris, Ponti et Thraciae. Et si in epistola ad Innocentium, Joannes ait non esse consentaneum, Theophilum ex Aegypto, criminum reum et inimicum et hostem, in Thracia judicare: hoc dicit Joannes, quatenus de hac re Theophilus in causa vocatus ut reus, non poterat judicis suscipere personam. Quamobrem Joannes appellavit ad Innocentium judicem supremum, cui ipse subdebatur Theophilus sicuti totius orbis episcopatus.

Hujus porro Canonis tam genuinam lectionem quam sensum proprium satis vindicavit s. Hieronymus in Libro adversus Joannem hierosolymitanum. Contentione enim inita inter hunc et Hieronymum circa Origenis doctrinam, Joannes tantum virum defendens ab erroribus eidem adscriptis, in suspicionem lapsus est apud suos, quasi praesumptis erroribus communicaret. Quapropter scripsit Apologiam suae fidei ad Theophilum alexandrinum. Cujus exordium citat Hieronymus his verbis n. 37.: *Tu quidem, ait Joannes ad Theophilum, homo Dei apostolica ornatus gratia, curam omnium ecclesiarum, maxime ejus, quae in Hierosolymis est, curam sustines, quum ipse plurimis sollicitudinibus Ecclesiae Dei, quae sub te est, distringaris.*

Quamobrem Hieronymus eum corripit, inquiens: « Laudat faciem, ad personam principum trahit. Tu, qui regulas quaeris ecclesiasticas, et nicaeni Concilii uteris Canonibus, et alienos clericos et cum suis episcopis commorantes, tibi poteris usurpare, responde mihi: ad alexandrinum episcopum in Palaestina quid pertines? Ni fallor, hoc ibi (in Concilio nicaeno) decernitur ut Palaestinae metropolis sit Caesarea, et totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad caesariensem episcopum referre debueras, cui, spreta communione tua, communicare nos noveras: aut si procul repetendum erat judicium, Antiochiam potius dirigendae litterae. Sed novi cur Caesaream, cur Antiochiam nolueris mittere. Maluisti occupatis auribus molestiam ferre, quam debitum metropolitano tuo *honorem* reddere. Nec hoc dico, quod praeter amicitias, quae suspicionem generant,

quidquam in legatione reprehendam; sed quia apud interrogantes magis et praesentes te purgare debueras »

Ex hoc testimonio in cunctis suis partibus rite ponderato, confirmatur propositum. In primis, quin notetur immerito Hieronymum corripere Joannem circa Origenis doctrinam: in qua quaestione ille valde illusus est, [1] considerentur Joannis dicta, quibus rogat Theophilum alexandrinum, ut judicium promat de suae fidei professione, num sit ipse reprehendendus in iis, de quibus a nonnullis culpatus erat. Et in his proponendis Theophilo, dicit hunc curam sustinere omnium ecclesiarum, et maxime quae est Hierosolymis. Et quid hoc sibi vult, nisi privilegii illius exercitium, quo post Antistitem Romanum munitus erat episcopus alexandrinus ab aevo apostolico supra ecclesias non solum intra Aegyptum sed et extra eam regionem usque ad Asiae Minoris, Palaestinae et usque ad extremas Orientis provincias, cunctas suae jurisdictioni creditas: ita ut ad eum sacra negotia harum provinciarum referenda forent, quemadmodum statutum est in praefato Canone VI. Quo quidem Canone usum esse Joannem, cum appellarit ad Theophilum, testatur Hieronymus, huic inquiens: *et Concilii nicaeni uteris Canonibus.* Et cujus Canonis sensus privilegia alexandrinae ecclesiae satis exprimebat juxta ordinem in eo definitum a Patribus.

Idcirco non eligendi episcopos, regendique ecclesias intra Aegypti confines tantum, sicuti Canonis falsatores interpretati sunt, potestatem gerebat episcopus alexandrinus, sed ultra hujus regionis terminum in praefatis provinciis, episcoporum et metropolitarum appellationes recipiendi, ac judicium pronunciandi de illorum quaestionibus, uti praeclare indicatur in utriusque Joannis et Hieronymi dictis, servatis tamen juribus Sedis apostolicae; quemadmodum in praecedenti Canone surrepto sancitum erat. Et huc intendunt praesertim verba Joannis.

Quod vero subdit Hieronymus corripiens episcopum Hierosolymorum, quod in appellatione transegerit metropolitas caesariensem et antiochenum, confugiens ad metropolitam alexandrinum, amplissime confirmat genuinam, quam praemisi, Canonis VI. lectionem, collocans post Ecclesiam Romanam, in secundo loco alexandrinam, in tertio antiochenam, in quarto caesariensem. Nisi quod Joannes ob peculiares causas, tunc omissis inferiorum ecclesiarum tribunalibus, se receperit ad secundam sedem idest alexandrinam, sicuti alias invocavit supremam Petri Cathedram. Dixi autem ob speciales causas nobis ignotas. Non enim ad nos pervenit integra Joannis Apologia ad Theophilum scripta.

Augustinus in epistola 43. ad Glorium et Eleusium de donatistarum schismate, etsi non nominet Synodum nicaenam, citat tamen ejusdem

[1] Conferas Opus inscriptum: *In s. Gregorii nyssení et Origenis Scripta et doctrinam per Aloisium Vincenzi* Tom. III.

Canones de appellationibus clericorum et episcoporum: in quibus distinguitur Canon VI. de ecclesiarum apostolicarum privilegiis, secus explanatis a vulgata et falsata lectione. Cum enim n. 7. arguit donatistas, docens eos in Ecclesia Romana semper viguisse apostolicae Cathedrae principatum, deinde disserens de appellationibus inquit: « Neque enim de presbyteris, aut diaconis, aut inferioris ordinis clericis, sed de collegis agebatur, qui possunt aliorum collegarum judicio, praesertim apostolicarum ecclesiarum causam suam integram reservare: ubi contra eos sententiae dictae, in absentes nullo modo aliquid valerent etc. » Cum ergo Augustinus donatistas corripiens, ait causas inter episcopos agitatas, ad episcoporum pariter judicium reservandas esse, et praesertim ad ecclesiarum apostolicarum praesules, per haec indicat harum ecclesiarum episcopos, unumquemque juxta gradus sui honorem, judices vocari aliorum episcoporum non solum ex. g. intra Africae confines sed et extra hanc provinciam secundum privilegia illis assignata ab apostolis et confirmata a Canone VI. nicaeno. Quae tamen privilegia non expressit Canon, postquam corruptus est in sua forma originali.

Praeclare porro hoc alexandrini episcopi privilegium supra antiochenam ecclesiam obsignavit Cyrillus in epistola (cujus initium *condolere*) ad Domnum, huic commendans Athanasium antistitem; adversus quem clerici insurrexerant: « Quia vero, ait, nimis incongruum est, talia a clericis praesumi adversus episcopos proprios; et haec despicere nos impossibile est: dignetur tua sanctitas (si ab Antiochia longe est civitas, cujus gubernationem sortitus est memoratus episcopus Athanasius) quibusdam per proprias litteras audientiam deligere: quatenus evocati hi, qui accusati sunt, respondeant. Et si inventi fuerint accusationibus rei, a sacro ministerio decidant etc. » Hinc eruitur Athanasium a suis clericis vexatum, scripsisse ad patriarcham alexandrinum: quare Cyrillus ob jurisdictionem supra Orientis provincias rescripsit ad episcopum antiochenum, ut per se, vel per alios procederet, inquirens de insimulationibus in eumdem Athanasium latis. Et hoc mandavit Cyrillus: qui ex adverso scribens ad Caelestinum, nec docet, nec mandat, sed ab eo petit consilium. Teste Arnobio Lib. 2. cum cognovisset Cyrillus nestorianum dogma fidei contrarium pullulare, scripsit per totam Aegyptum et ad s. Caelestinum apostolicae recordationis Antistitem, dicens, ad laudem suam pertinere, si ab eo, qui Pontificatus arcem tenebat, fuisset aliquid emendatum. » [1]

De reliquo Cyrillus, sicuti et sui antecessores, haud ignarus suae jurisdictionis praerogativam extendi extra terminos Aegypti, ad Papam de eodem Nestorio mittens inquit: « Sed quoniam Deus hisce in rebus vigilantiam a nobis exigit, et longa ecclesiarum consuetudo suadet, ut e-

[1] S. Cirilli Operum Tom. V. pars 2. 209. Edit. Lutetiae Parisiorum an. 1638.

mano convenire primatum, seque nunquam fuisse reprehensum a Theodoto Orientis sive Antiochiae episcopo, ac praeterea addat, se inauditum, fuisse a Dioscoro excommunicatum, una cum Leone asseveravit varium trium episcoporum primatum: quo alter alteri praestitit, ita ut, cum Romanus Episcopus super omnes ecclesias gerebat principatum, alexandrinus in secundo gradu constitutus extra Aegyptum usque ad Antiochiam pertingeret in sua jurisdictione.

Ceteris vero discussis, novissimum praecellens documentum de praerogativis ecclesiarum apostolicarum juxta ordinem constitutum in hoc Canone genuino, nobis praebetur a Gelasio Papa in epistola ad episcopos orientales adversus Acacii constantinopolitani temeritatem: cujus opera episcopi catholici Calendion et Joannes depulsi fuerant, unus ab antiocheno episcopatu, alter ab alexandrino, intrusis haereticis, et inconsulta Sede apostolica. (Sirmondi Tom. I. p. 447. 48. 49.): « Sed prout, ait Pontifex, de unoquoque venisset in mentem, de suis urbibus catholicus pellebatur episcopus non solum metropolitanus, sed etiam tertiae (antiochenae) et secundae (alexandrinae) sedis antistites. » Paulo post: « Nam cum Acacius nullo privilegio fulciretur, ut de secunda sede (alexandrina) posset ferre judicium, non potuit jure quemquam damnare. Simili modo, nisi primae Sedis auctoritate percepta, nec examinandi Petri (intrusi) jus habuit, nec recipiendi penitus potestatem. » Cum igitur talia exprobret Gelasius Acacio, limpide distinguit privilegia ecclesiarum apostolicarum, de quibus agitur in Canone nicaeno, in primo honoris gradu collocans Sedem Romanam, deinde alexandrinam, ac in tertio antiochenam, secundam et tertiam ceteris praeferens ecclesiis, utramque tamen postponens primae Sedi juxta Patrum nicaenorum statuta.

Explanata hucusque πρεσβείων privilegiorum essentia ecclesiarum apostolicarum, prout fuerunt definita ab Ecclesiae Patribus aliter quam notatur in Canone vulgato, alterum accedat adminiculum de hujus Canonis falsatione, desumptum ab expositione Canonis IV. et VI. de quo agitur. Qui inter se collati et cum versione Ruffini, vanam exerunt repetitionem nec non in eorum sensu antilogîam.

Canon IV. (versione utar exemplaris graeci missi ad Synodum africanam) ita sonat: « Episcopum oportet maxime quidem ab omnibus, qui sunt episcopi, ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter urgentem necessitatem, aut propter longitudinem itineris, omnimode tribus in unum convenientibus, consentientibus et his qui absentes sunt per scripta, tunc manus impositionem fieri. Confirmatio autem eorum, quae fiunt, danda est unicuique suae provinciae metropolitano. »

Canon vero VI. mandat: « Antiqui mores serventur, qui sunt in Aegypto, Lybia et Pentapoli, ita ut alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem, quandoquidem et Episcopo Romano parilis est mos. Similiter et in Antiochia et in aliis provinciis sua privilegia ac suae li-

gnitates et auctoritates ecclesiis serventur. Illud autem est omnino manifestum, quod siquis absque metropolitani sententia factus sit episcopus, eum magna Synodus definivit non esse episcopum. Quod si quidem omnium communi electioni, quae et rationi consentanea et ex regula ecclesiastica facta sit, duo vel tres propter suam, qua delectantur, contentionem contradicunt, vincant plurium suffragia. »

Hinc in primis cernitur, tam Canonem IV. quam VI. unum et idem statuere circa episcopi electionem et ordinationem cum interventu episcoporum provinciae, cum adsitentia metropolitae aut, eo absente, cum ejusdem adprobatione, adeo ut frustra videatur repetitum hoc decretum a tanto episcoporum conventu. Secundo, si secus dicatur, ob differentiam quae in enunciatione horum Canonum manifestatur, tunc prodit antilogia, quae pariter obstat sapientiae Patrum. Nam Canon IV. in electione episcopi absolute decernit, ipsam ratam haberi, omnibus provinciae antistitibus consentientibus vel per praesentiam, aut per scripta, adprobante metropolita. In Canone vero VI. statuitur item necessarius consensus metropolitae; sed excluditur consensus absolutus omnium provinciae episcoporum, ita ut, siqui contradicant electioni, non sit irrita ordinatio, verum standum sit plurium sententiae.

Henricus porro Valesius quidquam absonum animadvertit et ipse in hoc Canone VI. ob praefatam repetitionem: [1] « Prorsus, ait, inanis et superflua esset haec repetitio: quae in viros tam graves cadere non potest. » Praeterea cum Valesio, qui Canonis sensum rite expendit, Synodi VIII. Zonarae, Balsamonis, Joannis patriarchae constantinopolitani auctoritate usus, cui suffragantur prisci Ecclesiae Patres per citatas animadversiones, non solum tenendum est, huc vanam irrepsisse repetitionem Canonis IV. sed et intrusa extra ordinem et scopum Canonis fuisse verba: *et in aliis provinciis sua privilegia ac suae dignitates et auctoritates serventur ecclesiis.* Quae cum ceteris supra citatis aut inutilia putantur, sive extra locum huc redacta. Patrum enim mens in Canone VI. ad privilegia specialia intendebat ecclesiarum apostolicarum, nec ullimode ceterarum, quarum ignorantur ejusmodi privilegia.

Demum non est in hoc Canone VI. praetereundus expositionis ordo; ubi interpolator de episcoporum regimine ad morem veterem appellans, in primo loco collocat episcopum alexandrinum, deinde Romae antistitem, in tertio loco antiochenum. Et hinc ait Alexandriae episcopum ἐξουσίαν potestatem habere supra tres Aegypti provincias, addens rationem, quia talis mos est Romae episcopi. Postea addit, Antiochiae sicuti in ceteris provinciis custodienda esse cujusque privilegia. Cum interim episcopo alexandriae potestatem tribuit supra totam Aegyptum, et antiocheno pariter primatum honoris assignat supra illius regionis provincias,

[1] Valesii Observationes ecclesiasticae in Socratem et Sozomenem Lib. III.

Romae vero episcopo nec ullum honoris privilegium, nec potestatem assignat, nec provinciam ab eo regendam. Tantum dicit: *siquidem et hoc consuetum Episcopo Romae est;* omittens indicare tum provinciam cum ecclesias, supra quas exerceret episcopalem auctoritatem.

Quapropter manca vel saltem minus exacta videtur ejusmodi locutio, ita ut ad supplendum defectum necessario sequeretur additio: siquidem et hoc consuetum est Episcopo Romae, exercendi nempe potestatem supra alias provincias extra praefatas: et tunc compta diceretur locutio. Et reapse Rufinus hujus Canonis summam notans, supplevit defectum et scripsit: « Et ut apud Alexandriam et in urbe Roma vetusta consuetudo servetur; et ut vel ille Aegypti, vel hic suburbicariarum ecclesiarum sollicitudinem gerat. » Nec secus putavit Auctor Paraphrasis arabicae, horum Canonum ita verba interpretatus: « Sicuti etiam Episcopus Romae huic consuetudini adhaeret. Et ei quoque necessarium est, ut potestatem habeat super regiones et provincias ejus et quiquid ei (Romae) adjacet. » (Labbei Tom. II. p. 712.) Nisi quod, cum merito Ruffinus et Auctor Paraphrasis arabicae hanc damnantes incuriam, existimarint hujus Canonis supplere defectum: circumscripsere tamen et quidem absurde Romani Pontificis potestatem intra finitimas Romae provincias: cum aliter Synodi Patres ex apostolica traditione supra totum christianum orbem usque ad ultimos terrae limites, et hinc supra Alexandriae, Antiochiae et Hierosolymorum patriarchas et primatum et jurisdictionem dilatarint, quemadmodum constat ex praefatis animadversionibus.

Et quis sane inter cetera hanc locutionem tanto consessu episcoporum indignam non reputabit in hoc Canone? quando ab initio ejusdem decernitur: *antiqui mores teneant* circa jura ecclesiarum apostolicarum, alexandrinae, Romanae, antiochenae et caesariensis, quin deinde illimode exprimatur, quales isti mores antiqui forent custodiendi ab illarum ecclesiarum episcopis in exercitio suae potestatis? Et si hos mores de episcopo alexandrino locuti distinxerunt, statuentes, Aegyptum, Pentapolim atque Libyam hujus subdi jurisdictioni, quare praetermierunt terminos jurisdictionis Episcopi Romani, antiocheni et caesariensis? Non enim praesumendum est, Synodum decernentem provincias episcopatui alexandrino subditas, in quo consistebat Canonis essentia, designatis ideo Aegypti provinciis, deinde omisisse provinciarum nomina, et confines jurisdictionis Episcopi Romani, antiocheni et caesariensis. Si talis negligentia in Patribus nicaenis non sit suspicienda, necessario consequitur falsatio sive interpolatio Canonis; ac ideo alterum intendisse scopum, qui Nicaeae convenerant.

Et quis tandem obstupescet de hoc Canone falsato, ita ut ab eo evanuerit ea eximia et sacra Hierarchiae tessera a Christo Jesu in sua Ecclesia institutae, ac beato Petro et successoribus pro unitate servanda, commissae? Et quis miretur item, quod ob hanc falsationem sint quo-

ex privilegio secundae sedis post Romanam juxta morem antiquum firmatum in Canone nicaeno, s. Basilius saepe in suis testatur scriptis. In epistola 66. rogat Athanasium, ut mittat aliquos viros in sana doctrina potentes ad occidentales episcopos, hisque exponant calamitates, quibus premebantur Asiae fideles. Deinde addit; « Ad reliquas quidem res Orientis fortasse tibi plurium etiam adjumento opus est: atque occidentales necesse est expectare. Bonus sane ecclesiae antiochenae status ex tua pietate pendet manifeste, ita ut in alios quidem temperamento utaris: alios vero compescas, atque ecclesiae robur per concordiam restituas. Rursus igitur et hîc magnanimitatem tuam decere tantarum rerum administrationem speramus, adeo ut populi quidem tumultum compescas: abroges autem praefecturas particulares, et omnes sibi invicem subjicias in dilectione: et robur priscum ecclesiae restituas. »

Item in epistola 69. ad eumdem Athanasium: « Quam dudum, inquit, de tua praestantia opinionem habemus, jam tempus progrediens semper confirmat: vel potius simul crescit ex eorum, quae singulatim fiunt, occasionibus. Nam plerisque aliis satis est, sua cujusque propria circumspicere; tibi vero id non satis est. Sed tanta inest tibi omnium ecclesiarum cura, quanta illius, quae privatim tibi a communi nostro Domino concredita est: quippe qui nullum tempus intermittas admonendi, scribendi ac subinde mittendi, qui optima commoneant. Atque nunc etiam dignum omni honore fratrem Petrum e sacro cleri tui coetu missum, multo cum gaudio excepimus: et bonum peregrinationis ipsius consilium laudavimus, quod quidem praesefert secundum praestantiae tuae mandata, concilians contraria, et divulsa conjungens. Unde et nos cum aliquid in hujus rei studium conferre velimus, convenientissimum initium rebus daturos duximus, si velut ad χορυφὴν coriphaeum universorum ad tuam confugeremus perfectionem: teque duce et consiliario uteremur . . . . . Deinde subdit: « Nobis autem congruum est mittere ad Episcopum Romae ut nostra invisat: et consilium dare, ut, cum illinc communi et synodico decreto aliquos mitti difficile sit, ipse hoc negotium suo marte aggrediatur, eligens viros idoneos etc. » Et in epistola 79. eumdem celebrat Athanasium propter studium et sollicitudinem omnium ecclesiarum; eique gratias agit ob missum ad se Petrum. Iterum mittit ad eum Dorotheum, ut ipsius consiliis munitus, Romam proficiscatur. Et sic progressus Basilius in epistola 80. petit tutelam ejusdem Athanasii pro curandis malis ecclesiarum. Nec aliter in epistola 82. rogat eum inquiens: « ut nobis omnibus scribas epistolam unam, quae quid agendum sit, admoneat. »

Similiter in epistola 266. ad Petrum Athanasii successorem scribit et ait: « Recte me reprehendisti, et ut decebat fratrem spiritualem. . . . . quod non te de omnibus, quae hîc geruntur, sive parvis sive magnis certiorem facimus. Nam et convenit nostra curare, et nobis ad tuam ca-

vit indignationem; et per hunc sibi quoque conciliavit Damasum Papam. Hinc inspicito, quid sibi velit Canon VI. nicaenus in definienda praerogativa episcopi alexandrini in secundo loco post Antistitem Romanum, num scilicet intra tantummodo Aegyptum, nonne potius et extra hanc regionem ejusdem auctoritas protenderetur in consulendo negotiis illarum ecclesiarum, praevio consensu et sanctione Sedis apostolicae.

Hinc paulo post per idem privilegium Chrysostomus inunctus est episcopus Constantinopoleos ab ipso Theophilo. Eodemque jure (teste Palladio in Vita Chrysostomi) scribit Theophilus ad Innocentium Papam, inquiens, se deposuisse Joannem ab episcopatu illius urbis, eo quod clericos a se excommunicatos, Joannes ipse communioni restituisset. Quamvis autem in hac quaestione cuncta iniquissime a Theophilo patrata fuerint, nihilominus educitur episcopi alexandrini privilegium interveniendi in negotiis Asiae Minoris, Ponti et Thraciae. Et si in epistola ad Innocentium, Joannes ait non esse consentaneum, Theophilum ex Aegypto, criminum reum et inimicum et hostem, in Thracia judicare: hoc dicit Joannes, quatenus de hac re Theophilus in causa vocatus ut reus, non poterat judicis suscipere personam. Quamobrem Joannes appellavit ad Innocentium judicem supremum, cui ipse subdebatur Theophilus sicuti totius orbis episcopatus.

Hujus porro Canonis tam genuinam lectionem quam sensum proprium satis vindicavit s. Hieronymus in Libro adversus Joannem hierosolymitanum. Contentione enim inita inter hunc et Hieronymum circa Origenis doctrinam, Joannes tantum virum defendens ab erroribus eidem adscriptis, in suspicionem lapsus est apud suos, quasi praesumptis erroribus communicaret. Quapropter scripsit Apologiam suae fidei ad Theophilum alexandrinum. Cujus exordium citat Hieronymus his verbis n. 37.: *Tu quidem, ait Joannes ad Theophilum, homo Dei apostolica ornatus gratia, curam omnium ecclesiarum, maxime ejus, quae in Hierosolymis est, curam sustines, quum ipse plurimis sollicitudinibus Ecclesiae Dei, quae sub te est, distringaris.*

Quamobrem Hieronymus eum corripit, inquiens: « Laudat faciem, ad personam principum trahit. Tu, qui regulas quaeris ecclesiasticas, et nicaeni Concilii uteris Canonibus, et alienos clericos et cum suis episcopis commorantes, tibi poteris usurpare, responde mihi: ad alexandrinum episcopum in Palaestina quid pertines? Ni fallor, hoc ibi (in Concilio nicaeno) decernitur ut Palaestinae metropolis sit Caesarea, et totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad caesariensem episcopum referre debueras, cui, spreta communione tua, communicare nos noveras: aut si procul repetendum erat judicium, Antiochiam potius dirigendae litterae. Sed novi cur Caesaream, cur Antiochiam nolueris mittere. Maluisti occupatis auribus molestiam ferre, quam debitum metropolitano tuo *honorem* reddere. Nec hoc dico, quod praeter amicitias, quae suspicionem generant,

Canones de appellationibus clericorum et episcoporum: in quibus distinguitur Canon VI. de ecclesiarum apostolicarum privilegiis, secus explanatis a vulgata et falsata lectione. Cum enim n. 7. arguit donatistas, docens eos in Ecclesia Romana semper viguisse apostolicae Cathedrae principatum, deinde disserens de appellationibus inquit: « Neque enim de presbyteris, aut diaconis, aut inferioris ordinis clericis, sed de collegis agebatur, qui possunt aliorum collegarum judicio, praesertim apostolicarum ecclesiarum causam suam integram reservare: ubi contra eos sententiae dictae, in absentes nullo modo aliquid valerent etc. » Cum ergo Augustinus donatistas corripiens, ait causas inter episcopos agitatas, ad episcoporum pariter judicium reservandas esse, et praesertim ad ecclesiarum apostolicarum praesules, per haec indicat harum ecclesiarum episcopos, unumquemque juxta gradus sui honorem, judices vocari aliorum episcoporum non solum ex. g. intra Africae confines sed et extra hanc provinciam secundum privilegia illis assignata ab apostolis et confirmata a Canone VI. nicaeno. Quae tamen privilegia non expressit Canon, postquam corruptus est in sua forma originali.

Praeclare porro hoc alexandrini episcopi privilegium supra antiochenam ecclesiam obsignavit Cyrillus in epistola (cujus initium *condolere*) ad Domnum, huic commendans Athanasium antistitem; adversus quem clerici insurrexerant: « Quia vero, ait, nimis incongruum est, talia a clericis praesumi adversus episcopos proprios; et haec despicere nos impossibile est: dignetur tua sanctitas (si ab Antiochia longe est civitas, cujus gubernationem sortitus est memoratus episcopus Athanasius) quibusdam per proprias litteras audientiam deligere: quatenus evocati hi, qui accusati sunt, respondeant. Et si inventi fuerint accusationibus rei, a sacro ministerio decidant etc. » Hinc eruitur Athanasium a suis clericis vexatum, scripsisse ad patriarcham alexandrinum: quare Cyrillus ob jurisdictionem supra Orientis provincias rescripsit ad episcopum antiochenum, ut per se, vel per alios procederet, inquirens de insimulationibus in eumdem Athanasium latis. Et hoc mandavit Cyrillus: qui ex adverso scribens ad Caelestinum, nec docet, nec mandat, sed ab eo petit consilium. Teste Arnobio Lib. 2. cum cognovisset Cyrillus nestorianum dogma fidei contrarium pullulare, scripsit per totam Aegyptum et ad s. Caelestinum apostolicae recordationis Antistitem, dicens, ad laudem suam pertinere, si ab eo, qui Pontificatus arcem tenebat, fuisset aliquid emendatum. » [1]

De reliquo Cyrillus, sicuti et sui antecessores, haud ignarus suae jurisdictionis praerogativam extendi extra terminos Aegypti, ad Papam de eodem Nestorio mittens inquit: « Sed quoniam Deus hisce in rebus vigilantiam a nobis exigit, et longa ecclesiarum consuetudo suadet, ut e-

[1] S. Cirilli Operum Tom. V. pars 2. 209. Edit. Lutetiae Parisiorum an. 1638.

mano convenire primatum, seque nunquam fuisse reprehensum a Theodoto Orientis sive Antiochiae episcopo, ac praeterea addat, se inauditum, fuisse a Dioscoro excommunicatum, una cum Leone asseveravit varium trium episcoporum primatum: quo alter alteri praestitit, ita ut, cum Romanus Episcopus super omnes ecclesias gerebat principatum, alexandrinus in secundo gradu constitutus extra Aegyptum usque ad Antiochiam pertingeret in sua jurisdictione.

Ceteris vero discussis, novissimum praecellens documentum de praerogativis ecclesiarum apostolicarum juxta ordinem constitutum in hoc Canone genuino, nobis praebetur a Gelasio Papa in epistola ad episcopos orientales adversus Acacii constantinopolitani temeritatem: cujus opera episcopi catholici Calendion et Joannes depulsi fuerant, unus ab antiocheno episcopatu, alter ab alexandrino, intrusis haereticis, et inconsulta Sede apostolica. (Sirmondi Tom. I. p. 447. 48. 49.): « Sed prout, ait Pontifex, de unoquoque venisset in mentem, de suis urbibus catholicus pellebatur episcopus non solum metropolitanus, sed etiam tertiae (antiochenae) et secundae (alexandrinae) sedis antistites. » Paulo post: « Nam cum Acacius nullo privilegio fulciretur, ut de secunda sede (alexandrina) posset ferre judicium, non potuit jure quemquam damnare. Simili modo, nisi primae Sedis auctoritate percepta, nec examinandi Petri (intrusi) jus habuit, nec recipiendi penitus potestatem. » Cum igitur talia exprobret Gelasius Acacio, limpide distinguit privilegia ecclesiarum apostolicarum, de quibus agitur in Canone nicaeno, in primo honoris gradu collocans Sedem Romanam, deinde alexandrinam, ac in tertio antiochenam, secundam et tertiam ceteris praeferens ecclesiis, utramque tamen postponens primae Sedi juxta Patrum nicaenorum statuta.

Explanata hucusque πρεσβείων privilegiorum essentia ecclesiarum apostolicarum, prout fuerunt definita ab Ecclesiae Patribus aliter quam notatur in Canone vulgato, alterum accedat adminiculum de hujus Canonis falsatione, desumptum ab expositione Canonis IV. et VI. de quo agitur. Qui inter se collati et cum versione Ruffini, vanam exerunt repetitionem nec non in eorum sensu antilogîam.

Canon IV. (versione utar exemplaris graeci missi ad Synodum africanam) ita sonat: « Episcopum oportet maxime quidem ab omnibus, qui sunt episcopi, ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter urgentem necessitatem, aut propter longitudinem itineris, omnimode tribus in unum convenientibus, consentientibus et his qui absentes sunt per scripta, tunc manus impositionem fieri. Confirmatio autem eorum, quae fiunt, danda est unicuique suae provinciae metropolitano. »

Canon vero VI. mandat: « Antiqui mores serventur, qui sunt in Aegypto, Lybia et Pentapoli, ita ut alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem, quandoquidem et Episcopô Romano parilis est mos. Similiter et in Antiochia et in aliis provinciis sua privilegia ac suae di-

Romae vero episcopo nec ullum honoris privilegium, nec potestatem assignat, nec provinciam ab eo regendam. Tantum dicit: *siquidem et hoc consuetum Episcopo Romae est;* omittens indicare tum provinciam cum ecclesias, supra quas exerceret episcopalem auctoritatem.

Quapropter manca vel saltem minus exacta videtur ejusmodi locutio, ita ut ad supplendum defectum necessario sequeretur additio: siquidem et hoc consuetum est Episcopo Romae, exercendi nempe potestatem supra alias provincias extra praefatas: et tunc compta diceretur locutio. Et reapse Rufinus hujus Canonis summam notans, supplevit defectum et scripsit: « Et ut apud Alexandriam et in urbe Roma vetusta consuetudo servetur; et ut vel ille Aegypti, vel hic suburbicariarum ecclesiarum sollicitudinem gerat. » Nec secus putavit Auctor Paraphrasis arabicae, horum Canonum ita verba interpretatus: « Sicuti etiam Episcopus Romae huic consuetudini adhaeret. Et ei quoque necessarium est, ut potestatem habeat super regiones et provincias ejus et quiquid ei (Romae) adjacet. » (Labbei Tom. II. p. 712.) Nisi quod, cum merito Ruffinus et Auctor Paraphrasis arabicae hanc damnantes incuriam, existimarint hujus Canonis supplere defectum: circumscripsere tamen et quidem absurde Romani Pontificis potestatem intra finitimas Romae provincias: cum aliter Synodi Patres ex apostolica traditione supra totum christianum orbem usque ad ultimos terrae limites, et hinc supra Alexandriae, Antiochiae et Hierosolymorum patriarchas et primatum et jurisdictionem dilatarint, quemadmodum constat ex praefatis animadversionibus.

Et quis sane inter cetera hanc locutionem tanto consessu episcoporum indignam non reputabit in hoc Canone? quando ab initio ejusdem decernitur: *antiqui mores teneant* circa jura ecclesiarum apostolicarum, alexandrinae, Romanae, antiochenae et caesariensis, quin deinde ullimode exprimatur, quales isti mores antiqui forent custodiendi ab illarum ecclesiarum episcopis in exercitio suae potestatis? Et si hos mores de episcopo alexandrino locuti distinxerunt, statuentes, Aegyptum, Pentapolim atque Libyam hujus subdi jurisdictioni, quare praetermiserunt terminos jurisdictionis Episcopi Romani, antiocheni et caesariensis? Non enim praesumendum est, Synodum decernentem provincias episcopatui alexandrino subditas, in quo consistebat Canonis essentia, designatis ideo Aegypti provinciis, deinde omisisse provinciarum nomina, et confines jurisdictionis Episcopi Romani, antiocheni et caesariensis. Si talis negligentia in Patribus nicaenis non sit suspicienda, necessario consequitur falsatio sive interpolatio Canonis; ac ideo alterum intendisse scopum, qui Nicaeae convenerant.

Et quis tandem obstupescet de hoc Canone falsato, ita ut ab eo evanuerit ea eximia et sacra Hierarchiae tessera a Christo Jesu in sua Ecclesia institutae, ac beato Petro et successoribus pro unitate servanda, commissae? Et quis miretur item, quod ob hanc falsationem sint quo-

que ecclesiarum apostolicarum jura violata? cum ariani, ut fidem et statuta Patrum nicaenorum labefactarent, in Synodo antiochena congregati novos Canones statuerint? Quamvis enim ex his nonnulli prima fronte videantur sacrae disciplinae conformes; attamen sollertius considerati ad manifestum tendunt schisma: quod hucusque in iis regionibus Catholica lamentatur Ecclesia.

Et tales quidem sunt prae ceteris Canones IX. XIV. et XV. in quibus ob controversias de variis negotiis inter episcopos et presbyteros agitatas, postulatur tantummodo judicium episcoporum et metropolitae provinciae illius, vel alterius vicinioris, si necesse fuerit, quovis alio excluso appellationis genere ad exteros metropolitas, quocumque dignitatis gradu praeditos: « *Et praeter hunc metropolitam* (legitur in Canone IX.) *nihil amplius placuit Synodo, ceteros episcopos agere, secundum antiquam a patribus nostris regulam constitutam.* Quid ergo mireris si ariani in Synodo antiochena *hanc* confixerint *consuetudinem antiquam* (putidum mendacium) quum unum Canonem nicaenum de appellationibus ad Sedem apostolicam sustulerint: atque alterum VI. falsarint, in quo Patres aliam statuerunt normam pro ejusmodi circumstantiis, et quidem traditioni apostolicae uniformem?

Hucusque discussa Canonum nicaenorum, uti vulgo citantur, ab originali fonte discrepantia, haec eadem facit illustrationi praefati Ruffini. Is enim in Libro 1. Hist. Eccl. c. V. quam alteri Eusebii subjunxit, Canones nicaenos citat eodem fere numero et sensu, non verbotenus, sicuti in graecis et latinis editionibus traditi sunt: verum summam eorum, breviterque contractos descripsit, inquiens: *quae in litteris majorum, aut memoria sua attigerat, enarrare, quam poterimus, breviter addemus.* Nisi quod ex hac brevitate expletum est tritum proverbium: *dum brevis esse laboro, obscurus fio.* Et hoc potissimum factum est in Canone VI. ubi agitur de ecclesiis apostolicis, subtractis quae necessaria erant, et additis quae non erant addenda: « Et ut (statuerunt nempe Patres) apud Alexandriam et in Urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Aegypti, vel hic suburbicariarum ecclesiarum sollicitudinem gerat. » Ita Ruffinus. [1]

In primis notetur, hujus Canonis lectionem a cunctis differre codicibus et editionibus graecis et latinis, tum quas falsatas cum quas genuinas ostendi. Universim enim ab illis colligitur in hoc Canone tractari de ecclesiis apostolicis earumque episcoporum specialibus privilegiis, idest de Ecclesia Romana, alexandrina, antiochena, et caesariensi. Ex adver-

[1] Suburbicarii nomen (idem ac suburbani) in Codice Theodosiano notum, vulgo dicitur regio Romae proxima. Teste Forcellino « suburbani absolute sunt incolae Ariciae, Laurentii, Lanuvii, Tiburis et Praenestis: quae oppida non procul ab urbe Roma erant. » Ruffinus in Canone non reperit hoc vocabulum graecum, nec multominus latinum Ipse per se commentus est, existimans ideo imperfectionem Canonis supplere.

so de ecclesia antiochena ne verbum quidem apud Ruffinum, quasi a suis privilegiis dirempta. Insuper in Canone apparet dictio incompta et fracta. Statuit enim Canon *ut vel ille Aegypti, vel hic suburbicariarum ecclesiarum sollicitudinem gerat.* Et quomodo stabunt pronomina *hic vel ille* ab initio sermonis, non praemisso nomine vel titulo subjecti idest episcopi Romae et Alexandriae. Vix supponitur ex praecedenti Canone ea nomina supplenda esse. Alius enim erat scopus Canonis V. praecedentis et alius sequentis. Item particula disjunctiva *vel,* quae alteri praecedit causali *ut,* locutionis ordinem abrumpit; et nescitur quid reapse sibi velit Canon.

Novissime verba *suburbicariarum ecclesiarum,* (quae non leguntur in Canone vulgato, nec multo minus in genuino, quem citavit et explanavit s. Leo in suis epistolis) ex dictis Canonis, *quoniam Romae parilis est mos,* commentatus est Ruffinus, cui supplere visum est defectum loci vel provinciae, cujus Romanus Episcopus gereret sollicitudinem, citra tamen, dixi, Patrum nicaenorum mentem, qui propria et distincta ecclesiarum apostolicarum decreverunt privilegia aliter ab eo, quod ipse ait Ruffinus. Qui nescius calami interpolatoris, Canonis defectui et obscuritati consulere studens, adjecit *ecclesias suburbicarias.* Unde factum est, ut si manus perfida prius corruperit genuini Canonis sensum, uti ostendi, alter, qui latine ex graeco vertit, quaedam ab eo sustulit et alia adjecit ad majorem confusionem, et praecipue ad posterorum scandalum: cum ideo putarint pontificiam jurisdictionem circumscriptam intra ecclesias suburbicarias, et hoc adversus mentem Synodi et catholicam traditionem. Quae docuit et docet, nulli civitati, nulli provinciae, nulli orbis terrarum regioni Petri apostoli et successorum circumscribendam esse auctoritatem. Quod Patres nicaeni tantopere propugnarunt.

CAPUT V.

Sequuntur documenta ad praefatam thesim spectantia in confirmationem mutilationis, subtractionis et falsationis Canonum nicaenorum, in quibus numerantur Canones de celebratione Paschatis, de coelibatu ecclesiastico, et de promovendis ad sacros ordines, eorumque officiis.

Frustra nos laborasse hucusque quosdam puto subituros, de corruptione et mutilatione Canonum nicaenorum disserentes, in medium expositis eisdem Canonibus a Ruffino summatim latine versis eodem numero et sensu sicuti traduntur in catalogo labbeano. Quique praeterea paulo post eodem ordine proferuntur in litteris Concilii africani ad Bonifacium: quibus suffragantur epistolae quae supersunt, antistitum, unius Alexandriae Cyrilli, et alterius Constantinopoleos Attici. Cyrillus Synodo africanae, quae de his interrogaverat, respondens ait « se fidelissima exemplaria ex authentica Synodo Nicaeae Bythiniae habita eorum charitati dirigere: quae et in ecclesiastica historia requirentes invenient etc. » Item Atticus scribit: « Per Marcellum, sicuti statuti sunt in Nicaea civitate a Patribus Canones, in integro direxi, petens ut pro me orare etc. » Et sane in his exemplaribus iidem notantur Canones, veluti in vulgata lectione. (Labbei Tom. III. p. 836.)

Et haec sunt praecipua argumenta, quae adversus nostram thesim opponunt adversarii; quae etsi videantur plurimum nostram facessere mentem, nihilominus, postquam ex testibus nicaeni Concilii aetati proximis, fide et sanctitate praeclarissimis ostendimus, aliter se habere elenchum, et sensum illorum Canonum, quam praefati Patres africani et episcopi alexandrinus et constantinopolitanus protulerunt, necessario in hoc offendent dilema. Aut Pontifices Julius, Siricius, Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Caelestinus et Leo illusi sunt: vel illusione capti sunt Ruffinus, Patres africani, duoque celebrati metropolitae. Nobis autem, animadversis Pontificum studio, auctoritate, sinceritate et praesertim antiquitate ex parte Julii saltem, qui eadem Synodi nicaenae aetate vixit, jure tenendum est, novissimos arianorum perfidiae inscios, ob oculos habuisse codices mutilatos et falsatos, cum tamen integri custodirentur in archiviis Ecclesiae Romanae.

Ac interim huic demonstrationi praeire puto cum opportuno s. Gregorii Magni testimonio in epistola 14. ad Narsem Comitem (Libro VI. Epist.): « Si enim nos, scribit, per Adam in anima mortui non sumus, quod dici nefas est, vacue redempti sumus. Ephesinam autem Synodum perscrutantes, de Adelphio et Sava et ceteris aliis, qui illic dicuntur esse damnati, omnino nihil invenimus. Et existimamus, quia sicuti chalce-

donensis Synodus in uno loco ab ecclesia constantinopolitana falsata est, sic aliquid in ephesina Synodo factum est. Caritas ergo vestra vetustos omnino codices ejusdem Synodi requirat, et illic inde videat, siquid tale invenitur. Mihique eumdem codicem, quem invenerit, transmittat: quem mox ut legero, retransmitto. Novis enim codicibus passim non credam; ex qua re dubius factus sum; et nihil adhuc volui de hac causa praedicto fratri meo Joanni episcopo transcribere. Romani autem codices multo veriores sunt graecis: quia nos vestra sicuti non acumina, ita nec imposturas habemus. »

Ceterum non est demonstratu arduum, arianos suosque asseclas eusebianos, postquam a Synodis nicaena et sardicensi cum Sedis apostolicae sanctione condemnati sunt, omnem insumpsisse operam, ut hujus sacrosanctae Sedis imminueretur auctoritas, quam antea ab infantia edocti tantopere propugnarunt. Inde enim factum est, ut dirempta cum Ecclesia Romana communione, et ad Synodos provinciales avocatis eorum quaestionibus, evaderent a judicio apostolici magisterii et hinc ab insimulatione haereseos. Et hoc sane videre est in Synodo antiochena, tunc ideo ab eusebianis extra Julii Pontificis conscientiam congregata, exclusa quavis relatione cum eodem; ubi statutum est in quaestionibus inter episcopos judicium pertinere tantummodo ad Concilium provinciale, adstante metropolita, nullo admisso appellationis genere. Etsi vero talia decrevissent, sciebant tamen ut dixi, adversus se adhuc stare quosdam Canones nicaenos, pontificiam statuentes jurisdictionem supra omnes episcopos eorumque Concilia.

Neq multo minus latebat aequissima in eos acta Julii reprehensio, quod ipsi nicaeni Concilii fidem clanculo innovarent et quod praeter Ecclesiae leges eum ad Synodum non vocassent. *Legem enim esse* ἱερατικὸν *sacram, ut pro irritis habeantur, quae praeter sententiam Episcopi Romani fuerint gesta.* » (Sozomenes Hist. Eccl. Lib. III. c. X.) Attamen perstiterunt in pravo eorum consilio. Ideoque non est mirum, quod ipsi hos Canones furtive vel mutilarint, seu sustulerint: et hinc pedetentim aditum reserarint, sub aulae imperialis tutamine, illi infaustissimo schismati, quod adhuc usque magna ex parte separavit ac separat ecclesiam orientalem a Petri Cathedra; quam summa reverentia antea prosecuta fidelissime erat.

His positis ad argumentum revertamur in historiae monumentis rimati, quomodo ariani et eusebiani paulo post Synodum tam catholicam fidei nicaenae formulam, quam Canones artificiose ad simplicium illusionem corruperint (utrumque enim eis proderat in suae haereseos munimen) et quomodo postea ita corrupti, undique vulgati sunt jam ab aetate Ruffini, Synodi africanae, Attici et Cyrilli, ceu genuini Patrum nicaenorum foetus accepti. Athanasius, teste Theodoreto Hist. Eccles. Libro II. c. XXIII. in epistola ad Afros de ariminensi Concilio, scripsit:

« Haec cum ita se habere monstrantur, quis eis probaturus est, qui ariminensem, aut aliam quampiam Synodum praeter nicaenam allegant? Aut quis eos non oderit, qui Patrum quidem statuta rejiciunt; recepturi vero quae apud Ariminum per vim et contentionem confecta sunt, illis anteponunt? Quis vero est, qui cum hominibus istis coire volet, qui ne sua quidem ipsi approbant? Nam qui in decem et amplius Synodis suis, ut jam diximus, alia atque alia scripserunt, aperte testantur, se singulas earum damnare etc. »

Insuper in epistola Synodi alexandrinae pro Athanasio pugnantes episcopi adversus eusebianos, inquiunt (Labbei Tom. II. p. 1287. an. 339.): « Nam probe nostis Amphionem Nicomediae, Chrestum Nicaeae ipsorum loco ob impietatem et communionem cum ariomanitis ab oecumenico Concilio reprobatis, ordinatos fuisse. Hanc vero Synodum delere cupientes, suum injustum Conciliabulum (Tyri) Synodum nucupare student: et illius quidem decreta irrita, sua autem esse rata volunt; et Synodi vocabulo uti audent, qui tantae Synodo non obtemperant. Nihil illi Synodum curant; sed curare se simulant: ut sublatis de medio orthodoxis, quae verae et magnae Synodo contra arianos statuta sunt, faciant irrita. »

Quid ergo ab hoc arianorum et sociorum versutissimo consilio expectandum erat? nisi quod cum fidem nicaenam a sua integritate varimole vitiarint, Canones quoque ab eo sapientissimo consessu elaborati, juxta eorum placitum nonnulli tollerentur prorsus, et alii falsarentur, ac falsati vel mutilati huic inscriberentur Synodo? Et ob hoc Innocentius Papa in litteris ad Clerum constantinopolitanum n. 3. postquam statuit illos solos Canones accipiendos, qui Nicaeae definiti sunt, subdit: « Nam quae ab haereticis sunt excogitata, ea catholicis regulis adjungere non licet: quippe illi per contraria et illicita perpetuo agunt, ut nicaenorum Patrum sententiam labefactent. » [1]

Interim in tam ardua et tanti momenti quaestione, quae summariae hucusque dicta sunt adversus Canonum nicaenorum subtractores vel falsatores, diluantur seorsim. Et primum, beatus Athanasius in Libro II. *De Synodis* n. 5. arianis increpans quod fidei nicaenae restiterint, Patrum distinguit definitionem de fide ab altera de Paschate. De hoc festo scribit: « ἔδοξε τὰ ὑποτεταγμένα decreta sunt, quae sequuntur: tunc enim statutum est, ut omnes morem gererent. De fide vero nequaquam dixere Patres *decretum est,* sed *sic credit Catholica Ecclesia,* ut declararent non recentem sed apostolicam esse suam sententiam, idest non ab illis inven-

[1] Hic autem, ut magis constet quanta fides praebenda sit graecis, qui acta Synodi nicaenae historiae tradiderunt, obiter notetur quod scribit Photius in Libello septem Synodorum oecumenicarum, inquiens: « episcopis nicaenis 318. praefuisse Alexandrum tunc obtinentem sedem *archieraticam* Constantinopoleos. » Attamen in Catalogo episcoporum, qui huic Synodo adstiterunt, nec Alexandri nomen, nec ejusdem notatur praesidentia in Concilio. Labbei Tom. II. p. 748.

ta, sed ab apostolis sancita. Et cum haec ita sint, et si a Patribus Canon praecipuus de die Paschatis celebranda institutus est (et hoc testatur quoque Synodus antiochena) cum tamen hic Canon omnimode desit in catalogo vulgato ab ipsis citato, quem genuinum dicunt et ab authenticis Concilii exemplaribus erutum, undenam probatur talis authentia?

Insuper Eusebius, qui pariter Synodo interfuit in Libro III. *De vita Constantini* c. XVIII. hujus litteras citat ad universas ecclesias; in quibus ait: « Verum, ut summam rei breviter complectar, visum est communi omnium judicio sacratissimum festum Paschatis uno eodemque die esse celebrandum. » Siquis autem postulet, quare hic Canon ab actis nicaenis deinde amotus sit, consulat Chrysostomum in Sermone III. De Paschate: ubi in illos pugnat, qui more judaeorum hoc festum servandum esse arbitrabantur, ostendens eos Patrum nicaenorum obsistere decreto: « Et tu, inquit, istos probro afficis. Vide quid agis, dum tantos Patres condemnas. » Praeterea Socrates Histor. Eccles. Lib. V. c. XX. schismata notans inter arianos et ceteros haereticos, scribit, ab istis statutum esse, *rem indifferentem haberi regulam de hac die* (Paschatis) *servanda institutam.* Et hinc quid mirum, si hoc decretum a nicaenorum Canonum elencho abrasum sit?

Ast non tantum hujus Canonis omissio in catalogo labbeano facit contra praefatorum antistitum sententiam; sed magis eos arguit, ac nostro favet proposito, quod scribit historicus alter Eusebius in c. XIII. praecedenti: ubi initam Patrum concordiam celebrans in his verbis desinit: « Jam vero, quae erant communi omnium sententia decreta, cujusque manu subscripta fuerunt, et in commentariis relata. » Quapropter sequitur, commentarios, quos praetulerunt episcopi africani ceterique, etsi genuina acta Synodi nicaenae obtestarentur continere, non esse ut authenticos accipiendos sed mutilatos. Contra enim ista stant eorumdem Patrum nicaenorum testimonia; quibus ob aetatem animique sinceritatem non est fides deroganda. Ceterum si posteri, dolo aut illusione capi potuerint, non est hoc putandum de illis, qui ut judices ad Synodum convenerant.

Post Eusebii et Athanasii auctoritatem, huic coaevus succedit Ambrosius, qui Romae dogma catholicum edoctus, non aliunde statuta nicaena didicit, nisi ab authenticis hujus Ecclesiae manuscriptis huc allatis a legatis pontificiis, qui Synodo adstiterant. Is interim scribens ad ecclesiam vercellensem (Epistolarum Lib. III. epist. 25.) Apostoli verba *unius uxoris vir* interpretatus, ait: « Diximus quod Legis est: dicamus etiam quod rationis. Sed prius cognoscamus, non solum hoc Apostolum de episcopo et presbytero statuisse, *sed etiam Patres in Concilii nicaeni tractatu addidisse, neque clericum quemquam debere esse, qui secunda conjugia sortitus sit.* » Cum ergo s. Episcopus ex Apostolo statuat, ad episcopatum et presbyteratum promovendum tantummodo, qui unius uxoris

uerit, virum, ac subdat ex Patrum nicaenorum auctoritate, nequaquam clericum quemdam debere esse, qui sortitus sit secunda conjugia, nisi explicite Synodus hoc emisisset decretum, ac nisi Ambrosius hoc ab actis eruisset hujus Concilii, vix ab ipso citatum fuisse putatur. Attamen, quem legit Canonem in genuinis Synodi actis, non multo post ipsius acusationem, evanuit ab exemplaribus in Orientis regionibus vulgatis. Ideoque cum s. Ambrosii codices sinceri habeantur (de quo non videtur dubigendum) jure dubitatur de exemplaribus, quae postea in manus devenerunt antistitum afrorum, in quibus hoc decretum desideratur.

De reliquo quoad hujus Canonis momentum, valde consonat, Patres nicaenos sollicitos in ecclesiasticae disciplinae decore servando, normas praebuisse circa sacro ministerio addictos, variis illorum gradibus considerratis, ita ut praemissis Scripturae apostolicae dictis: *oportet episcopum esse crimine esse....unius uxoris virum,* ea interpretati addiderint, sicuti et Ambrosius, *neque clericum quemquam debere esse, qui secunda conjugia sortitus sit.* Hinc s. Epiphanius adversus Catharos Haer. 69. n. IV. ex ejusdem Pauli epistola inquit: « Siquidem quae Sacerdotio propter singularem functionis illius dignitatem praecipue tributa sunt, ea ad omnes communiter pertinere judicant. Illud quidem audierunt: *episcopum irreprehensibilem esse oportere, unius uxoris virum, continentem:* similiter et diaconum et presbyterum. Ita enim profecto se res habet, ut post Christi in orbem terrarum adventum, eos omnes, qui secundum priores nuptias, mortua uxore, alteri sese nuptiis illigarint, sanctissima Dei disciplina rejiciat: propterea quod incredibilis est Sacerdotii honor et dignitas. Atque istud ipsum sacrosancta Dei Ecclesia cum omni praevisione diligentiaque servat. Quin eum insuper, qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametsi unius vir, nequaquam tamen ad diaconi, presbyteri, episcopi aut hypodiaconi ordinem admittit. Sed eum dumtaxat, qui ab unius uxoris consuetudine se continuerit, aut ea sit orbatus. Quod in illis locis praecipue fit, ubi ecclesiastici Canones accurate servantur, »

Et quinam sunt isti ecclesiastici Canones, nisi qui in oecumenico nicaeno Concilio adprobati sunt? quorum observantia admodum intererat sanctitatis instituti christiani; cujus ministri in se gerebant divini fundatoris personam. Nisi quod cum ejusmodi Apostoli statutum ariani aliique Orientis cum haeretici tum orthodoxi deinde ad solos episcopos referri putarint, ac nullimode ad presbyteros, diaconos ceterosque clericos, quemadmodum Patres nicaeni ex antiqua disciplina decrevere, visum est eis hunc Canonem subtrahere de elencho Synodi.

Quod vero statuit summatim Ambrosius de clericorum coelibatu ex Synodi nicaeni Canone, confirmavit paulo post Innocentius Papa in epistola 3. ad Concilium toletanum (Gallandi Tom. VIII. n. 9. p. 551.); notasque addidit ministerii sanctitati congruas: quas Ecclesia Romana

illius Concilii sicuti et traditionis vestigia secuta, jugiter commendavit, quamvis in Orientis regionibus plerumque neglectae fuerint: « Et licet, ait n. 9. dilectioni vestrae, fratres carissimi, regulae nicaenae sint cognitae, secundum quas ordinationes faciendas esse per sententiam decernitis, tamen aliquam partem, quae de ordinationibus est provisa, inserendam putavi, et secundum hanc ordinationes in posterum celebrandas, ne cui interpretandi aliter liberum arbitrium relinquatur. Ac primum quae sunt prohibita, digeruntur.... Quales vero eligendi sint, in ordine clericorum evidens forma declarat: idest qui ab ineunte aetate baptizati fuerint, et lectorum officio sociati; vel si majores sint, cum fuerint Dei gratiam consecuti, statim se ecclesiasticis ordinibus manciparint, et si uxores habuerint etc. » Et hîc repetit antea a s. Ambrosio exposita ex Apostoli dictis *unius uxoris virum,* ita ut, veluti dixi, unus alteri suffragetur circa hujus Canonis constitutionem a Patribus nicaenis repetendam; etsi frustra hodie quaeratur in elencho labbeano ob praefatas causas. [1]

Cum vero brevitatis causa cetera praetermittam testimonia ex praecedentibus Synodis Neocaesareae Can. I. Ancyrae Can. III. Eliberis Can. XXXIII. ubi eadem praescribuntur de cleri coelibatu, ac postea repetuntur in epistolis Siricii et Innocentii Pontificum, ac valde commendantur, mihi videtur jure concludendum, hunc Canonem furtive subtractum fuisse ab elencho hujus Synodi. Si enim, ut ait s. Basilius in epistola 78. in hoc Concilio post decretum de fide, reliqua satis diligenter determinata sunt, alia ad correctionem noxiorum, alia ad praemunitionem contra ea, quae in futurum suboriri possunt » nihil opportunius ac convenientius quam ab Ecclesia universali sanciri, quod pro quibusdam provinciis antea constitutum erat.

Ceterum, qui supra Canonem III. juxta vulgatum elenchum studiose institerit, mecum conveniat necesse est. In hoc enim Canone statuitur: « Interdixit per omnia magna Synodus non episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui omnino, qui in clero est, licere συνεισάκτον subintroductam habere mulierem, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas, quae omnem suspicionem effugiunt. » Nunc rogo ego: ad quid Patres nicaeni decreverunt, nec episcopo, nec

[1] Hic vero desistam aliud Socratis preferre testimonium de hoc Canone, cum in Libro 1. c. XI. Hist. Eccles. cujusdam de secta Novatiani verba citat, qui ajebat Concilio nicaeno adstitisse: in quo: « visum erat episcopis novam legem in Ecclesia inducere, ut quicumque in sacrum ordinem adlecti essent, idest episcopi, presbyteri, diaconi et subdiaconi, ab uxorum, quas cum laici essent matrimonii jure sibi sociaverant, concubitu abstinerent. » Nisi quod addit, aliis probantibus, obstantibus aliis, singulorum arbitrio rem fuisse remissam, ita ut, si vellent, ab uxorum consuetudine abstinerent. Ego autem arbitror, in hoc Ambrosii et Epiphanii potius auctoritati standum esse quam incerti auctoris documento, de quo critici non immerito dubitant: firmiter tamen, quod quaeritur, se habente, in Synodo nicaena disputatum esse de coelibatu ecclesiastico: quod hodie perperam negatur.

presbytero, nec diacono, nec ulli clericorum licere secum domi introductam habere mulierem, nisi alter praecessisset Canon de coelibatu ab iis servando, qui ministerio sacro vacarent, uti testantur luculenter Ambrosius ceterique? Frustra namque arbitror subsecutum esse Canonem III. nisi prius institueretur alter Canon de coelibatu. Aut secus dicatur: quare legem statuerunt, nec episcopo, nec presbytero etc. licere secum habere domi introductas mulieres ad omnem tollendam suspicionem, si eisdem liceret uxores ducere, filios procreare? Constat igitur Patres nicaenos veteri et apostolicae inhaerentes disciplinae, antea clero coelibatum praescripsisse, ut deinde decernerent quomodo se domi gererent, qui divino ministerio addicerentur animo et corpore sancti.

Item integritati eorumdem Canonum obstat testimonium Bonifacii Papae in litteris ad Hilarium narbonensem (Gallandi Tom. IX. p. 54.) ubi conqueritur, quod Patroclus in locum decedentis episcopi nescioquem in aliena provincia, praetermisso metropolitano, contra Patrum regulas ordinasse. Ac intereà scribit: « Nulli enim videtur incognita constitutio Synodi nicaenae, quae ita praecepit, ut eadem verba ponamus: *per unamquamque provinciam jus metropolitanos singulos habere debere; nec cuiquam duas esse subjectas.* Quod idcirco dicimus, ut advertat caritas tua adeo nos Canonum praecepta servare etc. » Gallandius in notis putat hunc Canonem desumptum esse a Canone IV. nicaeno juxta vulgatum elenchum: ubi dicitur: « Firmitas autem eorum, quae geruntur per unamquamque provinciam, metropolitano tribuatur episcopo »; vel a Canone VI. « Siquis praeter sententiam metropolitae fuerit factus episcopus, hunc magna Synodus definivit episcopum esse non oportere. » Hinc quadam inspecta differentia inter genuina, ut ait Papa, nicaeni Canonis dicta, ab illis quae leguntur hodie in vulgatis editionibus, saltem eruitur, hos fuisse ab originali definitione aliter expositos.

Haud secus Innocentius nos in suspicionem inducit de mutilatione horum Canonum ex litteris ad Rufum et socios n. 10. (Gallandi Tom. VIII. pag. 577.) inquiens: « Sed Canones apud Nicaeam constituti de novatianis fieri proposuerunt. Prius ille Canon a Patribus institutus, ponendus est, ut possimus advertere vel quid vel qualiter sensum sit ab eisdem vel praeceptum. De his, qui nominant se catharos (mundos) et aliquando veniunt ad Ecclesiam Catholicam, placuit sanctae et magnae Synodo, ut accepta manus impositione, sic maneant in clero. » Hinc sequitur n. 11. « Siquis vero de catholicis ad haeresim transiens, aut fidelis ad apostasiam reversus, resipiscens voluerit redire, nunquid eadem ratione poterit ad clerum admitti, cujus commissum non nisi longa poenitentia poterit aboleri? Neque post poenitentiam clericum fieri ipsi Canones sua auctoritate permittunt. » Nunc, si primus Canon genuinus est, ut reapse se habet, quare alter, qui immediate sequitur, citatus ab Innocentio, non numerabitur inter Canones nicaenos, sicuti eum vocat Pontifex? Nihilo-

minus frustra eumdem quaeres in catalogo labbeano. Praeterea circa authenticitatem hujus Canonis Patribus nicaenis inscripti, scito Papam hunc appellasse coram viginti et amplius episcopis macedonibus. Non enim puto, eumdem istis proposuisse Canonem, nec eos illum accepisse, nisi ex certa scientia cognovissent, hoc statutum emanasse a Synodo nicaena.

Post haec ad ea revertamur rite consideranda, quae Innocentius ipse in prima parte paragraphi 9. praefatae epistolae tractavit, verbotenus referens Patrum nicaenorum statutum de illis, qui initiandi erant ad ordinem clericatus, collatis quae Papa citat ex exemplaribus Synodi penes se idest Ecclesiam Romanam custoditis, cum iis, quae in Canone II. nicaeno censentur juxta vulgatum catalogum. En Canonis verba ab exemplari pontificio petita:

« Ne quispiam, qui post baptisma militaverit, ad ordinem debeat clericatus admitti; neque qui causas post acceptum baptisma egerint, aut qui post acceptam gratiam Dei administraverint: neque de curialibus aliquem venire ad ecclesiasticum ordinem posse, qui post baptismum coronati fuerint (ritibus gentilium addicti) vel sacerdotium quod dicitur (profanum) sustinuerint, et editiones (ludorum) publicas celebraverint. Nam et hoc de curialibus est cavendum, ne iidem qui ex curialibus fuerint, aliquando a suis curiis, quod frequenter vidimus accidere, reposcantur. Quae omnia rationabiliter prohibita, oportet modis omnibus custodiri. »

Qui vero citatur in vulgata Labbei editione, ita se habet Canon: « Quoniam plura aut per necessitatem, aut alias, urgentibus hominibus, adversus ecclesiasticum facta sunt Canonem, ut homines ex gentili vita nuper accedentes ad fidem, et instructos brevi tempore, mox ad lavacrum spiritale perducerent, simulque ut baptizati sunt ad episcopatum vel ad presbyterium promoverint, optime placuit, nihil tale de reliquo fieri. Nam et tempore opus est ei, qui catechizatur, et post baptisma probatione plurima. Manifesta enim apostolica Scriptura, quae dicit: *non neophitum, ne in superbiam elatus in judicium incidat et laqueum diaboli.* Si vero processu temporis ψυχικόν τι ἁμάρτημα aliquod delictum animae, (quod idem est ac carnale peccatum) circa personam reperiatur ejusmodi, et a duobus et tribus testibus arguatur, a clero talis abstineat. Siquis autem praeter haec fecerit, quasi contra magnum Concilium se efferens, ipse de clericatus honore periclitabitur. »

Priusquam horum Canonum disquiratur differentia, etsi ad unum et eumdem referantur scopum, ita ut alter (nempe quem citavit Innocentius) acceptetur genuinus et alter falsatus, plurimum interest ejusdem Papae ponderare verba; cum ait a se regulas nicaenas epistolae suae ad litteram insertas fuisse, quamvis illis episcopis notas, *necui interpretandi aliter liberum arbitrium relinquatur.* Et sane ita putans, satis caute egit, sentiens, disciplinae ecclesiasticae hostes et tunc et magis inposterum su-

CAPUT VI.

Canones nicaeni de episcoporum aditu ad Comitatum, de episcoporum et presbyterorum transitu a civitate ad aliam, de fidelium oblationibus sub laicorum dominio non detinendis, de inscribendo in sacris dyptichis episcoporum defunctorum nomine, de poenitentibus morti proximis etc. subtracti vel mutati. Demum omnium nicaenorum Canonum, prout notantur in elencho vulgato, collatio cum Canonibus antiochenis ab eusebianis conditis, et cum Canonibus et Constitutionibus vulgo dictis apostolicis a calamo redactis Sedi apostolicae hostili.

Investigatum pergentibus nobis Canonum nicaenorum discrepantiam ab his, qui in Patrum scriptis citantur, haud secus a praefatis arianorum et sociorum perfidia quam amplissime manifestatur quoque in alterius Canonis nicaeni subtractione, in quo a Patribus sanctissime statutum est, ne episcopi ad Comitatum idest ad aulam imperialem accedant, nisi forte qui religiosi imperatoris litteris vel invitati aut evocati fuerint. Hic Canon, falso inscriptus Synodo sardicensi, emanat a Concilio nicaeno, quemadmodum testatur Zosimus in suis epistolis. Scribens enim ad clerum et presbyteros ravennates, eos excommunicat, « qui, ait, contra Canones (nicaenos) adversus nos ad Comitatum, nescio qua audaci temeritate ire voluere (Labbei Tom. IV. p. 349.). » Praeterea in Commonitorio ad episcopos africanos (de quo superius dictum est) eosdem Canones citans, illum notat de appellationibus ad Sedem apostolicam, alterum, ne ad Comitatum episcopi importune navigent etc. Item s. Ambrosius in litteris ad Theophilum alexandrinum circa contentionem de episcopatu antiocheno, exprobrat Flavianum, qui contra nicaenum decretum et capuanum constitutum, ad precum auxilia, et ad imperialium rescriptorum suffragia remeaverit. Huic Canoni consonat lex Constantini mandantis: « Omnes itaque causae, vel praetorio jure vel civili tractentur, episcoporum sententia terminatae, perpetuo stabilitatis jure firmentur; nec liceat ulterius retractari negotium, quod episcoporum sententia deciderit. » (Sirmondi Tom. I. p. 404.)

Ariani porro eorumque foederati, fide nicaena contempta, postquam se subduxerint a pontificia auctoritate ejusque judicio, veterum Ecclesiae statutorum violatores, alio se verterunt patrocinium quaerentes. Quare Anonymus sub Athanasii nomine in hujus sectae Historia n. 33. inquit: « Arii sectatores reapse non habere regem, nisi Caesarem. Ejus enim auctoritate freti Christi adversarii, quae placent, omnia arbitratu suo perficiunt. »

Sub eodem falsationis tenore nobis objiciuntur Canones XV. et XVI. qui a Patribus jure distincti quoad personas, ad quas spectabant, postea nescio quare, confusi sunt. Ita namque statuitur in Canone XV. « Propter multum tumultum, et seditiones quae fiunt, omnino visum est, ut consuetudo, quae praeter Canonem in nonnullis partibus invenitur, tollatur, ut a civitate in civitatem nec episcopus *nec presbyter, nec diaconus* transeat. Siquis autem post sacrae et magnae Synodi definitionem, tale quippiam aggressus fuerit, vel se dederit hujusmodi rei, quod factum erit, infirmabitur omnino, et ecclesiae restituetur, cui episcopus *vel presbyter, aut diaconus* ordinatus fuerit. »

In Canone XVI. statuitur: « Quicumque temere et inconsiderate nec Dei timorem prae oculis habentes, nec Ecclesiae Canonem scientes, presbyteri vel diaconi vel quicumque omnino in Canone recensentur, ab ecclesiis secesserint, ii in aliena ecclesia nullo modo recipi debeant; sed omnino cogendi sunt in suas ipsorum parochias redire: vel si perseverent, eos a communione separatos esse oportet. Sin autem etiam ausus fuerit quispiam eum, qui ad alium pertinet, surripere, et in ecclesia sua ordinare, non consentiente proprio episcopo, a quo recessit, qui in Canone censetur, irrita sit ordinatio. »

Interim ne dicatur Canon XVI. frustra ibi insertus fuisse, necesse est ut *presbyter et diaconus* amoveantur a Canone XV. praecedente et transferantur ad sequentem sicuti ordo postulat et sensus. Quanto vero jure hoc agendum sit, verba in principio Canonis XV. citata, satisfiant. Ibi enim notantur tumultus et seditiones facile excitandae ob hujusmodi translationes episcoporum: quod vix accidit de presbyteris et diaconis. Quare Synodus nicaena per hunc Canonem sapientissime tales tumultus praevenit. In sequente vero Canone perspicue intelligitur, a Concilio decerni adversus presbyteros et diaconos; qui absque proprii episcopi consensu in alienas parochias (dioeceses) intruduntur. Quare amotis a Canone XV. *presbyteris et diaconis* furtive huc introductis, cuncta in suo ordine continentur.

Hoc autem firmatur a litteris Damasi ad Acholium et alios macedones episcopos n. 4. ubi inquit: « Illud praeterea commoneo dilectionem vestram, ne patiamini, aliquem contra statuta majorum nostrorum de civitate alia ad aliam transduci, et deserere plebem sibi commissam, et ad alium populum per ambitionem transire. Tunc contentiones oriuntur; tunc schismata majora occipiunt; cum et illi qui amiserint sacerdotem, sine dolore animi esse non possunt: et illi qui alterius civitatis acceperint episcopum, etiamsi gaudeant, invidiosum sibi intelligunt fore, sub alieno se agere sacerdote (Coustant p. 538.). »

Cum haec ita sint, nemo dubitat, collatis quidem Damasi dictis cum Canone XV. quin ille citarit sub priorum statutis praefatum Canonem, et quidem genuinum absque intrusione *presbyterorum et diaconorum:* de

quibus non erit illic nec locus nec sermo; et hinc quoque concludatur interpolatio Canonum nicaenorum in elencho labbeano descriptorum.

Inter decreta Damasi Papae, unum reperitur a Synodo nicaena deductum et signatum n. 14. quocum interdicitur, ut nullo modo, ullo unquam tempore, oblationes, quae intra sanctam Ecclesiam offeruntur, sub dominio laicorum detineantur: « Quia, ait, omnibus sanctis Patribus, nostrisque prioribus placuit hanc sanctionem fieri..... Siquis vero contra hanc regulam nostram, et contra regulam ss. 318. Patrum, qui in nicaena Synodo hoc constituerunt, temerarius praesumptor fuerit, et ulterius oblationes de sacris ecclesiis auferre molitus fuerit, sub anathematis vinculo sit colligatus et condemnatus. »

Huic Canoni consonat Constantini imperatoris lex, qui sincerus pietatis cultor et disciplinae ecclesiasticae fidelis custos ob reverentiam erga sacrorum ministros, ac ministerii illorum decorem, plura de hac re, teste Eusebio, decreta ab eo edita sunt. In quibus illud praecipuum in Libro II. de istius Principis vita cc. XXXIX. XL. « Neque enim, statuit, siquis aerarium earum rerum, quas ante posuimus, possideat, firme retinere illi liberum erit. Immo vere contra sacrosanctas ecclesias nihil omnino dicere audeat: et quas res ad tempus per injuriam possederit, eis ecclesiis jure restituat. Omnia igitur, quae recte vereque ad ecclesias pertinere videantur, sive domus, sive agri, sive horti, vel siquae sunt alia ejusdem generis, quae in alicujus possessionem venerint, quo jus nullius, qui ad rem publicam idest ad Ecclesiam spectat, violetur, sed omnia sincera et simplicia maneant, restitui mandamus. » Ac postea subdit: « Quae etiam iniquis de causis ab improbissimis hominibus ablata fuerint, ea, ut aequitas postulat, restitui, sanctisque denuo ecclesiis integra reddi jubemus. »

Hinc merito nicaeni Patres in Synodo oecumenica ac speciali Canone sanxerunt de ecclesiarum oblationibus sub laicorum dominio non detinendis, anathema illis minati, qui secus docuissent ac fecissent.

Item firmatur propositum nostrum ab epistola Cyrilli alexandrini ad Atticum, de Chrysostomi defuncti nomine mysticis tabulis inscripto. Cui Cyrillus respondens ait (Operum Tom. V. par. 2. pag. 204.) se audivisse illius nomen tabulis fuisse inscriptum non laicorum sed episcoporum catalogo: « Porro dispicienti mihi atque in animo cogitanti, an qui hoc fecere, nicaenorum Patrum decreta sequantur; et in magnam illam Synodum aliquantulum intentis luminibus mentis, universum sanctorum illorum Patrum collegium, quibusdam veluti oculis renuere, et omnibus viribus, quominus ad rem eam comprobandam accurram, obsistere videntur.... Si namque illos sartos tectos (Canones) servare atque exauctoratum inter episcopos censere liceret, recte profecto, qui id quominus fieret impedirent, feri atque immites dicerentur. »

Quin hoc in loco perscrutemur, quare Cyrillus obstiterit Chrysosto-

no, cum ceteri omnes suffragarentur tanti viri innocentiae et sanctitati (fortasse quod patrui sui Theophili partes gereret, Joanni infensissimi in Origenistarum causa) nos nostrae inhaerentes thesi, novum hinc acquirimus documentum de mutilatione Canonum nicaenorum. Non enim in elencho vulgato horum Canonum, singulorum textu et sensu diligenter investigatis, nullus reperitur, in quo actum sit de defunctorum episcoporum recitanda memoria in sacris diptychis; nec oblique videtur hoc inde eruendum. Ceterum ex praefatis Cyrilli dictis videretur quidquam a Patribus in ea Synodo statutum esse, quod tamen deinde deletum foret. [1]

Abrahamus ecchellensis in Dissertatione de Concilio nicaeno (Labbei Tom. II. p. 1069.) inquit, Synodum arelatensem II. c. 24. constitutionem emisisse, ex Concilio nicaeno desumptam, de accusatoribus fratrum: « Eos nempe qui falsa fratribus capitula objecisse convicti fuerint, placuit, usque ad exitum non communicare, sicuti magna Synodus ante constituit, nisi digna satisfactione poenituerint. » Auctor Summae Conciliorum addit: « Hic est unus Canon praeter illos viginti ex Synodo nicaena, quos supra recensuimus. »

Interea animadversione dignum est circa hos Canones quod scribit Balsamon de Canone I. Concilii antiocheni: ubi ait legi decretum de die Paschatis celebranda, cum tamen desit hic Canon inter nicaenos: « Hoc decretum in Canonibus Concilii nicaeni non est inventum, sed in actis primae Synodi invenitur. » Quid in his dictis sibi velit Balsamon ignoro. Fortasse putavit, hunc Canonem non inveniri in actis alterius Synodi Nicaeae pariter ab arianis coactae post illam oecumenicam et catholicam, cum in hac prima legi ait? Si ita foret, tunc item dicendum esset de ceteris Canonibus, quos dixi in epistolis pontificiis citari: et nunc desiderari in actis primae Synodi, quippe ab arianis aut sublatos vel falsatos.

De reliquo Binius in notis primae Synodi nicaenae, scribit (Labbei Tom. II. p, 727.) sub Nicaeae nomine plures vocari civitates: « Tertia ex his fuit in Thracia, quae teste Hilario in posthumo Libro *Fragmentorum*, ante Ustodizo nominabatur: in qua ariani sub Constantio imperatore novam fidei formulam, *consubstantialis* nomine omisso, et voce *similis* dolose substituta, ediderunt. Eamque *nicaenam* appellari mandarunt, eo nempe consilio, ut vera et orthodoxa fidei formula tolleretur; aut saltem dubia efficeretur et suspecta. »

Praemissis animadversionibus alia adminicula subeant proposito apta contra integritatem horum Canonum. Ex. g. In Canone I. legitur: Εἴ τις ἐν νόσῳ ὑπὸ ἰατρῶν ἐχειρουργήθη, ἢ ὑπὸ βαρβάρων ἐξετμήθη, οὗτος με-

[1] De hac quaestione, sicui libuerit, conferat Tomum III. Novae Recensionis *in Scripta et doctrinam Origenis* etc. per Aloisium Vincenzi: Romae.

νέτω ἐν τῷ κλήρῳ. Siquis a medicis in morbo excisus sit, vel a baroaris exectus, is maneat in clero. »

Et quis non senserit, dictionem incomptam huic Canoni supervenisse. Ad quam explendam necessario scribendum erat. Siquis *clericus* a medicis in morbo excisus sit vel a barbaris exectus, is in clero maneat. Nihilominus talis lectio fracta occurrit non solum in elencho graeco vulgato sed et in codicibus ab Oriente missis ad Synodum carthaginensem, et qui dicuntur sincerissimi.

Item in Canone XI. de apostatis poenitentibus, in fine legitur. Ὅσοι οὖν γνησίως μεταμέλονται, τρία ἔτη ἐν ἀκροωμένοις ποιήσουσιν οἱ πιστοὶ, καὶ ἑπτά ἔτη ὑποπεσοῦνται. Δύο δὲ ἔτη χωρὶς προσφορᾶς κοινωνήσουσι τῷ λαῷ τῶν προσευχῶν. Quotquot ergo sincere poenitentia ducuntur, tres annos inter auditores facient fideles, et septem annos prosternentur. Duobus autem annis sine oblatione communicabunt populi orationibus. » Item in versione Dionysii Exigui.

Hic Canon graecus sicuti et latinus ex versione dicti Dionysii obscurus, quippe corruptus, emendatur a versione Ruffini, qui ita Canonem interpretatus est: « Et siqui absque tormentis in persecutionibus lapsi sunt; et ex corde agunt poenitentiam, quinque annos inter cathecumenos faciant; et duobus annis post hoc fidelibus tantum in oratione jungantur; et ita postmodum suscipiantur. » Et haec emendatio confirmatur a Canone ancyrano IV. qui de ejusmodi poenitentibus statuit: « Visum est, eos anno audire; tribus autem annis substerni ac supplices esse; soli autem orationi duobus annis communicare (fidelibus); et tunc ad id, quod est perfectum, accedere. »

Similiter in Canone XIII. statuitur: « περὶ δὲ τῶν ἐξοδευόντων ὁ παλαιὸς καὶ κανονικὸς νόμος φυλάχθήσεται καὶ νῦν. De his, qui excedunt, antiqua et canonica lex custodiatur etiam nunc; adeo ut siquis vita excedat, ultimo et maxime necessario viatico non privetur. Si autem ἀπογνωσθεὶς deploratus et communionem assecutus, rursus in vivos relatus sit, cum iis, qui orationis solius participes sunt, adsit. In summa autem de quolibet excedente et Eucharistiae participationem petente, cum examinatione episcopus impertiat. » Item ex versione Dionysii et amplius ex Codice graeco, qui dicitur missus a Cyrillo et Attico ad Synodum carthaginensem.

Interim quidvis obscurum vel mancum occurrit in hoc Canone ex veterum transcriptorum graecorum incuria contra praesumptas Patrum afrorum obtestationes, qui horum Canonum propugnabant integritatem, tollitur a versione Ruffini: in qua perspicue patet Canonis sensus per additionem vocabuli *poenitentibus* a graecis codicibus surrepti. Sic enim legit Ruffinus: « De his vero, qui vita excedunt, poenitentibus, decernunt, vacuum nullum debere dimitti. Siquis vero, accepta communione, supervixerit, debere eum statuta tempora complere, vel certe prout mo-

derari episcopus voluerit. » Item in versione arabica notatur: « Quicumque vicinus morti est, dum inter poenitentes recensetur, tuncque offerre cupit; ne ab eo prohibeatur, cum ad desperatum statum adductus est etc.

Postquam vero plura expendimus de Canonum nicaenorum subtractionibus et falsationibus hîc illic amanuensium perfidia repetendis, ac praesertim in iis, quae spectant ad jura Sedis apostolicae, non mihi videtur absonum, si eaedem animadversiones referantur supra Constitutiones vulgo dictas apostolicas, et supra Canones eisdem apostolis inscriptos.

Quamvis vero multa in eisdem, maxime quae ad antiquam Ecclesiae disciplinam pertinent, commendanda sint: nihilominus non desunt hinc inde suspicandi argumenta, utrumque Collectorem dogmati catholico contraire, ubi potissimum agitur de Antistitis Romani privilegiis deque supra totius orbis episcopatum jurisdictione; de qua nullibi apparet indicium nec inter Canones, nec inter Constitutiones: etsi circumstantiae ibi notatae hoc postularent. Ac reapse, si conferantur, qui dicuntur Canones apostolici cum Canonibus Concilii antiocheni ab arianis et eusebianis adunati citra consensum Pontificis et adversus fidem nicaenam, statim percipietur convenientia, adeo ut dicatur unus ab altero mutuatus esse hos Canones.

Ex. g. In Canone apostolorum XXXV. decernitur: « Episcopos gentium singularum scire convenit, quis inter eos primus habeatur: quem velut caput existiment; et nihil amplius praeter ejus conscientiam gerant, quam illa sola singuli, quae parochiae propriae et villis, quae sub ea sunt, competunt. Sed nec ille praeter omnium conscientiam faciat aliquid (in eorum parochiis). Sic enim unanimitas erit: et glorificabitur Deus per Christum in Spiritu Sancto. »

Hic Canon respondet adamussim antiocheno IX. cujus tenor talis est: « Episcopos, qui sunt in unaquaque provincia, scire oportet, qui praeest metropoli, etiam curam suscipere totius provinciae, eo quod in metropolim undequaque concurrunt omnes, qui habent negotia. Unde visum est, eum quoque praecedere: reliquos autem episcopos nihil magni momenti aggredi sine ipso, ut vult, qui ab initio obtinuit, Patrum Canon, vel sola, quae ad uniuscujusque parochiam conferunt, et regiones, quae ei subsunt. Unumquemque enim episcopum habere suae parochiae potestatem, et administrare pro unicuique conveniente religione; et totius regionis curam gerere, quae suae urbi subest: ut etiam ordinent presbyteros, diaconos: et unaquaeque cum judicio tractent; et nihil ultra facere aggrediantur sine metropolis episcopo: neque ipsi sine reliquorum sententia. »[1]

[1] Interim proposito facit quod s. Gregorius in epistola 8. Lib. IX. ad episcopos Sardiniae scribit: « Hortamur ergo fraternitatem vestram, ut antiquam ecclesiarum vestrarum consuetudinem exequentes, tam de suscipienda paschali denuntiatione, quam etiam si quempiam vestrum pro causis propriis ubicumque compulerit ambulare necessitas, ab eodem metropolita vestro secundum indictam vobis regulam petere debeatis, nec eum

Conserto itaque utroque Canone, nulla cernitur discrepantia Canonis apostolici ab altero in Synodo antiochena ab arianis subscripto. Et non solum in hoc Canone, sed et in ceteris hujus Concilii statutis cernitur convenientia cum praesumptis apostolorum Canonibus. Decem enim et novem Canones antiocheni citantur inter Canones apostolicos, fere eumdem praeferentes sensum. Dubitatur vero, an Canones apostolici dicti, vel potius antiocheni in primo loco collocandi sint.

Sed hoc parum interest. Interest vero ea repetere quae duo Canones nicaeni a Zosimo Papa citati statuunt, unus de appellationibus ad Episcopum Romanum in causis majoribus inter episcopos et episcopos, et alter de interpellationibus ad episcopos provinciae in causis minoribus inter episcopum et clericos ejusdem dioecesis. Quorum primus, jam diximus, surreptus fuit ab elencho: nec ullimode citatus est, nec consideratus in tanto Canonum numero apostolis inscriptorum. Alter vero de causis minoribus, qui dicitur V. mansit: super quem instructa est deinde norma cujusque generis appellationis penes episcopos provinciae extra conscientiam Sedis apostolicae. « Bis in anno (statuit Canon apostolicus 36. vel 38.) fiet episcoporum Synodus: et inter se examinent dogmata Religionis, et incidentes ecclesiasticas controversias componant. »

Interea vero non inficiar, hos apostolicos Canones ab orientalibus acceptos esse, et ex parte admissos ab Ecclesia Romana, ut scribit Urbanus II. in epistola ad Juventum. Attamen nunquam conveniam cum iis, qui putant, et eas, quae dicuntur Constitutiones apostolicae (Opus apocryphum et pseudepigraphum ab apostolis non profectum, ut ait Cotelerius) sed et Canones apostolorum esse Clementi Papae I. adscribendos, sicuti falso legitur in antiquis codicibus, praesertim ob horum concordiam cum Canonibus antiochenis.

Potissimum autem argumentum, quod inter alia nobis suadet, consistit in perpetuo silentio, quod undique servatur in utraque Collectione horum Canonum circa personam Episcopi Romani, ejusque jurisdictionem supra totam Ecclesiam, ac cunctos orbis christiani antistites; adeo ut quaevis quaestiones sive de fide, sive de moribus, aut de disciplina, ubicumque promotae, ad hanc Petri Sedem referendae forent: quemadmodum ab initio usque modo incessanti Patrum testimonio comprobatum est.

Et cum ita sit, undenam hoc silentium ex apostolorum parte in ho-

postponere in aliquo praesumatis; excepto si, quod non optamus, contra eumdem metropolitam vestrum habere vos aliquid causae contingat, ut ob hoc Sedis apostolicae judicium, ii qui petere festinant, licentiam habeant: quod scitis per Canones etiam antiquorum Patrum institutione permissum. » Idcirco illusi sunt eusebiani cum in Synodo de episcoporum et metropolitarum privilegiis decernentes, exclusa appellatione ad Sedem apostolicam, talem perperam vocarint *Patrum Canonem*, cum ex adverso s. Gregorius Patrum Canonem nuncuparit, per quem liceret episcopis a metropolitae sententia appellare ad Antistitem Romanum secundum avitam traditionem.

rum Canonum constitutione relate ad beati Petri principatum supra ceteros apostolos, qui auctores existimantur praefatorum Canonum? Et cur Dominus ait Petro: *pasces oves meas*, idest episcopos, si isti in singulis provinciis separatim sibi arrogarunt jus, inconsulto apostolorum capite, discutiendi, judicandi cuncta sacra negotia, sive magna sive parva, quin appellarent unquam ad supremum illius judicium? Fortasse in Actis legitur convenisse apostolos, quin inter eos adstaret Petrus? Forsitan in eorum Concilio proposita quaestione, apostoli disputarunt, et Petrus illorum caput siluit? Nequaquam. Vix enim convenerunt apostoli, Petrus in medio eorum surgens locutus est, et ceteri illius dictis attendentes acquieverunt. Et cum Antiochiae promota quaestione, num graeci, fidem professi, Legi mosaicae subdendi forent, disputantibus presbyteris cum Paulo et Barnaba, nunquid a Paulo definita quaestio est, quin Hierosolymam adirent, ubi facto conventu, Petrus in medio fratrum pronunciavit quid agendum esset de graecis, qui credideranf?

Praeterea Clemens Papa I. cui apostolorum inscribuntur sive Canones sive Constitutiones, a quibus Episcopi Romani excluditur concursus in cunctis Ecclesiae negotiis, nonne, quod in illis decretum est, reapse per se vel per alios explevit? Nobis adstat ipsius epistola ad corinthiorum ecclesiam, ceu responsum alterius, quam ab illis acceperat de seditionibus in eorum clero excitatis. Ac insuper in eadem notantur quatuor presbyteri illuc legati ab eodem Pontifice ut paci consulerent. Ac interea Clemens sua auctoritate, ut supremus judex, supra episcopos ecclesiarum, decernit, non esse dejiciendos ab officio sacro et ab episcopatu removendos, qui citra querelam et sancte offerunt dona etc. ita functus munere Pontificis oecumenici uti Petri successor; et ad quem ideo a regione longinqua confugerat corinthiorum clerus.

His positis, qua auctoritate Episcopus Romanus Clemens, non esse eos ab episcopatu amovendos statuit, si juxta Canones apostolicos a se redactos, hujumodi quaestiones ad metropolitam, seu ad Synodum provinciae referendae erant; et a qua non erat amplius appellandum? Novissime, ne Cotelerii nec aliorum criticorum judicium repetam, qui argumentis satis firmis suffulti, nec apostolis, nec Clementi Papae, nec ullis e suis successoribus hos adscripserunt Canones sive Constitutiones, ceteroquin nemo obstupescet, si praefatos Canones et Costitutiones apostolicas inscripserim cujusdam schismatici perfidiae haud ab ignorantia sejunctae. In c. enim XI. Libri II. harum Constitutionum absolute vocat episcopum Dei exemplar: eumque dicit omnibus praesidere sacerdotibus, regibus, magistratibus, parentibus, filiis et cunctis subjectis. Et in c. XXV. sumpto exemplo ab institutione mosaica, principes sacerdotum, sacerdotes et levitas comparat episcopis, presbyteris et diaconis Ecclesiae christianae, praeteriens Pontificis magni dignitatem in Lege mosaica sicuti alterius in Lege evangelica (amplissimis notis distinctam de utra-

que monarchia) utriusque supremo posthabito Pontificatu supra hebraeorum et christianorum gentem, eorumque sacerdotes et episcopos, donec in c. XXVI. addit:

« Qui episcopus est, hic est minister verbi, scientiae custos, mediator Dei et vestrum in iis, quae ad colendum eum pertinent. Hic est magister pietatis ac religionis: hic est secundum Deum pater vester, qui vos per aquam et Spiritum Sanctum in adoptionem regeneravit: hic princeps et dux vester; hic rex vester et praefectus: hic post Deum terrenus Deus, qui honore vestro frui debet.... Episcopus igitur vobis praesideat, et dignitate Dei cohonestatus, qui clerum sub potestate sua tenet et toto populo praeest. » Praeterea in c. XXIX. audet comparare Aaronis dignitatem excellentiae episcoporum. Ac ideo in c. XXXV. mandat: « Cave tamen ne episcopum ad rationes voces, neque dispensationem illius observes, quomodo eam gerat, aut quando, aut qualis, aut ubi, utrum bene aut secus. Habet enim ipse ratiocinatorem Deum, qui hanc illi procurationem in manus tradidit: qui ei Sacerdotium tantae dignitatis mandare voluit. »

Et si tanta est dignitas episcopi et auctoritas, ut nemini liceat ab eo rationem petere dispensationis suae, cum ipse habeat Deum solum ratiocinatorem, qui ei commisit Sacerdotium, ad quid Christus Jesus Simonem constituit Petram aedificii Ecclesiae suae, adversus quam portae inferi non praevaluissent; eique tradidit claves regni coelorum? Et ad quid Patres primaevi graeci et latini Petrum suosque successores vocarunt Pastorem pastorum, Episcopum episcoporum, ad quem omnia referenda erant totius orbis episcopatus negotia?

Quare concludam non orthodoxum, nec multo minus apostolicum sed contra apostolos sive schismaticum in hac compilatione subrepisse calamum: sicuti tantumdem factum esse ostendimus in elencho Canonum nicaenorum, ac tali praecipue intuitu ut universalem Sedis apostolicae jurisdictionem dejiceret, et hinc metropolitarum et patriarcharum erigeret cathedras adversus Cathedram principalem, extra Ecclesiae Catholicae unitatem, et extra Petri apostoli fundamentum, sicuti hodie videre est quam maxime in miseranda ecclesiarum orientalium et occidentalium conditione.

CAPUT VII.

Canones vulgo, falso tamen, Synodo sardicensi inscriptos, nicaenorum Canonum commentarium haberi, in Africa ab episcopis orthodoxis latine elaboratum probatur. Et hoc adversus praeposteram Centuriatorum sententiam.

Plura argumenta me valde impellunt ad hanc amplectendam opinionem. Primum ab historia hujus Concilii petitum, a s. Athanasio genuine descripta, ubi nullum horum Canonum vestigium. Secundum a summorum Pontificum et Patrum maxime graecorum silentio circa hos Canones sub titulo sardicorum citatos, et ex adverso sub nicaenorum nomine ingenue nuncupatos usque ad seculum septimum. Tertium a latino horum Canonum originali textu et a Dionysio Exiguo citato in sua Conciliorum Collectione. Quartum a notis petitum hinc inde Canonibus insertis, quae africanum horum transcriptorem et interpretem (tametsi orthodoxum) latinum potius quam graecum auctorem indicant. Quintum, ab intrusione Grati carthaginensis episcopi, qui absens inter Patres Synodo adsistentes computatur.

Et quoad primum, Athanasius in Apologia adversus arianos, dum ait se sardicae Synodo adstitisse, cuncta sedulo enumerans, quae tunc gesta et statuta sunt a Patribus, omnino transegit super hos Canones: quod tamen non videbatur transigendum. Et reapse n. 48. sardicenses Patres, Athanasii et sociorum agnita et comprobata innocentia, et hinc calumniatoribus condemnatis, scripserunt ad omnes ubique terrarum episcopos, et ad singulas eorum paroecias, qui injuriam passi sunt, his verbis: *Etiam vestrae pietatis,* in cujus fine n. 49. concludunt: « Et cavete fratres dilecti, ne litteras vel ad illos scribatis, vel ab eis accipiatis. Quin potius studete fratres et comministri, ut spiritu nostrae Synodo praesentes, suffragium vestrum per vestram subscriptionem ipsi adjuvetis; ut ab omnibus ubique comministris nostris concordia servetur. Divina providentia vos sanctificatos et laetos custodiat, dilecti fratres.

« Hosius episcopus (immediate subdit Athanasius) subscripsit, et sic omnes. Cum haec scripsisset Synodus sardica, misit ad illos, quibus accedendi non erat facultas. Qui et ipsi suffragiis suis decreta Synodi adprobarunt. Eorum autem, qui in Synodo scripserunt, et aliorum episcoporum nomina, haec sunt. » Quibus enumeratis, expliciunt acta Synodi cum proclamatione innocentiae Athanasii et sociorum; de quibus versabatur summa disceptationis; et propter quod adunata fuit Synodus: quin verbum fieret de Canonibus, qui titulo sardicorum vocantur. Nec in hoc

loco, nec alibi s. Doctor horum meminit Canonum; nec ipse, neque alii, qui gesta hujus Synodi posteritati tradidere. In quibus notandi sunt Socrates in Libro I. Hist. Eccles. cc. XX. et XXI. et Sozomenes Libro III. c. XII. Qui ait, cunctis exactis in Synodo de controversia Athanasii, litteras dedisse Patres ad episcopos absentes, ut res a seipsis judicatas, suffragio suo comprobarent. Post haec soluto Concilio ad suam unusquisque ecclesiam reversi sunt. »

Huic autem silentio suffragantur quoque epistolae pontificiae et Patrum scripta, qui huic Synodo sardicae proxime successerunt, et quibus conducebat aliquando ea innovare statuta adversus disciplinae ecclesiasticae violatores. S. Ambrosius in epistola ad Theophilum alexandrinum, Canones citans de appellationum ordine, Synodum nicaenam advocat et capuensem. De Concilii vero sardicensis statutis, quae ceteris praemittenda videbantur, ne verbum quidem.

Item Damasus et Siricius quaestionibus episcoporum respondentes, quarum summa Canonibus sardicis includebatur, decreta quidem nicaena retulerunt, praetermissis sardicis. Innocentius porro in epistola XVIII. ad Alexandrum antiochenum de ordinationum abusu, inquit hoc factum esse in contemptum Canonum non sardicorum sed nicaenorum. Idemque Innocentius hortatur Theophilum, ut sistat se Concilio: ubi, invocatis Synodi nicaenae statutis, justum statuatur judicium. Insuper Innocentius, quamvis explicite citet Canonem, qui nunc sardicensis dicitur, nihilominus titulum *sardicensis* omittit, ceu tunc incognitum, alterum, et sane genuinum, titulum *nicaenum* substituens.

S. Augustinus in epistola 44. ad Eleusium n. 6. indicavit, se nihil eousque audivisse de Synodi sardicae Canonibus. Hinc Gallandius in notis (Tom. IX. p. 19.) inquit: « inter tot ac tantos praesules, qui in Africa tunc, idest Zosimi aetate florebant, nullum extitisse, qui sardicenses Canones nosset. Eo magis est mirum, quod Gratus carthaginensis episcopus huic interfuerit Concilio; ejusque auctoritatem in Synodo I. carthaginensi c. V. commendarit. »

Zosimus et Bonifacius Ecclesiae universae observantiam erga Petri successorem commendantes, hanc priscorum auctoritate munientes, videbantur potius Canones sardicos quam nicaenos appellare debuisse: attamen, omisso sardico, nicaenum Canonem praetulerunt. Eaque propter praefatus Gallandius in notis appositis Commonitorio Zosimi Papae (Tom. IX. p. 18.) ubi ait: *Ita enim dixerunt, dilectissimi fratres, in Concilio nicaeno,* hoc est (subdit Gallandius) sardicensi: cujus Canones etiam num in veteribus codicibus morbacensi, fossatensi, et colbertino, nicaeni Concilii titulo insignitos seu nicaenos sub continuatione numerorum serie proxime subjectos legimus. » De qua re conferantur, quae Petrus Coustantius scripsit in Praefatione epistolarum n. 70. 77. ubi plures admodum vetustos codices citat, Canones sardicenses praeferentes sub ni-

disputabant in Synodo. Insuper Synodus non propter latinos, sed propter graecos adunata fuit Athanasii hostes in Asia sitos et in Aegypto. Eaque propter Athanasius ipse, qui Concilio adstitit, synodales epistolas citat graece scriptas. Vel saltem, si latine pro latinis editi sunt Canones, quare pro graecis non factum est similiter?

Inquit Athanasius in citata Apologia n. 49. 50. Synodum sardicensem rescriptum misisse ad illos, quibus accedendi non erat facultas. Qui et ipsi suffragiis suis decreta Synodi adprobarunt. Eorum autem qui Concilio adstitere, et aliorum episcoporum absentium nomina haec sunt etc. » Insuper Patres in epistola ad presbyteros et diaconos ecclesiae alexandrinae, ex propriis regionibus nuncupantur romani, hispani, galli, itali, campani, calabri, africani, sardi, pannonii, mysii, dacii, norici, sciscii, dardani, macedones, thessali, achivi, thracii, rhodopeji, palaestini, arabes, cretae et aegyptii. Idcirco si latini cum graecis in urbe graeca adunati, Synodo adstitere, et si definitio synodalis missa est ad latinos et graecos, inferendum esset ejusdem decreta lati ne et graece edita fuisse. Nihilominus hucusque non constat, Canones sardicenses graece editos fuisse et ita servari. Qui enim citantur a Zonara et Balsamona ex latinis codicibus eruti, in graecum fuisse ab illis versos sicuti et africanos liquet.

Ceterum celebratus Dionysius absolute scribit, Canones sardicenses latine editos esse. Hinc Hieronymus De Prato in notis Libri II. Histor. sacrae Sulpicii Severi n. 40. Epitomem citat Canonum ab Adriano Papa circa an. 774. oblatam Carolo Magno. In Praefatione horum Canonum legitur: « Sunt etiam viginti regulae, quae per Osium cordubensem episcopum currunt: quae titulantur tanquam sexaginta episcoporum apud Sardicam. Quae tamen non apud graecos, sed magis apud latinos inveniuntur. »

Ex quibus praemissis jure suspicandum est, praefatos Canones, sardicensium titulo decoratos, sicuti nunc habentur, ab alio quam ex hujus urbis Synodo manasse fonte; atque editos valde post hujus Synodi aetatem. Ac reapse in nonnullis satis antiquis Collectionibus Canones isti succedunt Canonibus chalcedonensibus: cui suffragatur amplissime Patrum et Pontificum silentium, qui, uti dictum est, Canones sardicos praeterierunt in suis scriptis.

Quartum argumentum, unde hos Canones liquet ab episcopis africanis duxisse originem, colligitur a quibusdam dicendi formulis, quibus iidem Canones aut in principio, aut in medio, vel in fine contexuntur. Ex gr. *Osius episcopus dixit. Prudentia vestra tractare debet. Si vobis placet. Universi dixerunt, placet et constituatur. Synodus respondit, placet. Osius dixit: quod me adhuc movet, reticere non debeo. Universi dixerunt, hoc honestum esse et placere constitutionem. Olympius episcopus dixit. Osius dixit, suggerente fratre nostro et coepiscopo nostro Olympio.*

huc movet reticere non debeo » Et haec omittuntur a Zosimo. Item in fine quidem Canonis post vocabulum *emendetur*, in Canone sardico statim sequitur: « Tamen priusquam omnia diligenter et fideliter fuerint examinata, cum, qui fuerit a communione separatus, nullus alius debet praesumere ut recipiat et communioni societ. Qui autem convenerint ad audiendum, si clericorum viderint esse studium et superbiam, quia non decet ut episcopus aut injuriam aut contumeliam patiatur, austerioribus eos verbis castigent, ut obediant honesta praecipienti episcopo. Quia ut ille sincerum amorem debet clericis exhibere caritatis; ita quoque vicissim ministri infucata debent episcopo exhibere obsequia. » Et haec pariter desunt in Commonitorio Zosimi, sicuti in epistola Synodi africanae ad Bonifacium, ubi iidem citantur Canones [1].

Alterum nec quidem spernendum pro nostra thesi argumentum, quo probatur Patres sardicos nullos instituisse Canones, nobis exhibetur non solum ab eorumdem Canonum forma, uti dictum est, sed et a personis, quae Concilio adstantes disputasse dicuntur: quas tamen Athanasius ait non adstitisse Synodo, sed tantummodo postea acta synodalia comprobasse, ad illas missis ejusdem statutis. In his primus citatur Olympius, qui in Canone XXI. juxta catalogum Dionysii introducitur inter Patres Synodo adstantes: « Osius episcopus dixit: suggerente fratre et coepiscopo nostro Olympio, etiam hoc placuit etc. » Nihilominus in Catalogo Athanasii nec inter absentes nec inter praesentes numeratur. Serius vero memoratur in Apologia Contra Arianos. Item Gratus carthaginensis nuncupatur inter Patres Synodo praesentes, quem tamen Athanasius inter absentes fuisse testatur.

Et ob hoc Fratres Ballerini in Catalogo Patrum sardicensium (Labbei Tom. III. p. 43.) expendentes horum Patrum numerum, de quo non conveniebant veteres, inter cetera ajunt: « Quin et ex Apologia s. Athanasii Contra arianos n. 49. 50. non ambigue deducitur, episcopos extitisse plures, quam, qui Concilio non interfuerunt; quos tamen, Canonibus (sic) ad se transmissis, subscripsisse. Addit enim Athanasius: « *Hoc suum rescriptum sardicensis Synodus ad illos misit, quibus accedendi facultas non esset: et qui ipsi suffragiis suis decreta Synodi adprobarunt. Eorum*

[1] Circa additionem huic Canoni nicaeno ab Auctore Canonum sardicensium exactam ita ut iste quasi interpres reputetur Canonum nicaenorum, apud Labbeum Tom. II. p. [illegible] 21. in notis legitur: « In dionysiana Collectione annorum amplius 800. existente in Bibliotheca Collegii parisiensis Soc. Jesu, titulus hic est: Canon nicaenus, sive sardicensis, qui [illegible] in graeco non habetur: expositus est ab episcopis 22. Alter Codex habet: ab episcopis [illegible] XX. Harduinus. Interpretationem tum Dionysii tum Isidori nuncupamus, quoniam incert[illegible] est, utra lectio primigenia sit quantum a latino ubique discrepat graecus contextus: qu[illegible] quem Dionysius Egiguus admonuit non esse authenticum, per se intelligent eruditi, vel p[illegible] erdiscent ex Commentariis Zonarae et Balsamonis, qui hunc primi ediderunt. Harduinus, a quo etc. » Hinc magis invalescit opinio Canones, sardicenses vulgo nuncupatos, glossam latinam continere sero in Africa elaboratam juxta illius ecclesiae methodum.

autem, qui in Synodo subscripserunt, et ceterorum aliorum ista sunt nomina. Tum dat nomina nuda episcoporum, qui Concilio praesentes aderant: et continuo subjicit nomina, sedes, et provincias eorum, qui absentes subscripserunt. Ex his simul omnibus numerus 284. confici potest. »

Deinde notatis quinque documentis, unde Fratres Ballerini nomina excerpsissent adstantium Synodo: « alia duo, subdunt, in eisdem omissa adjicienda sunt: nimirum Grati carthaginensis et Euphratae agrippinensis nomina. Gratum adstitisse Synodo sardicensi satis aperte colligitur ex graeco textu Canonis VII. et multo magis ex Canone V. Concilii carthaginensis sub eodem Grato. Athanasius vero in secunda serie recenset inter eos a Concilio absentes. » Collatis itaque quae et Athanasius testis authenticus de Grati absentia a Synodo, cum praemissis discussionibus de hac Synodo, quibus statuimus, nullos ibi statutos Canones fuisse, illusio patefiet Ballerinorum, qui neglecta Athanasii auctoritate de Grati absentia a Synodo, super falsa documenta erexerunt opinionem, Gratum huic Synodo adfuisse. Et hinc magis ac magis invalescit thesis de horum Canonum intrusione inter acta sardicensia.

Praeterea ex his praemissis imminuitur auctoritas Concilii carthaginensis: quod sub eodem Grato dicitur, quod non probatur, adunatum circa an. 348. (Labbei Tom. III. p. 151.) et in quo citatur Canon V. sardicensis. Ideoque circa hujus Concilii acta et auctoritatem haec sapientum judicio subjicienda arbitror. Et primum Praefationis tenor, qui ejusmodi est: « Gratias Deo omnipotenti, ait Gratus in Concilio, et Christo Jesu, qui dedit nobis mali schismatis finem; et respexit Ecclesiam suam, ut in ejus gremium erigeret universa membra dispersa: qui imperavit Constantino imperatori ut votum gereret unitatis; et mitteret ministros operis sancti famulos Dei Paulum et Macarium etc. »

De hac Synodo aliter cum Augustino scripsit Optatus milevitanus in Libro III. inquiens « a Constante imperatore missum Macarium una cum Paulo tum ut eleemosynas erogaret in pauperes, tum ut singulos ad unitatem catholicam cohortaretur. Cui episcopi donatistae, in primis Donatus carthaginensis, et Donatus bagajensis vehementer obstiterunt: quin et in eum concitarunt Circumcellionum furorem, ita ut in hoc frustra laborarent catholici. » Unde ergo finis hujus schismatis, uti praetendit Gratus et ceteri cum eo in Synodo? Et quomodo stabit haec concordia donatistarum cum catholicis, cum in Sermone 2. *De pace,* idem Augustinus ostendens quanta sollicitudine affectus sit pro donatistarum reconciliatione, sequitur: « Et tamen adhuc post apostolicas voces, post Ecclesiae declarationem et toto mundo dilatationem, dicitur mihi: non dimitto Donatum, non dimitto nescioquem, Cajum, Lucium, Parmenianum, mille scissuras? »

Nemo porro adversus hanc thesim pugnans illudatur, confugiens ad acta Concilii carthaginensis nomine VI. ordine temporum quinto, aetate

Zosimi, Bonifacii et Caelestini in decem capitulis divisa (Labbei Tom. IV. p. 401.). In c. VI. dicitur: « Novatus episcopus legatus Mauritaniae sitiphensis dixit: nunc meminimus in hoc praesenti Commonitorio lecto, etiam de presbyteris sive diaconibus contineri, qualiter ab episcopis suis vel finitimis audiri debeant: quod in nicaeno Concilio minime legimus. Unde hoc ipsum jubeat sanctitas vestra nobis recitari. Aurelius episcopus dixit. Recitetur ad locum etiam hoc, quod deposcitur. Daniel notarius recitavit. De appellationibus autem clericorum, idest minoris loci, est ipsius Synodi (nicaenae) certa responsio. De qua re quid acturi sitis, credimus inserendum, quod taliter dictum est ex sardicensi Concilio. Osius episcopus dixit. Quod me adhuc moveat, reticere non debeo. Si episcopus quis forte iracundus etc. »

Hinc pariter probatur intrusio Concilii sardicensis, quod abest a Commonitorio; uti et animadversiones episcoporum afrorum de eodem Commonitorio in epistola ad Episcopum Romanum menti contradicunt eorumdem antistitum. Ac primum, in Commonitorio Pontificis sicuti in litteris ad eumdem, citantur et expenduntur Canones nicaeni circa appellationes, aliis negantibus, affirmantibus aliis inter hos Canones statui jus et ordinem appellationis ad Sedem apostolicam: nequaquam vero quaeritur de Synodi sardicae Canonibus; quorum nullibi in ea controversia mentio occurrit. Daniel coram Patribus africanis citat Canones nicaenos de appellationibus clericorum ad episcopos: ac ideo ait de his appellationibus Synodum nicaenam responsum certum praebere, non vero sardicam, quam antea nunquam citavit. De Canonibus nicaenis disputabatur, non de sardicis.

Hoc autem firmatur ab antiquo graeco Codice Canonum ecclesiae africanae citato in collectione labbeana (Tom. III. p. 699.), ubi eadem inseruntur capitula sine additione *sardicensis Synodi*, in textum praeter Patrum afrorum mentem introducta.

Quoad autem animadversiones Synodo africanae insertas, ubi c. VI dicitur: « Novatus episcopus dixit: nunc meminimus in hoc praesenti Commonitorio lecto, etiam de presbyteris sive diaconibus contineri, qualiter ab episcopis suis vel finitimis audiri debeant (Tom. IV. p. 405. quod in nicaeno Concilio minime legimus etc. » id falsum esse probatur et explicite opponitur alteri declarationi Patrum in epistola ad Caelestinum, ubi fatentur in Synodo nicaena actum esse de appellationibus clericorum ad episcopos suos vel finitimos. Ita namque ad Pontifice scribunt antistites afri: « Praefato itaque (Labbei Tom. IV. p. 515.) debitae salutationis officio impendio deprecamur, ut deinde ad vestras aures hinc venientes, non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos ad communionem ultra velitis excipere: quia hoc etiam nicaeno Concilio definitum facile advertet venerabilitas tua. Nam et si de inferioribus clericis vel laicis videtur ibi praecaveri; quanto magis hoc de episcopis voluit observari, ne in sua provincia communione suspensi, a

Sanctitate vel festinato, vel praepropere, vel indebite videantur communioni restitui etc. »

Ac reapse Canon V. nicaenus, sicuti legitur in elencho labbeano agit de appellationibus clericorum, idest presbyterorum, diaconorum; qui ab episcopis suis excommunicati, ad antistites finitimos appellarunt, ut renovaretur judicium, sicuti statuerunt africani scribentes ad Caelestinum.

Quapropter concluditur, posteros afri Concilii transcriptores, alia arbitrario addidisse, atque alia interpretatos esse contra synodalium Patrum mentem. Quod manifeste cernitur, collatis hujus Synodi actis, quater in Collectione labbeana repetitis ac varimode enarratis. Verumtamen de actis commentitiis hujus Synodi V. vel VI. carthaginensis a calamo schismatico elaboratis, alibi accuratius disputabitur.

Ac praeterea circa praesumptorum sardicensium Canonum originem ac aetatem, aliter quam hucusque putatum est, difficultates dubiaque evanescent; quibus Severinus Binius laboravit, adeo ut in hujus Concilii notis scriberet (Labbei Tom. III. p. 80.): « Canonum sardicensium jactura, excidio, vel occultatione contigisse oportuit, ut quantumvis sardicensi Concilio Gratus carthaginensis episcopus cum aliis triginta quinque africanis interfuerit, quidve in eo definitum sit, africana ecclesia tempore carthaginensis I. ut constat ex Canone V. hujus primi Concilii, non ignoraverit; attamen ejusdem ecclesiae posteri et successores episcopi tempore Zosimi et Bonifacii Pontificum, utrumque Concilium, nempe carthaginense I. et sardicense, extra culpam ignoraverint. Si enim eo tempore praedicta Concilia extitissent, illa gravissima controversia de appellatione cum periculo schismatis exorta, aut facile componi potuisset, aut nunquam exorta fuisset. »

Utique, neque, ut putat Binius, Zosimus et Bonifacius ignorarunt Canonum sardicensium existentiam, quasi antiquioribus noti fuissent. Non enim soli Zosimus et Bonifacius ignorarunt Canones sardicenses, sed et omnes, qui eis praecesserunt, nullam horum Canonum notitiam habuerunt, cum nullos Canones hoc ediderit Concilium: sicuti tantumdem ejusmodi Canones fugerunt Patres Concilii carthaginensis de appellationibus, ceterosque, qui dicuntur huic Synodo participasse in dejectionem praerogativarum Sedis apostolicae.

Verumtamen si ita putandum est de Concilio sardico, ex adverso standum jure est universalis Ecclesiae testimonio; quocum firmatur, Patres Nicaeae congregatos plures emisisse et sanxisse Canones pro incolumitate disciplinae ecclesiasticae servanda et praesertim circa Pontificatus Romani praerogativas, ab infida manu deinde surreptos aut falsatos.

His positis, nemo non videt, quam injuriosis ac insolentibus dictis irruperint Centuriatores, et usque modo recentiores animose irrumpunt [1]

[1] Confer Ephemeridem Januarii 1875. cum titulo: The Month and catholic Review.

adversus Zosimum Pontificem; quasi ipse nefarie, ut ajunt, decreta nicaena violasset, his interserens Canones a Synodo non admissos. Non enim Zosimus Canones, quos dicit nicaenos, uti reapse erant et quidem genuini, collegit ab actis Synodi sardicae, cum nullos haec Synodus ediderit Canones; eoque magis quod locutionis ordo, quo Papa illos citat Canones, omnino quadrat sincerae aliorum Canonum nicaenorum lectioni; ac insuper, sicuti dictum est, nondum Zosimi aetate noti erant in Ecclesia Canones Patribus sardicensibus inscripti.

Ceterum, neque, ut putat Binius, Zosimus et Bonifacius ignorarunt Canonum sardicensium existentiam, tametsi aliis forent noti. Non enim arguenda est in duobus Pontificibus ignorantia Canonum sardicensium, cum neque tunc, neque antea, nec unquam ab hujus Synodi aetate usque ad finem seculi V. in Ecclesia innotuerint. Nec ideo in actis Concilii africani an. 418. de prosecutione appellationum ad Sedem apostolicam sub hoc eodem titulo citati sunt: prout ulterius loco opportuno disputabitur.

CAPUT VIII.

Concilium constantinopolitanum oecumenicum secundum, post nicaenum an. 381. adunatum contra Macedonium, a Damaso Papa sancitum, et distinctum a Conciliabulo in eadem urbe an. 382. per eumdem Pontificem reprobato ob corruptos disciplinae ecclesiasticae Canones a Synodo nicaena statutos, et ob calumnias in probos viros jactas.

Pontificatus Romani hostes, postquam acta perverterunt sacrosanctae et oecumenicae Synodi nicaenae, ejusque Canones aut falsarunt, vel subtraxerunt, sive mutilarunt, eodem perfidiae studio pergentes manus quoque intulere in gesta alterius oecumenici Concilii constantinopolitani. Et quamvis isti fidem catholicam professi, Macedonium haereticum refutaverint: attamen quidam ex his qui Synodo orthodoxae adstiterunt, et alii extra hunc numerum, invidia moti et ambitione et partium studio paulo post Synodum rursus in hac urbe adunati, majorum statuta contemnentes, insurrexerunt adversus antiqua ecclesiarum apostolicarum jura, sibi indicantes privilegia, quae ecclesiae, cui praeerant, non competebant.

Nectarius reapse hujus Conciliabuli praeses, in constantinopolitanam sedem intrusus, hoc opus aggressus est, aliquot sibi suffragantibus episcopis, in quibus Flavianus pariter antiochenae ecclesiae invasor. Hi una convenientes in hanc urbem sub specie confirmandi anathema in praefatos haereticos, novi aliquid machinati sunt, ita ut ecclesiae alexandrinae solitis privilegiis, eadem transferrent ad antistitem constantinopolitanum, nicaenis obstantibus constitutionibus in Canone VI. indicatis.

Rebus sic stantibus tam de Concilio oecumenico, cui praefuit Meleus antiochenus, quam de altero sub Nectarii praesidentia adunato, ob propinquitatem temporis, quo haec duo Concilia collecta sunt in eadem urbe, et ob multorum, qui convenerant, episcoporum identitatem, factum est, ut unum cum altero, data opera vel inscie confunderetur ab historicis, ac ceu unum Concilium indistincte et quidem oecumenicum accideretur cum veritatis detrimento, cum veteris disciplinae laesione, cum proborum virorum vituperio, Sedis apostolicae contemptu, et manifesta violatione Canonum nicaenorum.

Studiose igitur incumbendum est, ut unum ab altero distinguatur; ac uni merito oecumenici titulus inscribatur, alteri vero tollatur et in conciliabulis numeretur citra mentem Sedis apostolicae adunatis: quibus nulla auctoritas praebenda est; quicumque forent, qui eidem adstiterunt vel subscripsere episcopi. [1] Ac interim ut patefiat quo tendat quaestio

[1] Quamvis historici hanc, quam statui, differentiam, necessariam haud statuerint in

nostra; et de quibus infra nobis disputandum sit, nemo ignoret, documenta Collectioni labbeanae inserta, idest epistolam synodalem ad Damasum, ad Ambrosium, et alios Occidentis episcopos, Canones in ea statutos, epistolam nuncupatoriam ad Theodosium, tres epistolas a Theodoreto Damaso Papae falso inscriptas cum injuria Timothei alexandrini et Maximi constantinopolitani, Canonem XXVIII. Concilii chalcedonensis, ac demum epistolam Anatolii ad s. Leonem, cuncta elaborata fuisse ab ejusdem auctoribus et patronis Conciliabuli. Quibus alia opponentur genuina aliunde desumpta, in horum dejectionem et refutationem.

Quid porro actum sit in Synodo oecumenica praecedente, ad quam convenerunt 150. episcopi, quamvis hucusque desit discussionis historia et explicita formula, attamen ex sinceris illorum documentis, qui Synono adstiterunt, et aliorum extra Synodum tunc viventium, et ceterorum, qui a genuinis scriptis mutuati, posteritati mandarunt, nobis satis satisque faciunt, ut agnoscatur, Concilium hoc unum animadvertisse dimicans adversus haeresim Macedonii Spiritus Sancti personam et divinitatem Patri et Filio parem negantis. Sanctus Prosper in Chronico notat: « Gratiano V. et Theodosio Coss. Synodus Patrum 150. apud Constantinopolim celebrata est contra Macedonium Spiritum Sanctum Deum esse negantem. S. Gregorius nyssenus qui Concilio interfuit, inquit, non solum Patris et Filii, sed et Spiritus Sancti gloriam unam, majestatem parem, indivisam sanxisse Synodum substantiam. » Baronius sub an. 381. n. 29. profert Symbolum hujus Concilii, quod dicitur scriptum a s. Gregorio nysseno: ubi exposita fide nicaena, additur: « Et in Spiritum Sanctum (credimus) Dominum et vivificatorem ex Patre procedentem, cum Patre et Filio coadorandum et conglorificandum, qui locutus est per prophetas. » [1]

Photius in Libello *De Synodis* ex graecorum traditione de hac oecumenica locutus, ait: « Sacrosanctus hic chorus Macedonium quemdam, qui Constantinopolis sedem jam surripuerat, quoniam in sanctissimum et vitae principem Spiritum maledicta conjecerat, condemnavit.... Quamobrem merita impietatis suae praemia tulit, cum et ipse sacerdotio fuerit spoliatus, et omnes illi, qui adversus Deum pugnarunt. » Nazianzenus item *De vita sua* v. 1009, ait: « Quidquid enim in Oriente (excepta Aegypto) populis praesidet, usque ad Romam alteram ex terrae et maris remotissimis angulis excitum, quibus Dei consiliis nescio, coeunt, ut stabiliant doctrinam pietatis. His praeerat vir piissimus Meletius. » In Chronico alexandrino legitur: « Anno 351. (381.) celebrata est Synodus Con-

suis scriptis; nihilominus nobis sufficiat, quod Nazianzenus et Socrates indistincte testantur, plures in Urbe regia tunc congregatas Synodos.

[1] Loquisino de tertia Synodo sub ejusdem Nectarii praefectura adunata an. 383. consulibus Merogaudo et Saturnino, ex Theodosii decreto. Ad quam uniuscujusque sectae episcopi convenerunt, ut omnes singuli haeretici suum dogma conscriberent.

stantinopoli 150. Patrum: qui Symbolum (nicaenum) confirmarunt, et Macedonium damnarunt exitiali opinione Arii infectum; qui incomprehensum et invisibilem Spiritum Sanctum cum Patre et Filio dubitavit affirmare.» In Concilio pariter romano sub Gelasio Papa I. inquiunt: «episcopi, se suscipere sanctam Synodum constantinopolitanam, mediante Theodosio imperatore Augusto, in qua Macedonius haereticus debitam damnationem excepit.»

In Actione XXIII. Synodi sextae oecumenicae legitur: «Macedonius Spiritus negabat deitatem et Dominum; eumque conservum praedicabat. Sed Theodosius et Damasus fidei adamas obstiterunt: quorum solidam mentem aggressiones et conflictus nullatenus sauciarunt.»

His positis de vero et praecipuo scopo Concilii oecumenici seorsim a quacumque alia quaestione sive dogmatica sive disciplinari, quae postea introducta est in Conciliabulum, sequitur historicos maxime graecos Socratem, Sozomenem, Theodoretum nec non auctores libellorum synodicorum, hac praetermissa distinctione, aut brevitatis causa, vel aliis de causis, valde illusos esse ac posteris illusisse. Hinc enim factum est, ut confunderentur aetas, personae et acta Conciliabuli cum Synodo oecumenica; quod extra mentem erat Patrum, qui convenerant.

Et reapse, quoad aetatem, nisi annus certe aliquot menses transierunt inter Synodum oecumenicam et Conciliabulum. Liquet enim ex Oratione s. Gregorii nazianzeni coram Patribus recitata in Concilio post macedonianae haereseos damnationem, episcopatu dimisso, eidem successisse Maximum. Qui, in throno episcopali sedens, ordinationes fecit: quas Conciliabulum anno sequente irritas declaravit. Ac postea expulsus est, intruso Nectario. Quocum indicatur, aliquantisper episcopatum tenuisse Maximum illius urbis. Quare intervallum necessario statuendum est inter duas Synodos.

Verumtamen parum nostra hoc refert: ast potius et admodum episcoporum nomina interest investigare, qui adstiterunt; an iidem et omnes, qui primae Synodo, etiam secundae idest Conciliabulo interfuerint; et an verisimilius alii, nec omnes ad hoc convenerint, qui oecumenicae interfuerunt 150. Gregorius nazianzenus in Carmine *De vita sua*, cujus auctoritas in hac quaestione ceteris antecellit, quippe Concilio oecumenico adfuit, et cunctis, quae tunc acciderunt, ait Meletium antiochenum huic Synodo praefuisse, aliorum praetermittens episcoporum nomina: qui ab Orientis plagis Constantinopolim advenerunt, exceptis aegyptiis et occidentalibus absentibus.

Conciliabulo porro adunato post Nazianzeni discessum, Meletii obitum et Maximi expulsionem, in quo innovatum est anathema adversus omnes haereses, et ubi statuti sunt quidam Canones ecclesiasticae repugnantes disciplinae, episcopi 150. pariter adstitisse dicuntur: quorum catalogus citatur in Collectione labbeana: et ubi primus notatur Necta-

rius in sedem constantinopolitanam intrusus, expulso Maximo orthodoxo et legitime ordinato. Hic autem Nectarius, electus post Maximum, non interfuit Synodo oecumenicae contra Macedonium; adfuit tamen et praefuit Conciliabulo. Hunc Gregorius in v. 1713. carpit, qui adhuc catecumenus, nullis antea laboribus susceptis, creatus est episcopus, eosque arguit, qui illum elegerant. In eodem catalogo citatur Timotheus alexandrinus; qui nec Synodo oecumenicae, teste Nazianzeno, nec sequenti Conciliabulo adstitit. Non enim putandum est, hunc subscripsisse propriae damnationi, nec multo minus ecclesiae alexandrinae dedecori, hujus episcopatu posthabito alteri Constantinopoleos, quemadmodum legitur in Canone II. vel III. Conciliabuli: de quo inferius.

Item Flavianus, qui non adstitit Synodo oecumenicae, intrusus in sedem antiochenam, amoto Paulino episcopo legitimo, numeratur inter subscriptores Conciliabuli: « Ad hunc enim Paulinum (inquit Theodoretus Lib. VII. Histor. Eccles. c. XI.) Episcopus Romanus ac ceteri Occidentis antistites consuetas scribebant epistolas, quas synodicas appellant; ad Flavianum vero nullas dabant. Insuper Gregorius in Carmine praefato v. 1585. ait, se Flaviani electionem non adprobasse. Praeterea Conciliabulo subscripserunt Diodorus Tarsi et Acacius Berocae episcopi: qui, eodem teste Theodoreto, cum Flavianum ordinaverint, excommunicati sunt ab Ecclesia Romana.

Gregorius nazianzenus Synodo oecumenicae subscripsit, jam diximus; nullimode vero Conciliabulo nec adfuit nec subscripsit; quamvis in catalogo labbeano legatur nomen ejus scriptum cum Nectario et ceteris. In Carmine eodem v. 1828. episcoporum enarrans contentionem, aliis pro se, aliis contra pugnantibus, ait tunc se ab Urbe discessisse. Deinde cum per litteras 88 ad eumdem Nectarium, gratuletur de sua electione, cui ab initio obstiterat, indicat se a Conciliabulo abfuisse, nec ejusdem subscripsisse decretis. Item in epistola 124. ad Theodorum: « properamus, ait, ut soli cum solo congrediamur. Synodos autem et Conventus procul salutamus; ex quo scilicet tempore multa eorum, ut parce loquar, molesta esse comperi. Ac demum in dicto Carmine, postquam discessit, obtestatus est, se nolle amplius, anserum et gruum temere inter se pugnantium Synodis interesse. [1]

Ascholius thessalonicensis et in Illyrici provinciis Vicarius apostolicus, non videtur adfuisse Synodo oecumenicae. Certum tamen est (et hoc adversus Socratem) nec interfuisse nec subscripsisse Conciliabuli decretis. Hujus namque Conciliabuli Patres in epistola citata a Theodoreto (de qua infra) scripta ad Damasum Papam, Ambrosium et ceteros collectos in Urbe Roma, inter hos Ascholium numerant. Ascholius er-

[1] Confer editionem Operum s. Gregorii an. 1840. His stantibus Gregorii testimoniis illuditur Theodoretus, quum ait Timotheum sacrasse Maximum episcopum. Illuditur quoque dicens, ejecto Maximo, Gregorium cum ceteris elegisse Nectarium episcopum.

go, qui Romae accepit litteras synodicas Orientis, nec interfuit nec subscripsit Conciliabuli statutis. Meletius antiochenus, quem praefuisse diximus Synodo oecumenicae, nec tamen sequenti adstitit Conciliabulo, cum jam obiisset.

Praeterea de his animadvertendum est, quod in Carmine citato scribit Nazianzienus v. 1910. suadens omnibus, ut aequo animo essent ob suum discessum: « Quidquid, inquit, antiquum et quidquid recens adscitum non ferens sibi patrem avelli: et ex episcopis eos, qui valde perculsi erant. Multi enim, ubi sensere, quid consilii caperetur, veluti ictum fulmineum fugientes abibant, auribus obstructis, manibusque complosis, ut nunquam oculis suis rem talem spectarent, quemlibet alium in meam sedem evectum. » Ea propter Baronius sub an. 381. n. 66. subdit: « Qui autem fuerint, qui fugerunt, licet verbis non exprimat Gregorius, conjectura tamen ducimur, fuisse ceteros suos collegas amicos, quibuscum arcta amicitia intercesserat, Amphilochius nempe episcopus Icenii, Nyssenus, Petrus germanus ejus sebastenus, Helladius caesariensis, et alii cappadoces, Otrejus melitenus, Eulogius edessenus, Bretannio scita, et siqui alii magni nominis viri inventi sunt ibi eidem Gregorio studentes. »

Idem porro Baronius, quamvis non distinguat unum ab altero conventu, fatetur tamen, plura fuisse nomina episcoporum superadjecta, qui non subscripserunt Conciliabuli actis adunati post Gregorii discessum. Itemque Binius in Notis, has, scribit, Patrum subscriptiones partim mendosas partim subreptitias esse manifeste constat. Dolo ne an imprudentia Collectoris id contigerit, incertum est. »

Interim non est omittendum, quod in epistola 80. scribit s. Leo Magnus ad Pulcheriam Augustam: ubi exprobrat Anatolio constantinopolitano, quod bellum inferat novae pertubationis; atque ut venerabilium Patrum (nicaenorum) decreta solvantur, *quorumdam episcoporum* proferret consensum: cum tot annorum series negavit effectum. Nam sexaginta fere annis hujus conniventiae esse jactatur; qua se praedictus episcopus aestimat adjuvari, frustra cupiens id sibi prodesse, quod etiamsi quispiam ausus fuerit velle, nullus tamen potuit obtinere. » Cum igitur s. Pontifex exprobret Anatolio, quod nonnullorum episcoporum consensum invocet, ut privilegium secundae sedis post Romanam episcopus constantinopolitanus obtineat, nequaquam videtur Synodum oecumenicam appellare, sed potius Conciliabulum: cui non omnes nec iidem interfuerunt, qui praecedenti subscripserant Concilio.

Ex praefatis ergo, sicuti praemisimus, eruitur, non idem esse Concilium oecumenicum et Conciliabulum, neque eodem tempore adunata, nec sub ejusdem episcopi praesidentia; nec eosdem Patres haberi, qui primae et secundae Synodo interfuerunt; nec eadem esse, quae in utraque tractata sunt, nec multo minus eadem auctoritate utramque ire prae-

ditam. Quamobrem et Concilii chalcedonensis Patres illusi sunt, talem arbitrati horum Conciliorum et episcoporum conventum, qui utriusque acta obsignarint. Quam illusionem perspicue passus est Anatolius, cum in epistola ad Leonem Papam (de hujus ecclesiae privilegiis locutus) inquit Concilio constantinopolitano subscripsisse 150. episcopos: quorum praesules vocat Nectarium, Timotheum, Meletium, Helladium et Cyrillum: cum secus Timotheus alexandrinus nec oecumenicae Synodo, nec Conciliabulo subscripsit; cum Meletius praefuit oecumenicae, nec ullimode (jam defunctus) alteri subscripsit: cum Nectarius Conciliabulo praefuit, nequaquam priori; nondum enim erat episcopus. Immerito igitur conqueritur Anatolius, ad Leonem scribens, ob protestationes legatorum contra Canonem constantinopolitanum de hujus ecclesiae privilegiis post Romanam Sedem constitutae et supra alexandrinam. Non enim nicaena Synodus statuit, quae ipse ex ipsius Canone VI. supponit; neque praefatum Concilium oecumenicum quidquam decrevit de episcopi constantinopolitani privilegiis.

De reliquo tenor epistolae Conciliabuli ad Damasum, Ambrosium et ceteros Concilii italici episcopos, omnem excludit relationem cum Synodo oecumenica adversus Macedonium, cui praefuit Meletius. In litteris synodicis, quarum initium, *Superfluum fortasse fuerit* (Theodoretus Libro V. Histor. Eccles. c. IX.) orientales monent Occidentis episcopos, se epistolam accepisse ab his, quacum hortabantur, ut Romam ad maximam Synodum se conferrent. Cui hortationi orientales se subduxerunt, causationibus inventis. Deinde suam fidem illis exponunt; quam anno praecedente in Synodo oecumenica (vel potius Conciliabulo) adversus omnes haereses sanciverant dicentes: « nos credere in nomen Patris et Filii et Spiritus Sancti, unam scilicet deitatem, potentiam et substantiam Patris et Filii et Spiritus Sancti credentes; aequalem item dignitatem et coaeternum regnum in tribus perfectis personis, ita ut nec locum habeat Sabelii lues, qua hypostases confundantur et tollantur proprietates: neque eunomianorum et arianorum et preumatomachorum obtineat blasphemia, quae substantiam ac divinitatem discindit: et increatae sive consubstantiali et coaeternae Trinitati posteriorem quamdam creatam sive diversae substantiae naturam super inducit.

« Incarnationis quoque Domini doctrinam incorruptam servamus, neque animae neque mentis expertem, aut imperfectam carnis dispensationem admittentes (idest apollinaristae) sed totum scientes ante secula quidem perfectum Dei Verbum; in novissimis autem diebus perfectum hominem propter nostram salutem factum esse. Et fidei quidem, quae constanter a nobis praedicatur, haec est veluti summa. » Deinde precantur occidentales ut legant tomum, in quo eorum fides uberius exposita est, et ubi in haereses recens exortas protulerunt anathema. Deinde subdit Historicus: « Isti episcopi contra Arii, Aetii et Eunomii insaniam,

quin etiam contra Sabellii, Photini, Marcelli, Pauli samosateni et Macedonii amentiam scripserunt. Simili ratione et novae Apollinaris doctrinae palam Anathema indixerunt. » Per haec vero postrema verba vellicantur, nullo tamen jure, Maximus et Timotheus alexandrinus veluti Apollinaris haereseos patroni; de quibus postea. De his porro non in Concilio oecumenico actum est sed in Conciliabulo postea adunato; et cui praefuit Nectarius intrusus in sedem episcopalem; et in quo haereses jam damnatae novo anathemate perculsae sunt.

Ac interim instituto nostro proderit alteram hujus synodicae orientalium epistolae partem proferre, ac simul Concilii italici responsionem, ita ut constet quanta auctoritate habita sint a Sede apostolica hujus Conciliabuli acta: « De particulari administratione ecclesiarum, antiqua, ut probe nostis, obtinuit sanctio, et sanctorum Patrum Nicaeae congregatorum regula, ut in singulis provinciis episcopi illius provinciae, et, si illis placuerit, una cum ipsis finitimi ordinationes, prout utile erit, faciant. Ex quarum legum praescripto a nobis administrari ecclesias scitote, et harum nobilium creatos esse sacerdotes: unde etiam constantinopolitanae ecclesiae νεοπάγους recens, ut ita dicamus, fundatae, quam ex haereticorum blasphemia tanquam ex leonis faucibus per misericordiam Dei nuper eripuimus, reverendissimum et religiosissimum Nectarium ordinavimus in *oecumenico* Concilio, communi omnium consensu coram religiosissimo imperatore Theodosio, adstipulante omni clero et universa civitate; antiquissimae vero veraeque apostolicae antiochenae in Syria ecclesiae, in qua venerandum christianorum nomen primum auditum est, reverendissimum et religiosissimum Flavianum tum illius provinciae tum orientalis dioecesis episcopi in unum congregati *canonice* ordinarunt, tota consentiente ecclesia, et quasi uno ore virum collaudante. Quam quidem *legitimam* ordinationem etiam Synodus omnis suscepit. Hierosolymitanae vero ecclesiae, quae mater est omnium ecclesiarum, reverendissimum Cyrillum episcopum esse indicamus, qui *canonice* ab episcopis provinciae olim fuit ordinatus: et plurima variis in locis contra arianos certamina subiit. Quibus tanquam *legitime et canonice* apud nos constitutis, vestram quoque reverentiam gratulari hortamur, intercedente spiritali caritate, ut inter eos cessent dissidia etc. » Et haec refert epistola synodica ad episcopos Occidentis.

Modo vero, probatis, quae cum Theodoreto statuit Constantius de hujus aetate Concilii et de distinctione ab alio oecumenico, diluendum superest, an cuncta in epistola Conciliabuli exposita, fuerint in Concilio italico et hinc a Sede apostolica comprobata. Cui summatim respondeo negative in omnibus. Et primum pro me respondebunt litterae Synodi occidentalis ob hoc missae ad Theodosium imperatorem (Sirmondi Tomo I. p. 429.). Qui videtur mediator vocatus fuisse a Nectario et ceteris Conciliabuli auctoribus, ut a Damaso sancirentur ejusdem decreta:

ea propter episcopi italici moniti a Theodosii fratre ad hunc Principem rescribere existimarunt. Interim hujus epistolae textum integrum proferre proderit, ut collatis simul litteris Conciliabuli cum Synodi italicae responso, sedulo utriusque dictis ponderatis, dignoscatur, quanto jure Conciliabuli actus, nec non Canones eidem subsequentes fuerint reprobati a Sede apostolica: et amplius, quod valde interest, non ignoretur, Canones nicaenos vel ab hujus Conciliabuli patronis fuisse falsatos; aut saltem antea ab aliis, et sic ejusdem actis insertos. En interim epistolae tenorem:

« Beatissimo imperatori et clementissimo principi Theodosio, Ambrosius et ceteri episcopi Italiae.

« Sanctum animum tuum Deo omnipotenti pura et sincera fide deditum sciebamus: sed recentibus cumulasti beneficiis, quod catholicos reddidisti ecclesiis, Imperator auguste. Atque utinam catholicos ipsos reverentiae veteri reddidisses, ut nihil novarent contra praescripta majorum; nec temere vel servanda rescinderent, vel rescindenda servarent. Itaque dolentius forte quam inconsultius ingemiscimus, Imperator, facilius expelli potuisse haereticos, quam inter catholicos convenire. Quanta enim nuper confusio facta sit explicari non potest. Scripseramus dudum, ut quoniam antiochena civitas duos haberet episcopos, Paulinum atque Melitium, quos fidei concinere putabamus, aut inter ipsos pax et concordia, salvo ordine ecclesiastico conveniret, aut certe siquis eorum, altero superstite, decessisset, nulla subrogatio in defuncti locum, superstite altero, gigneretur.

« At nunc Melitio defuncto, Paulino superstite, quem in communione nostra mansisse, consortia quae a majoribus inoffense ducta testantur, contra fas atque ecclesiasticum, in locum Melitii, non tam subrogatus, quam superpositus asseritur. Atque hoc factum allegatur consensione et consilio Nectarii; cujus ordinatio, quem ordinem habuerit non videmus. Namque in Concilio nuper, cum Maximus episcopus, alexandrinae ecclesiae communionem manere secum, lectis Petri sanctae memoriae viri litteris prodidisset, ejusque inter privatas aedes, quia arriani basilicas adhuc tenebant, sacratum esse, mandatoribus episcopis ordinantibus, dilucida testificatione docuisset, nihil habuimus, beatissime Princeps, in quo de episcopatu ejus dubitare possemus: cum vim sibi repugnanti a plerisque etiam de populo et clero testatus esset illatam. Tamen ne absentibus partibus praesumpte aliquid definisse videretur, clementiam tuam datis litteris putavimus instruendam, ut ei consuleretur ex usu publicae pacis et concordiae; quia revera advertebamus, Gregorium (nazianzenum) nequaquam secundum traditionem Patrum constantinopolitanae ecclesiae sibi sacerdotium vindicare.

« Nos igitur in Synodo ea, quae totius orbis episcopis videbatur esse praescripta, nihil temere statuendum esse censuimus; at eo ipso tempore, qui generale Concilium declinaverunt, Constantinopoli quae gessis-

se dicuntur. Nam cum cognovissent ad hoc partium venisse Maximum, ut causam in Synodo ageret suam, quod etiamsi indictum Concilium non fuisset, jure et more majorum, sicuti et sanctae memoriae Athanasius et dudum Petrus alexandrinae ecclesiae episcopi, et Orientalium plerique fecere, ut ad Ecclesiae Italiae et totius Occidentis confugisse judicium viderentur, cum eum, sicut diximus, experiri velle adversus eos, qui episcopatum ejus abnuerant, comperissent, praestolari utique etiam nostram super eo sententiam debuerant. Non praerogativam vindicamus examinis, sed consortium tamen debuit esse communis arbitrii.

« Postremo prius constare oportuit, utrum huic abrogandum, quam alii conferendum sacerdotium videretur, ab his praesertim, a quibus se Maximus vel destitutum vel appetitum injuria querebatur. Itaque cum Maximum episcopum receperint in communionem nostra consortia, quoniam eum a catholicis constitit episcopis ordinatum, nec ab episcopatus constantinopolitani putavimus petitione removendum; cujus allegationem praesentibus partibus aestimavimus esse pendendam. Nectarium autem cum nuper nostra mediocritas Constantinopoli esse cognoverit ordinatum, cohaerere communionem nostram cum orientalibus partibus non videmus. Praesertim cum ab eisdem dicitur Nectarius illico sine communionis consortio destitutus, a quibus fuerat ordinatus. Non mediocris igitur hic scrupulus. Nec quaedam nos angit de domestico studio et ambitione contentio, sed communio soluta et dissociata perturbat. Nec videmus posse aliter eam convenire, nisi aut is reddatur Constantinopoli, qui prior est ordinatus; aut certe super duorum ordinationem sit in urbe Roma nostrum et orientalium Concilium..... Nos autem a beatissimo principe fratre tuae pietatis admoniti, ut tuae clementiae scriberemus imperio, postulamus, ut ubi una communio est, commune velit esse judicium, et concordantem consensum. »

Et haec scribit Synodus italica ad Theodosium circa notum Conciliabulum, quod quidem hinc amplius constat, non esse confundendum cum Synodo oecumenica anni praecedentis. Ceterum hujus epistolae undique circumspectis suis partibus, nemo nec negare, nec dubitare poterit de hujus relatione ad alteram epistolam praemissam, a Theodoreto citatam, scriptam ad Damasum et ceteros Occidentis antistites. Nec amplius dubitare aliquis poterit, quin haec Synodi italicae epistola omnium contineat refutationem, quae in Conciliabulo statuta sunt adversus Ecclesiae Catholicae disciplinam; quamvis episcopi orientales in eo adunati instanter rogarint Papam, ut hujus actus ratos haberet et confirmaret: praesertim de Flaviano in Sedem antiochenam et de Nectario in Constantinopoleos cathedram intrusis, ejectis, qui canonice in illis instituti erant, Paulino et Maximo. [1]

[1] Bonifacius I. in epistola XV. ad Rufum et episcopos Macedoniae inquit « Theo-

Unde consequitur oecumenici titulum nullo jure huic Concilio assignari, cum cuncta in hoc gesta et definita, fuerint a Sede apostolica reprobata, nec multo minus confundendum esse cum anteriore adversus Macedonium adunato. Quod cum fuerit ab Ecclesia universa acceptum et a Papa confirmatum, merito istud oecumenicum secundum post nicaenum nuncupatum est. Et ideo sub Conciliabuli nomine illud ab hoc distinxi.

Verumtamen non abs re erit quaedam hîc addere ex ipsius Conciliabuli textu vel aliunde desumpta, ut magis imminuatur illius auctoritas. In quo praesertim notanda sunt, quae in eo Patres statuerunt de administratione ecclesiarum; quas ex antiqua ajunt sanctione et Patrum nicaenorum regula regi; ut scilicet in singulis provinciis, episcopi illius provinciae, et si illis placuerit, una cum ipsis finitimi, ordinationes faciant. Non enim ita decreverunt nicaeni Patres. Quamvis in Canone IV. varietates lectionis subierunt, sicuti in praefatis ostendimus, nihilominus cuncti codices nec non Pontificum Romanorum citationes unanimi consensu tradiderunt, in electione episcopi requiri necessario metropolitae provinciae adprobationem.

In elencho vulgato hujus Canonis IV. legitur: « Firmitas autem eorum, quae geruntur in episcopi electione per unamquamque provinciam metropolitae tribuatur episcopo. » In praefatis vero pontificiis epistolis ab initio Canonis decernitur: « ut extra conscientiam Sedis apostolicae et metropolitae nullus audeat ordinare. » Ex adverso epistolae synodalis auctor de metropolitae interventu ne verbum quidem; sed hujus loco arbitrarie adjecit aliorum episcoporum extra provinciam consensum, si placuerit, in episcopi electione. Idcirco omnino fallitur epistolae scriptor, cum de hac re veterem legem et Patrum nicaenorum decretum appellat. Nec enim vetus lex, nec nicaena statuta suis concordant assertionibus. Quare, quae successive notantur de episcoporum ordinatione et ecclesiarum insignium administratione, in quibus constantinopolitanae, ex praesumpto Concilio statuta et expleta, antiquis obstant constitutionibus de Ecclesiae Romanae, alexandrinae et antiochenae, caesariensis ordine primatus, unaquaque in suo idest primo, secundo, tertio, quarto gradu constituta: et idcirco jure ipsius acta refelluntur ab episcopis Occidentis.

Similiter dicendum est de Nectario in sedem Constantinopoleos intruso ac ideo a Sede apostolica reprobato: a qua frustra probationem expetivit. Cum enim Conciliabuli Patres inquiunt, se hunc virum ordinasse episcopum communi omnium consensu, Imperatoris scilicet, totius cleri et universae civitatis; ex adverso Synodus occidentalis conqueritur

dosius Nectarii ordinationem (propterea, quia in nostra notione non esset, habere non existimemus firmitatem) missis e latere suo aulicis cum episcopis, *Formatam* huic (Nectario) a Sede Romana dirigi regulariter depoposcit; quae ejus Sacerdotium roboraret. » Coustantius p. 598.

CAPUT IX.

Conciliabuli Canones diluuntur: Maximi Constantinopoleos, et Timothei alexandrini antistitum fides orthodoxa vindicatur: praecipuae causae stabiliuntnr insimulationum adversus utrumque delatarum: firmatur thesis de adulteratione Canonis VI. nicaeni.

Exactis quae epistolam spectant ad Damasum et ad alios episcopos Occidentis et responsum ab his redditum circa Conciliabulum, cui praefuit Nectarius, quodque ideo distinguitur ab oecumenica Synodo, praeside Meletio antiocheno, diluendi manent Canones ab hoc Conciliabulo sanciti ac subscripti a 150. episcopis, ut vulgo putatur, eisdem qui anteriori Synodo subscripsere. Dionysius Exiguus Conciliabuli Canones tres tantum numeravit; nisi quod Canon secundus in quibusdam codicibus in duos divisus est, ita ut quatuor dicantur. Ceteri vero Canones in praefatis Collectionibus Conciliorum additi, post Dionysii aetatem intrusi sunt in confirmationem schismatis ab Ecclesia Romana. Isti autem sicuti praecedentes conflati sunt cum Canonum nicaenorum textus et sensus manifesta violatione.

Dionysius itaque scribit (Labbei Tom. III. p. 565.): « Sub Theodosio piissimo imperatore apud Constantinopolim expositi sunt Canones numero tres. Hae definitiones expositae sunt ab episcopis 150. qui in idipsum apud hanc urbem convenerunt; quando beatus Nectarius episcopus est ordinatus. » De his porro, ad litteram citatis, singillatim et juxta ordinem disceptabo. [1]

Canon I.

Fidem non violandam Patrum 318. qui apud Nicaeam Bythiniae convenerunt: sed manere eam firmam et stabilem: anathematizandam omnem haeresim, et specialiter eunomianorum, vel anomianorum et arianorum, vel eudoxianorum et macedoniorum, vel S. Spiritui resistentium, et sabellianorum et marcellianorum et photinianorum et apollinariorum. »

De hoc Canone, quamvis nihil sit opponendum relate ad fidei professionem, nihilominus quoad Concilii oecumenici scopum praecipuum, aptius videbatur, in primo loco notari anathema supra Macedonium. Propter enim ejusdem blasphemiam in Spiritum Sanctum convenerunt Patres in Synodo, adversus eum dimicantes; ac deinde juxta morem ceteros nuncupare haereticos jam damnatos. Et hoc magis indicat differen-

[1] Ad Conciliabulum pertinet Epistola Patrum ad Theodosium, quae incipit: *Initio quidem.* Labbei Tom. III. p. 558.

iam Conciliabuli, in quo haec statuta sunt, ab oecumenica Synodo praeedente. [1]

Canon II.

Qui sunt super dioecesim episcopi, nequaquam ad ecclesias, quae unt extra praefixos sibi terminos, accedant; nec eas hac praesumptione confundant. Sed secundum Canones alexandrinus antistes Aegyptum olam regat. Orientis autem episcopi Orientem solum administrent, servatis honoris privilegiis, quae sunt in Concilii nicaeni Canonibus, antiochenae ecclesiae; et asianae dioecesis episcopi, quae sunt in sola asiana administrent: nec non et beati episcopi ea tantum, quae sunt in Ponto t Thraciarum, quae in Thraciis sunt, gubernent. Non vocati autem epicopi, ultra suam dioecesim, non accedant propter ordinationes facienas, vel propter dispensationes ecclesiasticas. Servata vero, quae scripta st de gubernationibus regula, manifestum est quod illa, quae sunt per namquamque provinciam, ipsius provinciae Synodus dispenset, sicuti icaeno constat esse decretum Concilio. Ecclesias autem Dei, quae sunt barbaricis gentibus constitutae, gubernari convenit juxta consuetudiem, quae est a Patribus observata. Verumtamen ut episcopus Constannopoleos primatum habeat honoris post Episcopum Romae, eo quod isa sit nova Roma. »

Hic autem Canon, cunctis suis partibus circumspectis, praesertim, uod refertur ad episcopum censtantinopolitanum in secundo honoris grau collocatum post Romanum, talia nobis praestat consideratu digna, ut ujus conflator parum videatur sollicitus in citando Canones nicaenos in xponendo illorum sensu, eoque applicando praesumptis privilegiis epicopi constantinopolitani. Et hîc, cum supersedeo loqui de recta Canois VI. nicaeni intelligentia, de quo in praecedentibus satis dictum est, onstat Canonis constantinopolitani auctorem hunc eumdem nicaenum VI. itare, etsi falsatum in suis relationibus, de ecclesiis primariis Romana, lexandrina, antiochena etc. una cum cujusque privilegiis. Quae πρεσβεῖα rivilegia unaquaeque ecclesia praeferebat in ordine suo juxta primatus ationem, idest in primo loco Ecclesia Romana, in secundo alexandrina, n tertio antiochena in quarto hierosolymitana, seu caesariensis.

[1] S. Gregorius Magnus in epistola 34. Lib. VII. ad Eulogium alexandrinum et Anatasium antiochenum scripsit: « Praeterea idem frater noster (Cyriacus) omnia in suis synodicis catholice, Deo auctore, locutus est. Quemdam vero Eudoxium damnavit; quem neue in Synodis damnatum invenimus, neque a decessoribus ejus in suis Synodicis reproatum. Et Canones quidem constantinopolitani Concilii eudoxianos damnant. Sed quis fueit eorum auctor Eudoxius, minime dicunt. Romana autem Ecclesia eosdem Canones, vel esta Synodi illius hactenus non habet. In hoc autem eamdem Synodum accepit, quod st per eam contra Macedonium definitum. Reliquas vero haereses, quae illic memoratae unt, ab aliis jam Patribus damnatas, reprobat. » Quamvis autem s. Pontifex non distinuat Synodum oecumenicam a Conciliabulo ob aetatis propinquitatem, in ceteris vero aprime concordat nostrae Thesi.

Cum itaque a Patribus comprobatus sit talis alexandrinae et antiochenae ecclesiis honoris primatus secundum statuta nicaena, ac ita custodiendum jubeant, quomodo stabit quod in fine hujus Canonis Patres constantinopolitani decrevere, ut hujus civitatis antistes primatum habeat honoris post Episcopum Romanum, si talis primatus assignatus antea fuit ab his antistiti alexandrino ex Patrum nicaenorum constitutione, cui ipsi subscripserant? Nonne ita putantes, in fine Canonis destruunt quod prius aedificarunt? Verum de hoc inferius.

Canon III.

« De Maximo Cynico (ita enim sonat graecus) et de ejus petulantia, quae Constantinopoli facta est, adeo ut Maximus nec vel episcopus fuerit, nec vel sit, neque qui ab eo ordinati sunt in ullo, quicumque is sit, gradu cleri, omnibus et quae circa ipsum sunt, et quae ab illis facta sunt, infirmatis. »

Priusquam hujus Canonis examinetur auctoritas, duae epistolae praemittantur falso Damaso inscriptae: quae cum sint a maledico calamo conflatae sicuti et Canon, earum amplius tenor contradicit (quod maledicorum est) ejusdem Canonis dictis, ita ut magis innotescat falsitas rerum, quae de Maximo enarrantur. In prima ad Acholium et alios episcopos Macedoniae missa, inquit Papa (Gallandi Tom. VI. p. 330.): « Decursis litteris dilectionis vestrae, fratres carissimi, satis jam contristatus, eo tempore, quo Deo praestante, haeretici iverant abjecti, nescio quos ex Aegypto venientes in postulatione contra regulam ecclesiasticae disciplinae, alienum a nostra professione in constantinopolitana civitate Cynicum ad sacerdotium vocare voluisse. » Et sic pergit injuriosa dicere de Maximo: « De cetero n. 3. addit, commoneo sanctitatem vestram, ut quia cognovi dispositum esse, Constantinopoli Concilium fieri debere, sinceritas vestra det operam, quemadmodum episcopus eligatur, qui nullam habeat reprehensionem etc. »

Similiter in altera epistola ad eumdem Acholium, cujus initium *ad meritum*, inquit Papa: « Ad litteras sanctitatis tuae plene rescripsi, non mihi placuisse, quod nescioquem Maximum ex Aegypto venientem, commatum, vel maxime cujus habitus juxta Apostolum ignominiosus esset, Constantinopoli episcopum ordinare voluissent. Rectius igitur fecerit sanctitas tua, si dederit operam, ut de cetero catholicus constituatur, cum quo nobis, Deo propitio, possit pax perpetua perdurare. »

Nullam vero has epistolas praestare auctoritatem ac pontificio titulo indignas ita ut inter nothas numerandae sint, ceu cujusdam maledici viri commentum, praeter allata testimonia pro Maximi fide, palam adstruitur ab epistola Synodi italicae a Damaso subscripta, et missa ad Theodosium imperatorem (Sirmondi Tom. I. p. 429.). In his inquam litteris narratur, quid Constantinopoli factum sit in ejusdem Maximi causa contra Ecclesiae catholicae statuta, et quidem cum injuria ejusdem Maxi-

mi: « Namque in Concilio, ajunt Patres, nuper, cum Maximus episcopus communionem alexandrinae ecclesiae manere secum, lectis Petri sanctae memoriae viri litteris, prodidisset; ejusque intra privatas aedes, quia arriani adhuc basilicas tenebant, secretum esse, mandatoribus episcopis ordinantibus, dilucida testificatione docuisset, nihil habuimus, beatissime Princeps, in quo de episcopatu ejus dubitare possemus: cum vim sibi repugnanti a plerisque etiam de populo et clero testatus esset illatam. Tamen ne absentibus partibus praesumpte aliquid definisse videremur, clementiam tuam, datis litteris putavimus instruendam, ut ei consuleretur ex usu publicae pacis et concordiae. Quia revera advertebamus Gregorium nequaquam secundum traditionem Patrum, Constantinopolitanae ecclesiae sibi sacerdotium vindicare. » Deinde subdit Synodus, Romam venisse Maximum, ex majorum more, ad judicium ecclesiae Occidentis, et ab ipsa receptum fuisse eo quod ipse fuerit a catholicis episcopis ordinatus, nec ideo removendum esse a petitione episcopatus Urbis regiae. »

Cum ergo sit a Synodo et potissimum a Damaso ejusmodi judicium prolatum de fide orthodoxa, et electione canonica Maximi, deque ejusdem Sedi apostolicae subjectione, quomodo stabit quod ab ipso Papa paulo ante, vel eo ipso tempore dicitur decretum adversus hunc Maximum in praefatis epistolis ipsi Damaso inscriptis: ubi illum vocat alienum a professione catholica, haereticum, ordinatum extra Ecclesiae regulam, et absque dotibus, quas requirit Apostolus, ac ideo amovendum esse a sede episcopali? Nonne stultum est putare, Damasum incidisse in tam manifestas contradictiones?

Modo regressi ad Canonis III. auctoritatem, falsum ex citatis epistolis invenimus, quod in eo dicitur, Maximum scilicet nunquam fuisse episcopum. Aperte enim in epistolis Maximus talis vocatur. Nazianzenus in Carmine *De vita sua* et Oratione 25. et sequente, inquit, Maximum ordinatum fuisse episcopum ab episcopis aegyptiis ex Petri alexandrini mandato, et amplius adprobante Damaso Papa, uti constat ex praemissis litteris Concilii italici. Hinc cernito differentiam testium de hoc viro. In duabus epistolis supposititiis perspicue dicitur Maximus ordinatus episcopus. In Canone vero hoc negatur. In epistolis dicitur Apollinarii haeresi infectus: quod siletur in Canone. Haec autem consequuntur in illis, qui calumnias compingentes et falsitates, seipsos condemnant mandaces: et hoc ad innocentium vindicias satis esto.

Circa ea porro, quae scribit Nazianzenus de Maximo (priusquam eo ipso ab episcopatu amoto, iste succederet) illum vocans Christi athletam, catholicae fidei propugnatorem, haeresum devictorem, postquam vero suam sedem occupavit, hypocritam illum dicens, tumultuarie ab episcopis aegyptiis ordinatum, peritissimum vitii artificem, ovium dispersorem etc. sedulo attendendum est, quod scribit s. Hieronymus, his diebus

Constantinopoli degens, et hinc gestorum conscius, quae ibi acciderunt. Is itaque *De viris illustribus* c. 127. scribit: « Erat Maximus philosophus, natus Alexandriae, Constantinopoli episcopus ordinatus est, et pulsus, insignem *De fide* adversus arianos scripsit librum: quem Mediolani Gratiano principi dedit. » Nec quidem spernendum videtur hoc Hieronymi testimonium pro Maximi fide orthodoxa. Si enim iste reapse pulsus esset ab ecclesia tanquam haereticus, talem expulsionis causam non praeteriisset s. Doctor. Ceterum cum statim subdat, Maximum scripsisse librum *De fide* adversus arianos, conjiciendum est, Hieronymum illum catholicum considerasse potiusquam haeresi infectum. Socrates et Sozomenes inter catholicos pariter numerant Maximum.

Demum non est in hac quaestione praetereundum quod in citata epistola Synodi italicae legitur de s. Gregorio nazianzeno amoto a Sede Constantinopoleos; cui successit Maximus. De Gregorio inquit Synodus: « se Theodosio dedisse litteras, ut ei consuleretur ex usu publicae pacis atque concordiae. Quia revera advertebamus, Gregorium nequaquam secundum traditionem sibi ecclesiae constantinopolitanae sacerdotium vindicare. » Theodoretus in Lib. V. c. VIII. laudes celebrans hujus Gregorii ceu viri orthodoxi et fidei nicaenae propugnatoris, ait Meletium confirmasse eumdem in ea sede adversus alios, qui translationes episcoporum prohibuerant. » De reliquo certum est veterem Ecclesiae disciplinam a Patribus nicaenis firmatam ejusmodi episcoporum translationes de civitate ad aliam cohibuisse, sicuti beato Gregorio accidit, sicuti tantumdem notum est, Damasum hanc servandi consuetudinem valde studiosum fuisse. Ideoque non est mirum, si Gregorium ipsum ab una sede ad aliam cathedram translatum fuisse suffragio suo nequaquam probaverit Pontifex.

Verum non tantum adversus Maximum acuere linguas suas Conciliabuli auctores, ut eum amoverent a sede constantinopolitana, ad quam canonice promotus fuit et a Damaso adprobatus, sed et contra Timotheum, qui Petro successit in episcopatu alexandrino et in jurisdictione supra Asiae Minoris provincias. Quamobrem Urbis regiae clerus et episcopi finitimarum provinciarum, ut se subtraherent a jurisdictione Maximi et antistitis alexandrini, qui hunc ordinarat, utrumque accusarunt haeresi Apollinaris infectum, Romam usque missis litteris cum ejusmodi insimulatione, ut a Papa adversus eosdem sanciretur anathema.

De Maximo satis a nobis superius dictum est, profligatis calumniosis imputationibus. Pro Timotheo vero tantumdem et amplius dicendum est. Sedulo namque collatis de hoc viro documentis, iniquae revelantur calumniatorum insidiae, adeo ut ne dubitandum quidem sit de ejusdem integra fide et vitae sanctitate. Et prius proferatur epistola notha (Damaso inscripta) ad orientales contra Apollinarium et dictum Timotheum citata a Theodoreto in Libro V. Histor. Eccles. c. X. quae incipit, *quod*

nominat inter episcopos orthodoxos. Verum quid ultra veterum scrutari testimonia de Timothei fide, pietate et vitae perfectione, cum Damasus Papa coram universa Ecclesia pro eo pugnat contra suos accusatores?

His praemissis de actis et Canonibus Conciliabuli, in primis constat, nullum Canonem emisisse Synodum oecumenicam, cui praefuit Meletius: et qui huic inscribuntur Canones, ad Conciliabulum referendos esse post illam adunatum et cui praefuit Nectarius. Insuper eruitur, tres tantummodo Canones in hoc statutos esse, teste Dionysio Exiguo, ab eo circa an. 540. ex graeco latine translatos. Qui postea creverunt usque ad septem, sicuti testatur Hervetus, inquiens: « (Labbei Tom. III. p. 558.) Haec decreverunt episcopi qui Constantinopolim convenerunt, vocati a Theodosio; quorum summa haec est. Canon I. de haeresibus, II. de primariarum ecclesiarum privilegiis, III. de episcopatu constantinopolitano in secundo loco post romanum collocato, IV. de Maximi Cynici praesumpti haeretici damnatione, V. de Tomo occidentali ab orientalibus accepto, veluti dicitur in praefata epistola Conciliabuli, VI. de non recipiendis accusationibus adversus episcopos catholicos praesertim ab haereticis, VII. quomodo recipiendi sint haeretici in Ecclesiam et admittendi in orthodoxorum coetu.

Circa primum Canonem dictum est continere elenchum haereticorum, qui antea ab Ecclesia fuerant damnati, uti ait s. Gregorius Magnus. In secundo Canone alter innovatur sextus Canon nicaenus in cunctis suis partibus falsatus. Cui additur alter Canon de ecclesiae constantinopolitanae privilegiis. In tertio Canone continetur iniquissima Maximi Cynici condemnatio extra leges canonicas patrata, uti supra dictum est. Et hi Canones tres a Dionysio inventi sunt in codicibus graecis circa an. 540. Ceteri vero Canones ab Herveto citati, post hanc aetatem intrusi videntur in catalogum ab ignoto calamo; qui Conciliabuli putavit mentem explanare.

Porro nemo miretur, quod dixerim, Conciliabuli Patres falsatum legisse aut eosmet falsasse sensum Canonis VI. nicaeni. In Capite praecedente epistolam citavi ab his Patribus scriptam ad Damasum ac ceteros Italiae episcopos; ac simul ostendi, eos appellasse ad Canonem IV. ejusdem Synodi non tamen in sua integritate sed falsatum. Quid ergo mirum, si pari ratione aut perverterint genuinum sensum Canonis VI. sive operam inceptam falsationis perfecerint, ita ut ab hoc Canone penitus tolleretur primatus honoris Ecclesiae Romanae; quum eo usque in summa omnium veneratione fuisset: quodque ipsi eusebiani confessi sunt in litteris ad Julium Papam.

Post haec diluendus superest Canon Conciliabuli praefati tantarum dissensionum causa; in quo statutum est, *ut episcopus constantinopoleos primatum habeat honoris post Romae episcopum, eo quod ea sit nova Ro-*

ma. Jam dictum est, hunc Canonem non pertinere ad Synodum oecumenicam, cui praefuit Meletius, sed ad Conciliabulum, praeside Nectario. Verumtamen locus dubitandi nobis quoque subit, an reapse Conciliabuli Patres hunc ediderint Canonem. In elencho graeco hic Canon seorsim notatur in ordine quartus cum ceteris Canonibus V. VI. et VII. post Dionysii aetatem additis elencho vulgato. Insuper hic Canon in Dionysii catalogo citatur non separatim, sed junctus Canoni II. veluti pars ejusdem.

Maximum vero argumentum excludendi causa hunc Canonem a Conciliabuli statutis, nobis praebetur a Leonis Papae epistola 81. ad Anatolium n. 5. Iste Anatolius valde sollicitus sedis constantinopolitanae erigendae in secundo loco post Thronum pontificium, appellavit ad Synodum 150. episcoporum, (nullam animadvertens differentiam Concilii oecumenici a Conciliabulo) ubi sibi videbatur constitutum fuisse hoc privilegium; et hinc ejusdem rogabat confirmationem. Quapropter Papa nolens vetera statuta violari, Anatolii refutavit petitionem, inter cetera objiciens ei, quod ejus praedecessores, Nectarius nempe aliique nunquam transmisissent ad Sedis apostolicae notitiam de hujus privilegii concessione. Inquit enim: « Persuasioni enim tuae in nullo penitus suffragatur quorumdam episcoporum ante 60. ut jactas, annos facta conscriptio, et nunquam a praedecessoribus tuis ad apostolicae Sedis transmissam notitiam. Cui ab initio sui caducae et dudum collapsae, sera nunc et inutilia subjicere voluisti fulcimenta, eliciendo a fratribus speciem consensionis, quam tibi in suam injuriam verecundia fatigata praeberet. »

Quanto vero jure talia objiciat Anatolii praesumptioni Leo, accedit citata epistola Conciliabuli ad Damasum, ad Ambrosium et ceteros Occidentis episcopos, sicuti tantumdem horum responsum ad Theodosium. Utramque enim epistolam paulo ante expendimus, ubi de hoc privilegio nulla mentio. Ceteroquin cum Conciliabuli Patres a Synodo italica cunctorum petunt sanctionem, quae tam adversus haereses quam de Nectarii et Flaviani electione statuta fuerant, congruum sane, ne dicam necessarium, videbatur non praeterire hujus privilegii mentionem, ut a Sede apostolica sanciretur; praesertim ubi exponunt electionem et ordinationem episcoporum Constantinopoleos et Antiochiae. Si duorum episcoporum electionis postulant a Damaso confirmationem juxta morem; eo magis hujus novae institutionis sanctio ab ipso repetenda erat. Nec secus Damasus una cum Synodo scribens ad Theodosium circa hujus Conciliabuli gesta, singillatim ea percurrens in ipso tractata, non est putandum tanti momenti transegisse negotium: quod tamen praeterivit, tanquam rem nec discussam, nec probatam a Patribus Conciliabuli, neque Damasi judicio propositam.

Quamobrem cum Leo Pontifex Anatolio respondens, inquit hunc Canonem numquam pervenisse ad notitiam Sedis apostolicae, concordat cum

epistola Conciliabuli ad Synodum italicam scripta; in qua ne verbum quidem notatur de hoc Canone, adeo ut unus alteri suffragetur, de ejusdem intrusione in actis Conciliabuli sub Nectario adunati. Ac proinde Critici recentiores dubitare cessent de praefatis s. Leonis dictis; quorum sinceritati veteres latini codices una cum prisca graeca versione perhibent testimonium, sicuti genuinis Conciliabuli litteris. Ac potius studeant cuidam ignoto ac praeoccupato calamo inscribere hujus Canonis intrusionem ab Historia Socratis redacti. Qui in Lib. IV. c. VIII. enarrans Nectarii ordinationem ab episcopis Conciliabuli patratam, arbitrario adjecit, tunc statutum fuisse primatum episcopi constantinopolitani post illum Antistitis Romani: cum secus, inquam, hoc decretum in epistola synodica desideretur penitus. [1]

Idcirco, sedulo comparatis epistola Conciliabuli a Theodoreto citata, et ejusdem actis cum litteris synodicis Concilii italici, et cum sinceris aliunde collectis testimoniis, concludatur, si excipias fidei nicaenae professionem adversus omnes haereses a Conciliabulo emissam, cuncta ab episcopis huic adstantibus perpetrata, a veritate abhorrere.

Hinc falsum est, quod primum dicunt Patres, se non potuisse Romam, quo vocati erant, accedere propter itineris difficultatem. Hunc enim eumdem praetextum olim commenti sunt eusebiani (in Urbem vocati a Julio Papa in Athanasii causa) de sua improbitate conscii.

Falsum quod ajunt se haereticorum irruptionem vereri ob suam absentiam a propriis sedibus. Non enim metuebant haereticorum seditionem, sed catholicorum zelum, quorum jura conculcarunt in electione episcoporum Constantinopoleos et Antiochiae.

Falsum item quod praesumebant de communi suffragio et plausu in ordinatione Nectarii et Flaviani, ejectis canonice ordinatis.

Falsum quod ajunt ecclesiam constantinopolitanam, amoto Maximo episcopo legitimo, ereptam fuisse ab haereticorum blasphemiis; ita ut nullius momenti sit Canon III. hujus Conciliabuli.

Falsas similiter quas in Timotheum alexandrinum invenerunt haereseos insimulationes, ut se subducerent ab ejusdem jurisdictione.

Falsae tantumdem epistolae, Damaso inscriptae, adversus ipsum Timotheum inter nothas amandandae.

Falsum haud secus quod statuerunt de episcoporum electione ex Canone nicaeno IV. interpolato.

Falsum item, quod ex Canone VI. nicaeno, in omnibus suis partibus corrupto, statuerunt de privilegiis ecclesiarum apostolicarum.

[1] Ceterum confido neminem ire offensum, si quodammodo restiterim auctoritati Synodi chalcedonensis circa hunc Canonem. Agitur de facto posteritati commendato; cujus historicus sponsor, quique ut homo, illusioni subjacet: cum tamen dubitandum sit an revera in hac Synodo proposita sit ejusmodi quaestio et quidem coram universis Patribus qui convenerant.

Falsum quod, ajunt plures et illustres doctrina et pietate viros in quibus Gregorium nazianzenum et Timotheum alexandrinum Conciliabulo subscripsisse.

Falsum asserunt, quum confundant Synodum oecumenicam II. adversus Macedonium a Sede apostolica comprobatam, cui Meletius antiochenus praefuit, cum Conciliabulo, cui praesedit Nectarius.

Falsus hinc titulus *Canonici* Conciliabulo inscriptus, proindeque indigna praesumpta *Concilii oecumenici* appellatio.

Falsum quod putant Concilium oecumenicum decrevisse, ut episcopus constantinopoleos primatum habeat honoris post Episcopum Romanum, eo quod ista sit nova Roma.

Falsum item, qui ad Conciliabulum convenerint, episcopos statuisse hunc eumdem Canonem de primatu honoris post Pontificem Romanum antistiti constantinopolitano decernendo.

Falsa hinc sunt, quae continentur in Canone II. circa privilegiorum proprietates ecclesiis apostolicis sive patriarchalibus concessas, quasque praetenditur a Patribus fuisse comprobatas.

Falsum similiter putatur, in Conciliabulo septem Canones editos fuisse, cum ab aetate Dionysii Exigui innotescerent tantummodo tres ab eo latine versi.

Falsa denique, quae posteri graeci, nec non Orientis historici bona vel mala fide illusi, huic Conciliabulo superaedificarunt, privilegia ecclesiae constantinopolitanae inscribentes, quibuscum ecclesiis alexandrinae, antiochenae et caesariensi eam praestare arbitrati sunt; et hinc deinceps jurisdictionis paritatem sibi vindicare cum Ecclesia Romana: cum una sit Ecclesia Christi et unum ejusdem caput Petrus; nec ideo duae ecclesiae fundatae sint ab ipso Christo, nec duo capita statuta, quae eas regerent pari jurisdictionis honore cumulata; quod est absurdum.

Sed quorsum tandem, instabit aliquis a me petens, tanta sollicitudo pro Maximo et Timotheo; et ex adverso tantum studium contra Canonem Conciliabuli, quocum sedes constantinopolitana in secundo gradu post Romanam Sedem succedebat, posthabita sede alexandrina?

Ego vero huic respondens, interrogabo: ad quid tantum studium Conciliabuli contra duos antistites praefatos orthodoxos, legitime electos, a Sede apostolica adprobatos, iniquis tamen insimulationibus onustos et inter haereticos numeratos ab hujus Conciliabuli patronis?

Et quoad hanc petitionem pro me respondebit Theodoretus (Lib. V. c. VIII. locutus de Conciliabuli Patribus: « Hi omnes igitur, ait, cum se ab aegyptiorum communione tunc removissent, una cum magno Gregorio collectas celebrabant; et tunc elegerunt Nectarium episcopum Constantinopoleos. » Et amplius Sozomenes (Lib. VII. c. IX.) scribit in hoc Conciliabulo, damnatis omnibus haeresibus statutum est, ut: « omnes ubique locorum ecclesiae ex praescripto veterum Canonum regerentur: et

ut episcopi in propriis manerent sedibus; nec temere in extraneas pedem inferrent: neve in ordinationibus, nihil ad se pertinentibus, invocati se ingererent, sicuti antea saepe contigerat, dum Ecclesia Catholica persecutionibus vexaretur. Ea vero, quae in singulis provinciis contigissent, Synodus cujusque provinciae pro arbitrio suo ordinaret et constitueret. Praeterea, ut post episcopum urbis Romae, constantinopolitanus haberet honoris praerogativam etc. »

Ad quid ergo, iterum dico, Conciliabulum valde in hoc institit, ut ab aegyptiorum communione separaretur, et hinc episcopi manerent in propriis provinciis, nec se ingererent amplius in negotiis aliarum provinciarum?

Hoc autem totum factum est a Conciliabulo, ut episcopus constantinopolitanus sicuti et ceteri illius regionis se subducerent a jurisdictione episcopi alexandrini: qui ex privilegio secundae sedis post Romanam, sacra illarum provinciarum negotia componebat tam in episcoporum ordinatione, quam in ceteris quaestionibus. Et sane per hoc privilegium Petrus alexandrinus sacravit Gregorium episcopum Nazianzi; ac deinde collocavit eum in sede constantinopolitana. Ac per idem privilegium ex ejusdem Petri mandato postea Maximus ejusdem urbis ordinatus est episcopus, Sede apostolica adprobante. Et ob hoc ipsum Synodus aquilejensis ad Theodosium scribit, mandans Alexandriae adunari Concilium in quaestione Timothei et Paulini: quibus nempe impertienda communio, quibus servanda esset: « Nam, inquit, etsi alexandrinae ecclesiae semper dispositionem et ordinem tenuerimus, et juxta morem consuetudinemque majorum, ejus communionem insolubili societate servemus etc. » Item Theophilus alexandrinus hoc usus privilegio, irrito Canone Conciliabuli, Joannem Chrysostomum constituit episcopum Constantinopoleos. Et tantumdem Cyrillus explevit in quaestione Nestorii, hoc amoto ab episcopatu, et altero Maximiano in ejus locum suffecto.

Quamobrem hoc statutum et factum est non *ex praescripto veterum Canonum,* quod ipsi Conciliabuli Patres commenti sunt, sed ex praescripto Canonis nicaeni VI. Non ob persecutiones ecclesiarum, ut supponitur ab eisdem, antistites alexandrini se ingerebant in negotiis ecclesiarum Ponti et Asiae, sed ex veteri consuetudine Nicaeae sancita, cum Sedis apostolicae consensu, nisi fuerint antea cum partium satisfactione definita ab episcopis illarum regionum. Et cum haec ita sint ex allatis documentis, apertissime liquet, jure a Sede apostolica reprobata fuisse Conciliabuli decreta contra veterem Ecclesiae disciplinam pugnantia, in Synodo nicaena confirmatam.

Ac demum non est tantum de praerogativis sedis alexandrinae supra sedem Constantinopolitanam, de quibus modo instans quaero; ast et de eo, quod potissimum spectat ad Canonis VI. nicaeni textum sincerum et realem scopum a s. Leone Magno nobis traditum: qui talis hodie non

est, sicuti a Patribus 318. conceptus fuit, sed falsatus in omnibus suis partibus; et quidem ab illis, quibus curae erat se subducendi a jurisdictione episcopi alexandrini, qui secundam sedem post Romanam obtinebat. Et qui non solum supra totius Aegypti episcopos curam gerebat, sed et supra Asiae minoris et Ponti ecclesias. A qua jurisdictione, cum Conciliabuli Patres evadere conati sunt, una tamen confitebantur se antea ex prisca consuetudine sub ea contineri.

Et hoc est, quod Nectarius tunc explevit, occasione arrepta ex praesumpta Maximi et Timothei haeresi: quorum primus ex Petri alexandrini mandato episcopus Urbis regiae ordinatus est, et alter in sede alexandrina collocatus; utroque tamen in communione Ecclesiae Catholicae perseverante, veluti nuper dictum est. Cui surreptitio privilegio, etsi tunc et postea Sedes apostolica obsisteret, factum est ut episcopatus constantinopolitanus non solum ab alexandrini episcopatus, cui ab aetate apostolica subdebatur, obsequio se subtraheret, verum pedetentim, a Sede quoque apostolica deficeret, ac penitus scinderetur cum tot animarum scandalo. Quod quidem, iterum iterumque dicam, assecutus est cum aperta violatione disciplinae apostolicae, Canonum nicaenorum falsatione et sincerorum historiae monumentorum.

CAPUT X.

Disputatur contra authenticitatem Synodi plenariae carthaginensis adunatae adversus Commonitorium Zosimi Papae et Canonem nicaenum de appellationibus ad Sedem apostolicam.

In praecedentibus capitibus summam attigimus epistolarum Concilii carthaginensis ad Bonifacium et ad Caelestinum circa quaestionem Canonis nicaeni de appellationibus ad Sedem apostolicam. Quem Canonem ut genuinum Patrum nicaenorum foetum a Zosimo Papa citatum, episcopi afri ut apocryphum refutarunt: nosque ex adverso argumentis satis firmis usi, ejusdem propugnavimus sinceritatem, nec non aliorum Canonum, qui desiderantur in catalogo vulgato, apud veteres tanquam nicaeni assumpti. Nunc sedulo expendenda supersunt argumenta, quibus in duabus Synodis antistites afri refellerunt Zosimi decretum circa personam Apiarii presbyteri: qui suspensus a suo episcopo confugerat ad praefatum Pontificem. Admodum namque, uti ex sequentibus patefiet, ac diu laborarunt episcopi tam in hunc Canonem refutando quam pontificium decretum; ut se emanciparent a jurisdictione Sedis apostolicae. Eoque autem magis hoc alacriter tractandum est, quanto magis quod cujusque aetatis Pontificatus Romani hostes occasionem inde captarunt et captant se subducendi ab hujus jurisdictione.

Interea, quamvis intricatissima sese exhibeat quaestio, cujus subiturus sum examen, undique circumstantibus documentis, quibus, inspectis aetate ac eruditorum sententia virorum, qui authentica talia existimarunt, fidem negare videretur temerarium; nihilominus, cunctis inter se collatis, ac insuper in medium expositis veterum, coaevorumque Patrum et praesertim s. Augustini scriptis, quae nisi immediate, oblique saltem, referuntur ad argumentum, dubitandi nobis reserant viam de illorum integritate et auctoritate. Et haec sunt praecipua, epistolae nempe synodales ecclesiae africanae circa Apiarii appellationem ad Sedem apostolicam, una ad Zosimum, et altera ad Caelestinum, acta Conciliorum, quae utriusque Pontificis aetate adunata sunt ob eamdem causam, nec non interpellatio episcoporum afrorum ad antistites alexandrinum, antiochenum et constantinopolitanum de Canonum nicaenorum numero, horum episcoporum responsa, et demum obtestationes sive capitula Synodi africanae adversus Zosimi litteras et hinc contra Canonem nicaenum hujus disceptationis fontem.

Ven. Baronius sub an. 419. inquit: « Hoc eodem anno mense Maji legitur adunatam esse Synodum carthaginensem: quae ordine quinta di-

itur. Cui una cum Aurelio et apostolicae Sedis legatis interfuerunt ex rovincis africanis delecti judices sive legati, omnes 22. Quod vero in ne habetur subscripsisse 217. episcopos, intelligendum est, quod quisue postea subscripserit in sua ecclesia. » Pagius in notis duas ait colectas tunc Synodos, quas veteres Collectores sextam priorem vocarunt, eptimam alteram. In priori Concilio (quod dicitur plenarium) Canones 3. in posteriori Canones 6. editi sunt. In priore de appellationibus ad Romanam Sedem actum est occasione Apiarii siccensis presbyteri a suo piscopo ab ecclesia amoti: qui ad Zosimum appellarat; unde factum est t legatos destinaret, et Apiarii causam retractarent. Mortuo enim pau- post Zosimo, Apiarii causa in plenaria Synodo Africae hoc anno coata, disceptata est. » Ast frustra cum mihi videtur has eruditorum perequi opiniones, quae parum quaestioni satisfaciunt: potius ob oculos letorum his monumentis positis, nostro argumento aptis cumulentur aninadversionibus.

Epistola Concilii africani ad Bonifacium Papam.

1. « Quoniam Domino placuit, ut de his, quae nobiscum egerunt santi fratres nostri coepiscopus Faustinus et compresbyteri Philippus et Asellus, non beatae memoriae episcopo Zosimo, quod ad nos mandata t litteras attulerunt, sed tuae venerationi; qui in ejus locum es divinitus constitutus, humilitas nostra rescriberet; ea breviter insinuare deemus, quae utrorumque concordia terminata sunt, non ea quae prolixis estorum voluminibus continentur: in quibus, salva quidem caritate, non amen sine parvo altercationis labore demorati sumus, ea gestis delibanes, quae nunc ad causam pertinent: quamquam et ille, si adhuc esset n corpore, hoc accipere gratius, quod videret pacatius terminatum, domine frater.

2. « Apiarius presbyter, de cujus et ordinatione et excommunicatione t provocatione fuerat exortum non solum siccensi, verum etiam totius Africae ecclesiae non leve scandalum, de omnibus erratis suis veniam etens, communioni est restitutus. Prior autem coepiscopus noster siccensis Urbanus, quod in eo corrigendum visum est, sine ulla dubitatione correxit. Quia vero paci et quieti Ecclesiae non tantum ad praesens, ed etiam in posterum prospiciendum fuit; quoniam talia multa praeceserunt, ut vel similia vel etiam graviora deinceps praecaveri oporteret: lacuit nobis, ut de siccensi ecclesia, retento scilicet honore gradus sui, resbyter removeretur Apiarius, et accepto epistolio, ubicumque alibi ellet et posset, presbyterii munere fungeretur. Quod eidem ipsi per literas proprias postulanti sine difficultate concessimus.

3. « Sane priusquam haec causa isto termino clauderetur, inter alia, uae diuturnis disceptationibus versabamus, quia ratio ipsa poscebat, ut pud acta ecclesiastica a fratribus nostris Faustino coepiscopo et Philippo t Asello compresbyteris quaereremus, ut promerent quidquid eis agen-

dum nobiscum fuisset injunctum, nonnulla quidem sine ullo scripto prosecuti sunt verbis. Sed cum potius id flagitaremus, quod in litteris ferrent, Commonitorium protulerunt; quod recitatum nobis etiam gestis, quae secum ad vos deferunt, est alligatum. In quo eis quatuor quaedam nobiscum gerenda mandata sunt: unum de appellationibus episcoporum ad Romanae Ecclesiae Sacerdotem; alterum ne ad Comitatum episcopi importune navigent: tertium de tractandis presbyterorum et diaconorum causis apud finitimos episcopos, si a suis excommunicati perperam fuerint; quartum de Urbano episcopo excommunicando, vel etiam Romam evocando, nisi ea, quae videbantur corrigenda, corrigeret.

4. « Quorum omnium de primo et tertio, idest ut Romam liceat episcopis provocare, et ut clericorum causae apud suarum provinciarum episcopos finiantur, jam priore anno etiam litteris nostris ad eumdem venerabilis memoriae Zosimum Episcopum datis, insinuare curavimus, ut ea servare sine ulla ejus injuria paulisper sineremus usque ad inquisitionem nicaeni Concilii. Et nunc de tua poscimus sanctitate, ut et quemadmodum ea apud Nicaeam a Patribus acta vel constituta sunt, sic ea a nobis facias custodiri; et ibi apud vos ista, quae in Commonitorio attulerunt, faciat exerceri, idest *si episcopus* etc. (sicuti in praecedentibus Capitibus videre est).

5. « Haec utique usque ad adventum, donec authentica nicaeni Concilii afferantur exempla, verissimorum exemplariorum nicaeni Concilii inserta gestis sunt: quae si ibi, quemadmodum constituta sunt, et quemadmodum ipso, quod apud nos fratres ex apostolica Sede directi allegaverunt, Commonitorio continentur, eoque ordine vel apud vos in Italia custodirentur, nullimode nos talia, qualia commemorare jam nolumus, vel tolerare cogeremur, vel intolerabilia pateremur. Sed credimus, adjuvante misericordia Domini Dei nostri, quod, tua sanctitate Romanae Ecclesiae praesidente, non sumus jam istum typhum passuri. Et servabuntur erga nos, quae nobis etiam non disserentibus custodiri debeant cum fraterna caritate; quae secundum sapientiam atque justitiam, quam tibi donavit Altissimus, etiam ipse perspicis esse servanda: nisi forte aliter se habeant Canones Concilii nicaeni.

« Quamvis enim plurimos codices legerimus; sed nusquam in nicaeno Concilio in latinis codicibus legimus quemadmodum in supradicto Commonitorio inde directa sunt. » Ibi exposito desiderio graecos codices obtinendi ab Orientis ecclesiis, rogant Papam ut ipse scribat ad ipsas ecclesias, unde verissima exemplaria Canonum nicaenorum haberi possint, subdunt: « Quod donec fiat, haec, quae in Commonitorio supradicto nobis allegata sunt de appellationibus episcoporum ad Romanae Ecclesiae Sacerdotem, et de clericorum causis apud suarum provinciarum episcopos terminandis, nos usque ad probationem servaturos esse profitemur; et beatitudinem tuam ad hoc nos adjuturam in Dei voluntate confidimus.

Nam et si de inferioribus clericis vel de laicis videtur ibi praecaveri, quanto magis hoc de episcopis voluit observari? ne in sua provincia a communione suspensi a tua sanctitate praepropere, vel indebite videantur communioni restitui.

« 3. Presbyterorum quoque et sequentium clericorum improba refugia, sicuti et te dignum est, repellat sanctitas tua: quia et nulla Patrum definitione hoc Ecclesiae derogatum est africanae; et decreta nicaena, sive inferioris gradus clericos, sive ipsos episcopos suis metropolitanis apertissime commiserunt. Prudentissime enim et justissime viderunt, quaecumque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda. Nec unicuique providentiae gratiam Sancti Spiritus defuturam; qua aequitas a Christi sacerdotibus et prudenter videatur, et constantissime teneatur: maximae quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum, ad Concilia suae provinciae, vel etiam universale provocare. Nisi forte quisquam est, qui credat, unicuilibet posse Deum nostrum examinis inspirare justitiam; et innumerabilibus congregatis in Concilium sacerdotibus denegare. Aut quomodo ipsum transmarinum judicium ratum erit, ad quod testium necessariae personae, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, vel multis aliis impedimentis, adduci non poterunt?

« 4. Nam ut aliqui tamquam a tuae sanctitatis latere mittantur, in nulla invenimus Patrum Synodo constitutum: quia illud quod pridem per eumdem coepiscopum nostrum Faustinum tanquam ex parte nicaeni Concilii exinde transmisistis, in Conciliis verioribus, quae accipiuntur nicaeni *(graecus legit,* in exemplis verioribus Concilii nicaeni, quae accepimus) a sancto Cyrillo coepiscopo nostro alexandrinae ecclesiae, et a venerabili Attico constantinopolitano antistite, ex authentico missis, quae etiam ante hoc per Innocentium presbyterum et Marcellum subdiaconum per quos ad nos ab eis directa sunt, venerabilis memoriae Bonifacio Episcopo decessori vestro a nobis transmissa sunt, in quibus tale aliquid non potuimus reperire.

« 5. Executores etiam clericos vestros, quibusque petentibus, nolite mittere, nolite concedere; ne fumosum typhum seculi in Ecclesiam Christi, quae lucem simplicitatis et humilitatis diem, Deum videre cupientibus, praefert, videamur inducere.

« 6. Nam de fratre nostro Faustino (amoto jam pro suis nefandis flagitiis de Christi Ecclesia dolendo Apiario) securi sumus, quod cum probitate ac moderatione tuae sanctitatis, salva fraterna caritate, ulterius Africa minime patietur. »

Investigato itaque duarum epistolarum tenore, constat in primis Synodum africanam quater scripsisse de Apiarii negotio ad Sedem apostolicam. Unam epistolam Zosimo, duas Bonifacio, quartam denique Caelestino: quarum duae tantummodo, citatae nempe, supersunt. In prima epistola ad Zosimum, uti liquet a secunda ad Bonifacium n. 4. ajunt:

« *Jam priore anno etiam litteris nostris ad eumdem venerabilis memoriae Zosimum Episcopum datis, insinuare curavimus, ut ea servare sine ulla ejus injuria paulisper sineremus usque ad inquisitionem nicaeni Concilii.* In hac secunda vero ad Bonifacium et ea est, de qua agitur, dicunt n. 1. se ad ipsum rescribere Pontificem, *ea breviter insinuantes, quae utrorumque concordia terminata sunt.* Nihilominus existimarunt ipsi Pontifici indicare quidquid actum esset de Apiario, de illius ordinatione, excommunicatione, de suorum delictorum petita venia et ad communionem restitutione. Post haec narrant, quomodo legati pontificii Synodo exposuerunt Commonitorium Zosimi, ac statuta ab iis servanda in ejusmodi quaestionibus.

Item in altera epistola ad Caelestinum testantur, se per litteras ad Bonifacium praedecessorem suum transmisisse exemplaria verissima Canonum nicaenorum accepta ab Attico et Cyrillo. Attamen harum quatuor epistolarum nulla mentio hucusque servatur in actis Ecclesiae Romanae ita ut ignoretur, quanti factae sint a Sede pontificia rationes Patrum afrorum adversus Zosimi Commonitorium. Ea propter nobis liceat tam ex his duabus epistolis quam ab aliis documentis ejusdem aetatis et earumdem personarum, quae citantur in illis epistolis, hujus Synodi auctoritatem expendere, cum ad annos quinque perseverarit pugnans contra praefatum Commonitorium. Hae porro animadversiones jungendae illis sunt, quas superius compegimus pro authenticitate Canonis nicaeni de appellationibus ad Sedem apostolicam contra episcoporum afrorum et quorumvis veterum et maxime recentiorum praesumptionem; quibus schisma novum, praeter illud donatistarum, visum est tunc inter africanam et Ecclesiam Romanam ortum et propagatum. Quod falsum est.

Ac interim priusquam harum expendam epistolarum sensum, notare benevertit litteras Bonifacii a Mansio editas in Collectione labbeana et missas ad Faustinum, Asellum et Philippum legatos in Africam ob hanc quaestionem Apiarii, quarum tenor ejusmodi est: « Dilectionis vestrae pagina, teste presbyterio, recensetur (sensus confusus) etiam portitorum relatione noscetis, quantum gavisus est omnis chorus fraternitatis; et exultavit in Domino turba sanctorum; postquam auribus suis suspensum diu nuntium super incolumitate vestrae caritatis accepit. Consonante etiam voce laudata est, intellecta per litteras sui capitis sollicitudo membrorum. Vobis igitur et desideriis vestris Christus arrisit: qui dignatus est, et in unum revocare divisa et scissa sarcire. Quod fratribus et compresbyteris venientibus cito Dulcitio et Felice necesse est melius intimetur. Data VI. Kalendas Maji Monasio v. c. Cons. (Labbei Tom. IV. p. 452.). »

Celebratus Mansius in notis addit: « Hinc constat, dissidium illud, quod ante hos annos Ecclesia Romana et africana inter se commiserant, sub Bonifacio Papa sublatum fuisse, atque inter se convenisse. Id vero qua

ratione acciderit non patet: etsi suspicor, afros potius cessisse Romanae Ecclesiae in causa appellationum jure primatus sui. » Et sane, quamvis haec Bonifacii epistola a Mansio vulgata haud clarum praebeat sensum circa terminum quaestionis, tamen in Commonitorio iis inspectis, quae Zosimus ait Faustino et sociis legatis, collatisque ceteris, quae notantur in principio epistolae synodalis ad eumdem Bonifacium, educitur, tunc de Apiario quaestionem solutam fuisse cum partium concordia et Sedis apostolicae satisfactione. In hac enim Concilii epistola inquiunt Patres ad Pontificem se cum Faustino et sociis legatis convenisse: *ea breviter insinuare debemus, quae utrorumque concordia terminata sunt.*

Et hucusque pertingit genuina historia quaestionis Apiarii. Quae vero in praefatis synodalibus narrantur de Concilii actis, hujusmodi sunt, ut a nobis sedulam postulent operam, num reapse ab orthodoxis afris episcopis ea subscripta sint et probata, seu aliter donatistarum et Sedis apostolicae hostium commentis ea sint inscribenda, consideratis potissimum fervidis Concilii obtestationibus adversus Ecclesiae Romanae praerogativas de appellationibus.

Ego vero in primis cum valde anxius de his haererem, percurri Patrum et Pontificum monumenta, rimatus, si forte invenirem vel Bonifacii seu Caelestini responsi tenorem ad has afrorum epistolas: unde profecto quaestionis exitus magis illucesceret, patefacta pontificia definitione. Sed hucusque frustratus sum in meis investigationibus. De reliquo certum est, secundam Synodi epistolam in nonnullis variare a tertia. In secunda (prima enim deest) ajunt episcopi absolute ulla absque distinctione, tam Canonem de appellatione episcoporum ad Sedem apostolicam, quam alterum de clericorum appellatione non reperiri in catalogo Canonum nicaenorum. « Quamvis enim (scribunt ad Bonifacium) plurimos codices legerimus, sed nusquam in nicaeno Concilio in latinis codicibus legimus sicuti in supradicto Commonitorio, inde directa sunt, tamen quia hîc in nullo codice graeco ea potuimus invenire, ex orientalibus ecclesiis, ubi perhibentur eadem decreta posse etiam authentica reperiri, magis nobis afferri desideramus etc. Item alibi de modo prosequendae appellationis ad Sedem apostolicam c. VI. *De appellationibus clericorum,* addunt, *quod in nicaeno Concilio minime legimus.* » [1]

In primis siquis velit jure fuisse talia objecta ab afris Bonifacio, oportuisset tamen eosdem praxim considerare Ecclesiae sicuti et Canonem de quo agitur; quem, posito et non concesso, non esse nicaenum, stat tamen hujus praxis antiquitas ab aetate apostolica incessanter usque ad hanc Synodum pergentis, veluti in praemissis luculenter ostendimus. Ubi arbitrio Sedis apostolicae remittitur, vel scribendi ad episcopos finitimos provinciae ut rem scrutentur; aut vocandi ad se antistitum

[1] Labbei Tom. IV. p. 401. 411. 413. Item Tom. III. p. 706.

·eu legatos mittendi, qui una cum episcopis loci decernant.
ı sint, tollitur, quam praetendunt, difficultas constituendi
quitatis normam, quin nec Sedis pontificiae juri dero-
ntium satisfactioni.

Canoni nicaeno a Zosimo citato credere, credant
ıiac: in qua primum notantur Osius, Vincentius et
ntificii ad hanc Synodum. Idem factum est in Concilio
. Et hanc propter consuetudinem vicissim Cyprianus cum Sy-
africana scribunt ad Cornelium Papam de pace lapsis danda, qui
ın persecutione a fide defecerant, judicium expectantes Sedis apostolicae. Antonianus a Novatiani communione sejunctus, scribit ad Cyprianum de suo consensu cum Ecclesia Catholica; eidemque commendans, ut exemplar earumdem litterarum transmittat ad Cornelium, communionem cum isto professus. Item Cyprianus cum Synodo mittit ad Stephanum Papam, consilium petens de rebaptizandis iis, qui ab haereticis tincti erant. [1]

His itaque suffragantibus genuinis testimoniis, quid secus ab his aut novi egit Zosimus mittens legatos in Africam ad episcopos illius regionis, ut Apiarii causam retractarent, eisque communicarent decreta pontificia? Sive enim presbyteri, sive episcopi privati irent, seu episcopi in Synodo adunati mitterent ad Romanum Pontificem legatos cum epistolis synodalibus, aut Pontifices legatis cum litteris committerent referenda ad episcopos africanos quae decrevissent; in omnibus his casibus antistites afri, qui huic Synodo praecesserunt, tum pontificiam undique jurisdictionem testati sunt, sicuti tantumdem debitum illorum obsequium erga Petri Cathedram. Quare illuduntur epistolae auctores ad Caelestinnm, cum absolute ajunt in nulla Synodo inveniri constitutum, ut Sedes apostolica legatos mittat in illas provincias: sicuti illuduntur cum ab epistola Cypriani 59. ad Cornelium Papam de Felicissimo et Fortunato praetextum repererint refutandi appellationem ad Sedis apostolicae judicium; cujus epistolae sensum traduxerunt in Synodi acta.

In hac enim epistola legitur, Felicissimum et Fortunatum damnatos a Synodo africana, confugisse ad Cornelium Papam, qui falsis illorum adsertionibus illusus, atque minis fere adortus, communioni ecclesiasticae hos restituerat. Ea propter Cyprianus valde de hoc conqueritur cum Cornelio, eumque rogat et clerum romanum, ut se ab eorumdem abstineant communione. Quamvis autem merito Cyprianus ejusmodi corripiat pontificiam indulgentiam erga viros, qui, ut plerumque fit, sub resipiscentiae specie perfidiam abscondebant: nihilominus ab universo hujus epistolae conceptu infertur primo antiqua praxis in Africa exculta sicuti in ceteris orbis christiani provinciis confugiendi ad supremum Sedis

[1] S. Cypriani Opera a Pearsonio edita Amstelodani an. 1700. Epist. 55. 57. 59. 72.

apostolicae judicium: quod perfecerunt Felicissimus et Fortunatus conscii supra cunctos episcopos stare Petri Cathedram.

Ac propterea Cyprianus non conquestus est cum Papa, quod praefati viri ad illum appellarint: conquestus est de indebita utriusque absolutione. Nullibi dixit Cyprianus, eosdem contra ecclesiae africanae morem profectos esse, ut vulgo dicitur, ad loca transmarina, idest Romam, ubi et ipse testatur Petri Cathedram sitam esse et Ecclesiam principalem. Aegre tulit Cyprianus, quod ipsi a Synodo damnati, alios quaesierint judices, quos subdole et fallaci temeritate deciperent. De reliquo, sicuti antea ita et postea Cyprianus per epistolas communicavit cum Sede apostolica de illius provinciae negotiis: « Quod autem, ait, tibi de Fortunato isto pseudoepiscopo a paucis et inveteratis haereticis constituto, non statim scripsi, frater carissime: non ea res erat, quae in notitiam tuam deberet per nos festinato statim quasi magna aut metuenda perferri. » Similiter in fine s. Martyr persuasus intime de improbitate et malitia eorum, ac proinde non esse communioni catholicorum admittendos, Apostoli verbis usus, *praecipimus vobis in nomine Domini Jesu Christi, ut recedatis ab omnibus fratribus ambulantibus inordinate, et non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis:* « nulla societas, inquit, fidei et perfidiae potest esse. Qui cum Christo non est, qui adversarius Christi est, qui unitati et paci ejus inimicus est, nobiscum non potest cohaerere. Si cum precibus et satisfactionibus veniunt, audiantur. Si maledicta et minas ingerunt, respuantur. »

Etsi vero ob allatas circumstantias zelo ardenti hanc dedit epistolam Cyprianus, attamen non erat, nec est inde inferenda universalis et absoluta exclusio ab appellationibus ad Cathedram pontificiam. Talem exclusionem dico, quam cum suspensionis minis decreverunt Canonis africani auctores, asserentes: *ad transmarina autem, qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem suscipiatur.* Non refutat Cyprianus arbitrium invocandi judicium Ecclesiae Romanae: solummodo docuit in similibus casibus non esse audiendos a Sede apostolica, qui cum rei sint, non resipiscentes, ut absolvantur petunt, tanquam orthodoxi et innocui. Denique non ait Cyprianus utrumque Felicissimum et Fortunatum Romam, obstante ecclesiae africanae consuetudine, confugisse. Talem namque consuetudinem ille ipse pro tempore, ita circumstantiis postulantibus, religiose custodivit, tam in hac quam in ceteris quaestionibus ibidem promotis; sicuti in praemissis dictum est.

De reliquo ducentos et amplius episcopos vix arbitror talia ignorasse disciplinae ecclesiasticae instituta, nec non Patrum de his perspicua documenta. Verumtamen si in praefatis epistolis antistites afri in Synodo congregati vix talia scribere potuerint; quanto magis non est putandum, eosdem illusione captos esse in citandis Canonibus nicaenis, eisque explanandis. Dicunt enim, non solum Canonem de appellationibus

episcoporum ad Sedem apostolicam deesse in elencho vulgato sed et Canonem alterum de clericorum appellationibus ad episcopos provinciae. Si enim primus desideratur; nequaquam alter.

In Canone V. quamvis non eadem verba recitentur, sicuti notantur in Canone citato a Zosimo, nihilominus sensus idem praeclarissime exprimitur: « De iis, statuit Synodus, qui a communione segregati sunt, sive illorum qui sunt in ordine cleri, aut illorum, qui sunt ordine laicorum, ab episcopis etc. » Tanta vero perspicuitate declaratur hic Canon V. ut postea in altera epistola ad Caelestinum iidem Patres africani confessi sunt propriam illusionem, (quod vix putandum est, dixi, de tanto episcoporum numero, in quibus Aurelius et Augustinus) asserentes Synodum nicaenam talia statuisse circa clericorum appellationes: « *Nam et si de inferioribus clericis vel laicis,* ait, *videtur ibi praecaveri* etc., quod antea negarunt.

Praeterea, etsi in hac eadem epistola quaedam allegentur in Synodo nicaena statuta circa clericorum appellationes ad episcopos provinciae, alia tamen adjiciuntur ab africanis definita, quae in elencho vulgato desunt: nec multo minus notantur inter Canones epistolis pontificiis insertos. Inquiunt enim antistites afri ad Caelestinum: « Praefato itaque debitae salutationis officio, impendio deprecamur, ut deinceps ad vestras aures hinc venientes, non facilius admittatis, nec a nobis excommunicatos, in communionem ultra velitis accipere: quia hoc etiam in nicaeno Concilio definitum facile advertet venerabilitas tua. Nam et si de inferioribus clericis et laicis videtur ibi praecaveri; quanto magis hoc de episcopis voluit observari, ne in sua provincia a communione suspensi, a tua sanctitate praepropere vel indebite videantur communioni restitui.

« Presbyterorum quoque et sequentium clericorum improba refugia sicuti et te dignum est, repellat sanctitas tua: quia et nulla Patrum definitione hoc ecclesiae derogatum est africanae; et decreta nicaena sive inferioris gradus clericos sive ipsos episcopos suis metropolitanis apertissime commiserunt. »

Jam praemisi quaedam extra sensum Canonum vulgatorum huic epistolae synodali inserta fuisse. Et sane, cum antistites ajunt, in Concilio nicaeno absolute definitum esse, quod excommunicati a Synodo, non sint ultra recipiendi in communionem; ac paulo post subdunt, ex eodem decreto nicaeno statui tam clericorum tam episcoporum appellationes committendas esse metropolitis provinciae, hoc nullimode eruitur a statutis nicaenis, nec a Canone V. neque ab aliis Canonibus; quos ab exemplaribus graecis descriptos Atticus et Cyrillus misisse dicuntur ad Synodum africanam. Ceterum, ut saepius dictum est de appellationibus episcoporum, Patres nicaeni aliter decernentes quam statuerunt de clericis inferioribus, Canonem peculiarem condiderunt, et quidem illum postea surreptum a catalogo genuino; ubi agebatur de Sedis apostolicae prima-

tu, ad cujus judicium episcoporum quaestiones referendae erant juxta priscam consuetudinem, norma exposita, qua facilius institueretur judicium cum partium satisfactione. Et hinc ille tolleretur praetextus ab afris objectus Papae, ne accederent ad Sedem pontificiam, ob difficultates nempe derivatas ex itineris longitudine, aut aetatis incommodis, aliisque impedimentis, consideratis praecipue regionibus transmarinis, ubi instituendum erat judicium, vel innovandum.

Praefatis animadversionibus circa duas epistolas synodales non est omittendus Codex a Joanne Mansio editus, in quo continetur historia eorum, quae in africano Concilio statuta sunt in causa Apiarii. In hoc enim Codice (Labbei Tom. IV. p. 420.) praeter discussa notatur circumstantia (in duabus epistolis omissa) quam Patres afri obtulerunt Bonifacii considerationi circa Canonum nicaenorum elenchum, cui deerat Canon de appellationibus ad Sedem apostolicam, asserentes hunc elenchum Caecilianum carthaginensem, qui huic Synodo adstitit, secum in Africam adsportasse, ita ut non esset dubitandum de horum Canonum sinceritate cum exclusione Canonis in quaestione: « Omne Concilium dixit (Aurelio): exemplaria fidei et statuta nicaenae Synodi, quae ad nostrum Concilium per beatae recordationis olim praedecessorem tuae sanctitatis, qui interfuit, Caecilianum episcopum allata sunt, sed et quae Patres ea exemplaria sequentes, hîc constituerunt, vel nunc communi tractatu constituimus, his gestis ecclesiasticis inserta manebunt. » Paulo post Aurelius episcopus dixit: « Haec ita apud nos habentur exempla statutorum, quae tunc fratres nostri de Concilio nicaeno secum detulerunt, cujus formam servantes, haec quae sequuntur constituta, a nobis custodientur etc. »

Quamvis autem haud spernendum videretur hoc de Caeciliano documentum, qui acta et Canones de nicaena Synodo in Africam detulit, nullum, tamen vestigium occurrit in utraque epistola synodali ad Sedem apostolicam. Insuper ibidem dicunt Patres Caecilianum solum, nec alium cum eo ex episcopis afris, Synodo nicaenae interfuisse et inde Canones illos exportasse. Aurelius vero paulo post subdit, *fratres nostros de Concilio nicaeno secum haec statuta detulerunt,* quasi plures antistites africanae Synodo adstitissent: quod non probatur.

Ex allatis itaque discussionibus supra duas epistolas synodicas, infertur 1. illusio auctoris epistolae ad Bonifacium et hinc contradictio cum auctore alterius ad Caelestinum. In prima dicitur inter notos Canones nicaenos desiderari Canonem de appellationibus clericorum ad episcopos provinciae sive ad metropolitam. Quod ita falsum est, ut Patres in altera synodali ad Caelestinum coacti sint emendare, quod assertum erat in prima et subscriptum in Synodo plenaria a 217. episcopis. Probrosum ceterum esset tot episcopos ignorasse essentiam canonum nicaenorum ita ut cogerentur postea emendare quod antea admiserant, ac amplius nescisse quot episcopi afri Synodo nicaenae adstiterint.

2. Falsum probatur quod iidem Patres afri praetenderunt, in nulla Synodo reperiri statutum de legatis pontificiis mittendis in regiones longinquas de rebus ecclesiarum tractaturis: sicuti tantumdem infertur illoeum inscitia in citandis litteris s. Cypriani.

3. Gratis insuper asserunt in vulgato Canonum nicaenorum elencho statui, tam clericorum quam episcoporum causas et appellationes committendas esse metropolitis provinciae.

Demum ab eisdem epistolis et ab actis synodalibus deducitur, Patres, qui huic Concilio adstitisse dicuntur, omne consummasse studium in scindenda ecclesia africana a Sede apostolica. Quapropter cum vix putandum sit episcopos afros, in quibus Aurelium, Augustinum, subscripsisse huic Synodo sicuti et praefatis epistolis, valde suspicandum est, ejusdem acta et Canones huic inscriptos commentum fuisse cujusdam donatistae Ecclesiae Romanae hostis. Cui commento vel potius rapsodiae documentorum auctoritatem comparare existimavit, orthodoxorum episcoporum nomina mutuatus, qui Synodo plenariae et orthodoxae adversus Pelagium et Caelestium subscripserant. Et hoc in sequentibus.[1]

Novissime, nequis et quoad praefata et quae deinceps dicenda sunt de donatistarum perfidia, putet me temere talia pronunciare, audiatur quod scribit Augustinus in epistola 141. « Sed cum olim legimus, donatistas vi et audacia armatos, fuisse etiam eruditos mentiendi artifices, miramur eam eorum fuisse impudentiam, ut non modo semper jactarunt se vicisse, ubi victi erant; sed etiam in Collatione carthaginensi Optati Librum, qui narrabat illorum damnationem, protulerint tanquam testem suae victoriae et absolutionis: cum eum sic mutilassent atque corrupissent, ut omnia invertisse viderentur. »

---

[1] Caelestinus Papa ad episcopos Galliarum n. 3. de Augustino scribit (Coustant. p. 1187.): « Augustinum sanctae recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus: nec unquam hunc sinistrae suspicionis saltem rumor adspersit. Quem tantae scientiae olim fuisse meminimus, ut inter magistros optimos etiam ante a meis semper decessoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in communi senserunt, utpote qui ubique cunctis et amori fuerit, et honori. »

CAPUT XI.

Ex praemisso ejusdem Synodi de appellationibus actuum examine, collatisque Augustini, Prosperi et aliorum documentis, magis convincitur, hanc Synodum schisma redolentem, cujusdam donatistae commentum haberi, perperam orthodoxis Patribus inscriptum.

Post haec admodum nostrae conferet disquisitioni, praefatis epistolis synodalibus, alteram Augustini de eadem re objicere epistolam circa idem tempus missam ad Caelestinum. Augustini inquam, qui huic quidem epistolae, sicuti duabus praemissis dicitur subscripsisse, veluti in actis notatur illius Synodi.

Augustinus in epistola 209. ad Caelestinum Papam circa an. 423. cum eo gratulatus de sua pacifica electione, ei exponit causam Antonii episcopi fussalensis: qui in administratione ob quosdam reatus damnatus, appellaverat ad Sedem apostolicam. Quare s. Doctor hortatur Papam, ut latam in ipsum sententiam vigere sinat: « Primum (ita incipit epistola) gratulationem reddo meritis tuis, quod te in illa Sede Dominus Deus noster sine ulla, sicuti audivimus, plebis discissione constituit. Deinde insinuo sanctitati tuae, quae sint circa nos, ut non solum orando pro nobis, verum etiam consulendo et opitulando subvenias. » Deinde transit in quaestionem et ait: n. 4. « Quid faciam? Nolo apud tuam venerationem gravare, quem nutriendum collegi: nolo deserere, quos colligendos timoribus et doloribus parturivi. Et quomodo utrumque agam reperire non possum. Res quippe ad tantum scandalum venit, ut in eum hîc apud nos causas dicerent, qui de illius episcopatu suscipiendo, tanquam bene sibi consulentibus, obtemperaverant nobis. In quibus causis cum stuprorum crimina capitalia, quae non ab ipsis, quibus episcopus erat, sed ab aliis quibusdam objecta fuerant, probari minime potuissent; atque ab iis, quae invidiosissime jactabantur, videretur esse purgatus, tam miserandus factus et nobis et aliis, ut quidquid a castellanis, et illius regionis hominibus de intolerabili dominatione, de rapinis, atque diversis oppressionibus et contritionibus objiciebatur, nequaquam nobis tale videretur, ut propter hoc, vel propter simul cuncta congesta, episcopatu eum putaremus esse privandum; sed restituenda, quae probarentur ablata.

5. « Denique sententias nostras sic temperavimus, ut salvo episcopatu, non tamen omnino impunita relinquerentur, quae non deberent vel eidem ipsi deinceps iterumque facienda, vel ceteris imitanda proponi. Honorem itaque integrum servavimus juveni corrigendo; sed corripiendo minuimus potestatem, ne scilicet eis praeesset ulterius, cum quibus sic egerat, ut dolore justo, cum sibi praeesse ferre omnino non pos-

9. « Quia ergo pastorali vigilique custodia beatissimus Papa Bonifacius in epistola sua posuit, de Antonio loquens episcopo, et ait: *si ordinem rerum nobis fideliter indicavit.* Accipe nunc ordinem rerum, quem ille in suo libello; ac deinde quae post ejus sanctae memoriae viri in Africa lectas litteras, gesta sunt: et subveni hominibus opem tuam, in Christi misericordia multo avidius, quam ille, poscentibus, a cujus inquietudine desiderant liberari. Judicia quippe illis et publicas potestates et militares impetus tanquam executuros apostolicae Sedis sententiam, sive ipse, sive rumores creberrimi comminantur, ut miseri homines christiani catholici graviora formident a catholico episcopo, quam, cum essent haeretici, a catholicorum imperatorum legibus formidabant. Non sinas ista fieri obsecro te per Christi sanguinem, per apostoli Petri memoriam, qui christianorum praepositos populorum monuit, ne violenter dominentur in fratres. Ego fussalenses catholicos filios meos in Christo et Antonium episcopum filium in Christo meum benignitati caritatis sanctitatis tuae, quia utrosque diligo, utrosque commendo. »

In primis nemo erit, qui ignoret epistolas synodales episcoporum afrorum ad Bonifacium ac illam praesertim ad Caelestinum, quibus dicuntur subscripsisse Aurelius, Valentinus, Augustinus ceterique antistites illius regionis ducenti et amplius, arctissimam praeferre analogiam cum hac eadem Augustini ad praefatum Caelestinum tam circa aetatem, tam circa litterarum essentiam, tam circa personas, ad quas missae fuerant, tam quoad episcopos, quorum potissimum intererat negotium, de quo disputabatur.

In epistolis synodalibus, sicuti citantur in Collectione labbeana cum subcriptionibus Aurelii, Valentini, Augustini et ceterorum, agitur praecipue de Apiario: qui excommunicatus confugerat ad Zosimum Papam, a quo absolutus est, valde aegreferentibus episcopis afris per dictas litteras ad Bonifacium et Caelestinum. In hac vero Augustini ad Caelestinum sub idem tempus, eadem agitatur quaestio cum circumstantiis eismet notatis in praecedentibus synodalibus, tantummodo mutata persona. Ille erat Apiarius presbyter: iste erat Antonius fussalensis, qui episcopatu privatus confugit ad Bonifacium; a quo absolutus est.

In hoc tamen valde mirum, quod Augustinus tam in hac epistola ad Caelestinum, quam in aliis tractatibus editis sub Pontificatu antecessorum Zosimi et Bonifacii, ne verbum quidem adjecit, non dicam de Apiario bis damnato a Synodo et bis absoluto a Sede apostolica, sed et de controversia ideo promota inter episcopos africanos et Ecclesiam Romanam circa Canonem nicaenum de appellationibus ad Sedem apostolicam, et maxime de eorumdem episcoporum (in quibus Valentinus et ipse Augustinus) obtestationibus adversus hunc Canonem. Qualis controversia ad quinque vel sex annos perdurasse videretur, bis adunatis episcopis, ut de hoc negotio decernerent: et ex adverso quaestionem tunc

agitatam sub Pontificatu Bonifacii et Caelestini dicit Augustinus aliter versari supra Antonium episcopum fussalensem, qui suspensus confugerat ad Episcopum Romae.

Praeterea quamvis idem sit argumentum epistolae Augustini ad Caelestinum et alterius Synodalis (cui subscripsisset s. Doctor) ad ipsum Papam, nihilominus fatendum est discrimen, quod in utriusque expositione intercedit. In s. Augustini litteris, ex quibus videre est ecclesiae africanae mentem, ubique praefulgent obsequium et reverentia erga Petri Cathedram. Rogat namque Pontificem ut consulat et opituletur huic ecclesiae. Una cum debita submissione exponit Caelestino totum quod factum est de Antonio, qui reapse reus, primati tamen Valentino et per hunc quoque illusit Bonifacio Papae, ut absolveretur, ne debita poena multaretur. In quo, cum hinc nimiam pontificiam lenitatem erga delinquentem arguat Augustinus, inde delinquentis ipsius arrogantiam considerationi Papae proponit, adeo ut videretur Antonius, ceu innoxius, immerito fuisse damnatus.

Quapropter s. Doctor decretum repetens Bonifacii circa eumdem emissum cum conditione, *si ordinem rerum nobis fideliter indicavit (Antonius)* precatur Caelestinum, ut nimiam indulgentiam temperet erga eumdem; ac subveniat populo christiano opem ab eo postulanti contra ipsius Antonii petulantiam, et maxime contra pontificiae sententiae executores. Et haec Augustinus Caelestini sapientiae consideranda mittit; ac una ab eo petens opem et consilium.

Ex adverso in epistolis synodalibus ad praefatos Pontifices ac potissimum illa ad Caelestinum circa eamdem quaestionem, mutatis solummodo personis, aliter valde se continuerunt antistites afri (in quibus ipse Augustinus) erga venerandam Petri successoris personam. Epistola synodalis ad Caelestinum de Apiario presbytero siccensi et de Urbano ejus episcopo hac, dixi, aetate data est, qua scripsit Augustinus de Antonio episcopo fussalensi a Bonifacio absoluto, de hac absolutione conquestus. In epistola synodali antistites Augustinus ceterique, Caelestino expositis causis, vario nimirum genere nefandis Apiarii criminibus, et hinc ejusdem damnatione, in primis deprecantur Papam, *ne Romam venientes ab ipsis excommunicatos non facilius admittatis, nec ultra excipere velitis in communionem: quia hoc etiam in Concilio nicaeno definitum est.* Deinde pergunt litterae statuentes presbyterorum causas committendas esse metropolitarum judicio; *nec enim unicuique deesse dicentes gratiam Sancti Spiritus providentiae: maxime quia unicuique concessum est, si judicio offensus fuerit cognitorum (idest judicum) ad Concilia suae provinciae vel etiam universale provocare.* Insuper addunt, *in nulla Synodo invenisse constitutum, ut aliqui a tuae sanctitatis latere mittantur.* Item, *executores etiam clericos vestros quibusque petentibus nolite mittere, nolite concedere.* Novissime obtestati sunt, *Africam minime ulterius passuram fuisse*

Faustini praesentiam in Apiarii causa. Faustinum inquam episcopum Zosimi legatum in Africam.

Et quomodo hoc in africana ecclesia statutum ac patratum foret, quando tunc stante Bonifacii et Caelestini Pontificatu, testeque Augustino in his litteris, ipse de ejusmodi negotio consuluit Caelestinum, ac insuper addit ipsum Antonium damnatum in Synodo provinciali, confugisse ad Bonifacium, ac una obsecrasse Valentinum episcopum, ut pro se scriberet ad eumdem Papam, et sic vicissim; nisi antiqua et continuata consuetudo perrexisset, ejusmodi negotia referendi ad Petri Cathedram? Et ob hoc dicebat Augustinus n. 8. *Existunt exempla, ipsa Sede apostolica judicantè et judicata firmante,* praesertim in ejusmodi causis. De reliquo aliud est in his casibus hortari Papam, ne illudatur praepropere pronuncians judicium; et aliud quidem est absolute decernere, ne similes quaestiones referantur ad tribunal Episcopi Romani.

Cernito itaque quanta sit sensuum discrepantia in beati Augustini epistola ad Caelestinum, collata cum praemissis Synodi africanae obtestationibus absolute redactis in hac epistola: quae undique arrogantiam spirat et defectionem a Sedis pontificiae auctoritate, aliter omnino ab eo quod manifestatur in Augustini scriptis. Et si liceat aliquid amplius addere de epistolae synodalis tenore; haec videretur normam secuta Concilii antiocheni ab ariomanitis adunati adversus fidem et Canones disciplinares Synodi nicaenae. Quod confirmatur a Canone 34. ejusdem Synodi afri (Labbei Tom. IV. p. 431.) ubi dicitur: « Item placuit, ut presbyteri, diaconi vel ceteri inferiores clerici in causis quas habuerint, si de judiciis episcoporum suorum questi fuerint, vicini episcopi eos audiant: et inter eos quidquid causae fuerit, finiant consentientes eorum episcopi. Quod si et ab eis provocandum putaverint, non eis permittatur, nisi ad primates suarum provinciarum, aut ad universale Concilium sicuti et de episcopis constitutum est. *Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem suscipiatur.* [1]

Et haec sunt quidem eadem, quae ab initio donatistae propugnarunt adversus definitiones transmarinas. Augustinus in Libro De gestis Emeriti hujus sectae viri n. 9. ait, Maximianum diaconum carthaginensem excommunicatum esse a Primiano: « Ille perrexit ad episcopos vicinos: concitavit invidiam Primiano, et accusavit eum apud ipsos. Ventum est ad Carthaginem. Voluerunt qui venerant multi episcopi donatistae, ad se venire Primianum; sicuti voluerunt majores istorum ad se venire Caecilianum. Factione cognita, noluit ad istos venire Primianus, sicuti ad illos noluit venire Caecilianus. Damnatus est ab illis absens Primianus ... Damnati sunt maximianistae, sicuti a peregrinis episcopis et transmarini-

[1] Vide Tom III. p. 720. c. 19. p. 727. c. 28. Item p. 822. c. 122. c. 125.: ubi eaedem innovantur schismaticae obtestationes.

nis, absoluto Caeciliano, meruit damnari Donatus. » Et in Libro ad donatistas post Collationem n. 17. an. 412. scribit idem doctor: « Adhuc dies erat, quando volentes destruere judicium Romani Pontificis Melchiadis, quo purgatus et absolutus est Caecilianus, etiam ipsum Melchiadem traditorem fuisse dixerunt. » Et quid aliter ab horum donatistarum mente sapiunt Canonis 34. et synodalium epistolarum verba frustra repetita a Synodo nicaena, quibuscum decernitur, metropolitarum judicio committendas esse causas presbyterorum et episcoporum, exclusa appellatione ad loca transmarina idest ad Sedem apostolicam? et cum amplius praetenditur in his casibus, nequaquam deesse unicuique episcoporum gratiam providentiae Spiritus Sancti; qua conceditur, siquis in judicio offensus fuerit, ad Synodum provincialem vel universalem provocare, quin ultra mare causam tsansferat?

Oh quantum Cathedrae pontificiae injuriosus et schismatis provocator talis sermo, diversus quidem ab illo, quo alibi usus est Augustinus, Caelestinum obsecrans, non arguens; precatus non mandans; consilium petens ab eo et opem, nec decernens quid agendum foret. Submisse ad Papam locutus est, nec absolute restitit ipsius voluntati. Quapropter quicumque putat, Augustinum subscripsisse huic Canoni et epistolae synodali ad Caelestinum, necessitati cederet affirmandi, beatum Doctorem ejusmodi induisse hominem erga Petri successorem ut, ceu instabilis vir, circumstantiis potius serviret ac partibus quam rei veritati; cum secus in cunctis suis scriptis ac tota vita sua prae ceteris africanis episcopis integrum firmumque servarit obsequium erga Petri Cathedram unam orbis christiani magistram.

Ceterum in praefata quaestione non solum digna putatur animadversione Augustini epistola ad Caelestinum, cujus dictatum non conformatur tenori duarum epistolarum synodalium (quibus subscripsisse dicitur) sicuti nec multo minus Canoni, ubi absolute vetatur appellatio ad Sedem apostolicam, ita ut jure aliter quam orthodoxi reputandi sint hujus Synodi auctores ab aetate Augustini ignoti: sed et quod sequitur, rite expensis gestis Conciliorum, quae in Africa adunata sunt sub Pontificatu Innocentii, Zosimi et a Bonifacio et Caelestino confirmata, ac praesertim Concilii plenarii: quo convenerant 214. circiter episcopi illius regionis. Harum enim gesta Synodorum talia sunt, ut si conferantur cum ipsius Augustini scriptis, s. Prosperi aquitani et aliorum, qui, quae tunc auribus suis audierunt de quaestionibus in Africa agitatis et quae ab episcopis definita sunt et a Sede apostolica confirmata, enarrarunt testes sinceri, sequeretur, Patres africanos nequaquam adunatos esse in Synodo praesertim plenaria, ut discuterent causam Apiarii et jura pontificia circa appellationis ordinem, nec scripsisse de his ad praefatos Pontifices; nec obtestationes nec Canones emisisse, unde videretur episcopatus africanus scissus ab Ecclesia Romana; verum convenisse tantummodo judi-

candi et anathematizandi haeresim pelagianam in ea regione et alibi tunc invalescentem.

Et re quidem vera: Augustinus in epistola 215. (Tom. II.) ad Valentinum et fratres monachos, eis mittens libros *De gratia et libero arbitrio* n. 2. ait: « Quod enim scriptum est ad Papam Innocentium, Romanae Urbis episcopum de Concilio provinciae carthaginensis et de Concilio Numidiae et aliquanto diligentius a quinque episcopis, et quae ipse ad tria ista rescripsit: item quod Papae Zosimo de africano Concilio scriptum, ejusque rescriptum ad universos totius orbis episcopos missum, et quod posteriori Concilio plenario totius Africae contra ipsum errorem breviter constituimus; et supra memoratum librum meum, quem modo ad vos scripsi: haec omnia et in praesenti legimus cum ipsis et per eos misi ad vos. »

Item s. Doctor in Libro De gestis cum Emerito donatista, Consulibus Honorio XII. et Theodosio VIII. quo tempore adunata est Synodus plenaria adversus pelagianos, ait se 12. Kalendas Octobris cum aliis episcopis Caesaream venisse, ut conferret cum donatistis. De quaestione vero appellationum, tunc promota et longius protracta ad quinque fere annos ab episcopis africanis, ut vulgo creditur, ne verbum quidem. Aurelius carthaginensis in litteris ad omnes Africae antistites anno post Synodum sub Consulatu Monaxii et Plintae, ait in ea Synodo plenaria, cui ipse subscripsit, damnatos Pelagium et Caelestium, nulla facta mentione de appellationum jure.

Siquis vero Augustini testimonium de iis, quae tractata sunt in his Synodis et maxime plenaria, adversus haeresim pelagianam, et ubi nulla mentio alterius quaestionis de appellationibus ad Sedem apostolicam, parvipendat, asserens ex s. Doctoris et Aurelii silentio non esse inferendum, Patres afros hanc praetermisisse discussionem, quippe non pertingeret argumentum ab eis tractatum: mecum adeat Chronicon s. Prosperi eamdem Synodi degentis aetatem. Qui, uti chronista, cuncta et singula pro tempore Ecclesiae gesta enarravit.

Prosper itaque scribit: « Theodosio VII. et Palladio..... Zosimus XXXIX. Romae Ecclesiae episcopatum suscipit an. 1. mensibus IX. diebus IX. Quo tempore pelagianis jam a Pontifice Innocentio praedamnatis, afrorum vigore et maxime Augustini episcopi scientia resistebatur... Honorio XII. et Theodosio VIII. Coss..... Concilio apud Carthaginem habito 214. episcoporum, ad Papam Zosimum Synodi decreta perlata sunt: quibus probatis, per totum mundum haeresis pelagiana damnata est..... Romanae Ecclesiae XL. episcopatum agit Bonifacius annis tribus, mensibus XIII. dies VI. Monaxio et Plinta Coss. Hoc tempore fuit tertium schisma: Eulalio antipapa per Honorium Caesarem ejecto, quod duravit annis duobus etc. » Idem s. Prosper in Libro contra Collatorem c. V. n. 3. citat 214. episcopos, qui damnarunt Pelagium et Coelestium.

Hoc idem adstruit Paulinus Diaconus in Libello ad Zosimum, qui inter primos insurrexit adversus Caelestium, inquiens: « Ego tamen Deo et Christo Domino gratias ago, quod Ecclesiae suae causam ita agi voluit, ut Sedes apostolica, a qua oportuit ore duorum Pontificum haeresim condemnari, ea damnando praecepit, quae a me Caelestio fuerant objecta etc. (Labbei Tom. IV. p. 382. »

Photius in Bibliotheca c. 52. scribit: « Synodus adversus Pelagium et Caelestium Carthagine in basilica Fausti habita, Honorio imperii Occidentis clavum tenente. Praesedit in ea Aurelius episcopus et Dotianus teleptensis primae sedis byzacenae provinciae.... Damnat haec Synodus anathemate eos, qui asserunt, Adam mortalem esse editum; non autem praevaricationis causa morte multatum. »

Cum ergo tot et tantae auctoritatis sint testes, qui Concilii plenarii acta contra pelagianos meminerunt: nequaquam ita factum est de Concilio universali africano adunato circa prosecutionem appellationum ad Sedem apostolicam. Nemo enim praefatorum veterum scriptorum hanc citat Synodum, praesertim considerato chronistarum studio. Praeterea ab hujus Synodi vulgata historia constat an. 418. adunatum Concilium et anno sequente 419. scriptam fuisse a Patribus epistolam ad Bonifacium Papam de hoc argumento; ac insuper quatuor fere annos post aliam epistolam ab eisdem episcopis subscriptam, missam fuisse ad Caelestinum. Quare necessario sequitur praedictos 217. episcopos, vel ad annos quinque Carthagine adunatos perstitisse (quod vix creditur, animadversis variis episcoporum et incessantibus curis): aut anno 419. litteris synodalibus ad Bonifacium subscriptis, unumquemque ad suas dioeceses reversum esse, ut denuo post quatuor annos convenirent de eadem quaestione disceptaturi in eodem Concilio plenario, et relaturi ad Caelestinum ab ipsis definita, altera epistola synodali innovata. Quod pariter vix credendum est, sive definitioni episcoporum attendatur, sive magis silentio illorum, quorum valde intererat meminisse Synodi acta, praesertim Augustini, cui absolutae necessitatis erat in litteris ad Caelestinum invocandi hanc Synodum; in qua una cum Patribus adstiterunt legati pontificii, et normae institutae sunt circa hanc de appellationibus causam.

Hanc autem praeteritionem ex tantorum virorum parte, non fugit Bernardum Van-Espenium, qui de Concilio VI. carthaginensi an. 419. disserens in Opere scribit: [1] « Sed cum acta prioris illius Synodi interciderint; aut saltem hactenus reperta non sint: nec in actis posterioris Concilii dicatur quo loco, aut a quibus Conventus ille sit habitus, sat obscurum est, cujus loci Conventus ille fuerit. Verisimile est, priorem illam Synodum, in qua primum exceptus fuit Faustinus et ejus Commonitorium re-

[1] Jus ecclesiasticum universum Tom. VII. p. 168. §. X. Art. 2. Edit. Lovanii an. 1766.

citatum, illum ipsum esse Conventum; quem ex occasione litterarum Zosimi habitum esse non apud Carthaginem, sed in Mauritania caesariensi, atque in ipsa civitate caesariensi, asserit Augustinus. » Ibidem ait, declinante an. 418. in Mauritaniam venisse Augustinum ad terminandas Ecclesiae illius necessitates: ac ibi putat Apiarii causam fuisse agitatam.

Epistolae vero, ad quam Van-Espen appellat, s. Doctor meminit in litteris 190. ad Optatum (Tom. 2. p. 700.) ubi ait: « Illae litterae, quas ad Mauritaniam caesariensem misisti, me apud Caesaream praesente, venerunt: quo nos, injuncta nobis a venerabili Papa Zosimo apostolicae Sedis Episcopo ecclesiastica necessitas traxerat etc. » Qualis vero fuerit talis necessitas pergendi in hanc civitatem explicat in c. 51. *Retractationum*, inquiens: « Orta nobis est necessitas pergendi in Mauritaniam caesariensem. Ibi apud ipsam Caesaream Emeritum donatistam episcopum vidimus, unum scilicet eorum septem, quos pro suae causae defensione delegerant; et qui in eadem causa laboraverat etc. » Possidius vero in Vita s. Augustini addit: « et ob pugnam inter cives illius urbis ortam ob quosdam gentilium mores, quibus addicebantur, huc advenisse s. Doctorem.

Quamobrem cunctis resumptis discussionibus supra Augustini epistolam ad Caelestinum, confirmatur primum, Apiarii presbyteri causam, mediante legatione romana, fuisse definitam ab initio Pontificatus Bonifacii cum Sedis apostolicae et episcopi siccensis satisfactione; ac praeterea Synodum plenariam, (praeter illam authenticam adversus Pelagium et Caelestium) quae dicitur ideo adunata et tamdiu protracta, et Canones in eadem sancitos, cujusdam Romanae Ecclesiae hostis commentum haberi. Quod manifestius in sequentibus.

CAPUT XII.

Ab Augustini et aliorum Patrum scriptis rite expensis cetera refutantur argumenta adversariorum pro hac Synodo in confirmationem nostrae thesis.

Cum plura adhuc supersint expedienda circa hanc Synodum, non est hîc sistendus pes. Jam praemisimus, nullam ejusdem fieri mentionem apud praefatos scriptores. Etsi enim videantur Patres africani summum consummasse studium erga illius decreta, ita ut scinderentur relationes inter Ecclesiam Romanam et africanam; attamen neque ante hanc aetatem, nec postea nullum patet obtinuisse effectum Canones ab ipsa firmatos.

Ac reapse, paulo antequam agitaretur quaestio Apiarii, Concilium milevitanum an. 416. scribens ad Innocentium, huic commendat pastoralem diligentiam contra errores Pelagii et Caelestii. Et concludit epistolam, inquiens: « Haec ad sanctitatem tuam de Concilio Numidiae scripta direximus, imitantes ecclesiam carthaginensem et provinciae carthaginensis episcopos nostros, quos ad Sedem apostolicam, quam beatus illustras, de hac causa scripsisse comperimus. » Hinc Innocentius ipse anno sequente (Coustant p. 888.) in litteris ad eamdem Synodum, incipit: « In requirendis Dei rebus, quas omni cum sollicitudine decet a sacerdotibus, maxime a vero justoque et catholico tractari Concilio, antiquae traditionis exempla servantes, et ecclesiasticae memores disciplinae, vestrae religionis vigorem *non minus nunc in consulendo, quam antea cum pronuntiaretis, vera ratione firmastis: qui ad nostrum referendum approbastis esse judicium;* scientes quid apostolicae Sedi, cum omnes hoc loco positi ipsum desideremus sequi Apostolum, debeatur: a quo ipse episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emersit. » Ibidem citat Patrum instituta, qui quidquid in remotis partibus ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret.

Fere eodem tempore, quo ab afris mota est quaestio de appellationibus ad Sedem apostolicam, scribit Zosimus ad Aurelium carthaginensem et ceteros in Concilio adunatos antistites. In hac epistola pro nostro argumento haec notanda sunt (Coustant in epist. 12. Zosimi p. 974.): « Quamvis Patrum traditio apostolicae Sedi auctoritatem tantam tribuerit, ut de ejus judicio disceptare nullus auderet, et id per Canones semper et regulas servaverit.... tamen cum tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia, nihil egimus, quod non ad vestram notitiam nostris ultro litteris referremus, dantes haec fraternitati vestrae,

ut in commune consulentes, non quia, quid deberet fieri, nesciremus; aut faceremus aliquid, quod contra utilitatem Ecclesiae veniens, displiceret; sed pariter vobiscum voluimus habere tractatum de illo (Caelestio) qui apud vos, sicuti ipsi per litteras dicitis, fuerat accusatus; et ad nostram, qui se assereret innocentem, non refugiens judicium, ex appellatione pristina, venerit Sedem, accusatores suos ultra deposcens, et quae in se crimina per rumorem falso dicebat illata, condemnans. »

Ab his cernitur litteris, sicuti ex praecedentibus, mutuam ac fraternam relationem inter Ecclesiam Romanam et africanam; et hanc non veluti quid novi tunc introductum, verum antiquam a primaevis temporibus institutionem; ita ut, cum opus exigeret, antistites afri appellarint ad Petri Cathedram et ab eadem veritatis Cathedra procederent responsa ad illas provincias: ac insuper iidem de haeresi suspecti, seu damnati ab episcopatu africano, veterem morem secuti ad illius Cathedrae confugerent judicium. Coustantius in notis supra Zosimi epistolas describit fidei expositionem a Juliano et sociis ad hunc Pontificem missam. Ajunt enim: « Haec, ut nobis secundum catholicam fidem visum est, vestrae sanctitati transcripta commisimus. » Quod et egit Caelestius, uti ait Zosimus in litteris ad Aurelium et ceteros episcopos africanos, expetens ea, quae de se apostolicae Sedi aliter quam oportuit, essent inculcata, purgari. » (Coustant p. 1001. et p. 943.).

Item eodem tempore, quo Synodus africana in causa Apiarii (cui adstitisse dicitur Augustinus) per litteras ad Bonifacium circa an. 420. obtestabatur contra rescriptum Zosimi de appellationibus ad Sedem apostolicam, Augustinus ipse Opus suum contra pelagianos per Alypium tagastensem misit ad Bonifacium, *non ut disceret* (Papa) *sed ut examinaret, vel etiam emendaret.*

Animadversa itaque ecclesiae africanae filiali observantia erga Ecclesiam Romanam a suis primordiis usque ad Zosimi aetatem sicuti a pontificatu Caelestini et ultra hoc tempus incessanter praestita, fortasse, mediante tantummodo quinque vel sex annorum intervallo, alicui videbitur ista ecclesia scissa fuisse a Cathedra pontificia, ita ut nec ad hanc appellaret, nec ejusdem audiret vocem. Et quis hoc asserere audebit, ex adverso stantibus pluribus Augustini contestationibus nec non aliorum episcoporum: qui intra horum annorum spatium mutuam servarunt relationem hujusmodi, ut uni reverentiam praestiterint Petri Cathedrae, et alteri Petri successores ecclesiae africanae fidem orthodoxam et obsequium erga seipsos laudarint? Praesertim de Augustino loquor, qui, veluti e suis scriptis eruitur, totius Africae episcopatus personam, fidem et doctrinam gerebat, vel Synodis adstans, aut contra haereticos disputans, perpetuo cum Sede apostolica communicans, et praesertim hujus Sedis legatione functus.

Siquis vero adhuc institerit adversus propositum nostrum, negotium

praetexens Apiarii, nemo ignoret, in hac quaestione agi de factis personalibus. In quorum examine et judicio, si hinc ambitus, tergiversatio, dolus, perfidia plerumque dominantur; inde quoque non cessat illusio judicum, credulitas, et bona fides. Quare aliquando fit, ut veritas nec semper, nec ubique praevaleat; et judicium rectum supplantetur ab improborum testium malitia.

Quod si in Apiarii causa et similibus, et quidem hoc tempore, illud supervenisse probetur, nec tamen a Synodo africana generalem normam statutam esse creditur adversus veterem Ecclesiae Catholicae praxim: adeo ut, praeviis hujus generis quaestionibus, cohiberetur appellatio ad Sedem pontificiam; ac, ista non audita, aliquid decerneretur ab episcopis, quin contendentium parti liceret supremum invocare tribunal a Christo Jesu in beato Petro erectum.

Ideoque etsi aliquando judicium Sedis apostolicae in ejusmodi casibus falleret, inspecta naturae humanae fragilitate, attamen Ecclesiae morem secutus Augustinus, ac ita postulante suo in Petri Cathedram obsequio, docuit ac perpetuo institit in suis libris, ut ejusmodi quaestiones ad illum referrentur, cui dixit Dominus *pasce oves meas,* sicuti aliquando in veteri testamento mandavit Moyses: *referte ad me, et ego audiam.* Quare Bonifacius non de hac Apiarii, sed de altera hujus generis controversia propter Maximum valentinum antistitem variis insimulatum criminibus, per litteras ad Galliae episcopatum, mandat adunari Synodum provincialem, inquiens: « Quidquid autem vestra caritas de hac causa duxerit decernendum, cum ad nos relatum fuerit, nostra, ut condecet, necesse est auctoritate firmetur. » (Gallandi Tom. IX. p. 48.).

Ex his praemissis nunquam mihi suadebo, Augustinum et Alypium et ceteros episcopos adprobasse, vel subscripsisse epistolis synodalibus ad Bonifacium et Caelestinum, nec multo minus Canoni 34. Concilii africani: ubi de appellationibus absolute decernitur: *Ad transmarina autem, qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem suscipiatur.* » Quapropter stat et invalescit propositum nostrum, hanc de appellationibus Synodum omnimode variare a Synodo plenaria contra Pelagianos; ac praeterea non esse inscribendam catholicis Africae episcopis, sed cuipiam vaferrimo ignoto viro Ecclesiae Romanae hosti, qui, schisma suum supra orthodoxorum antistitum nomina aedificare putavit, et quidem post Concilium plenarium et post ss. Augustini et Prosperi aetatem.

Insuper ex his animadversionibus praesertim ab Augustini epistola ad Caelestinum erutis, consequitur, non solum Synodum totius Africae tunc haud adunatam esse diluendi causa Apiarii quaestionem et cetera ejusmodi; sed et hanc Apiarii quaestionem, veluti ab initio praemisi, nequaquam totius Africae episcopatus judicium postulasse, sed definitam fuisse in ejusdem Apiarii provincia, cum interventu solummodo

legatorum pontificiorum et provinciae metropolitae. Quare Augustinus postea scribens ad Caelestinum de casu huic simili, nec hanc privatam quaestionem citavit, nec multo minus Synodum plenariam ideo adunatam.

Collatis denique veterum Patrum et ceterorum scriptorum testimoniis, viderentur duo Concilia plenaria ex tota Africa congregata esse Carthagine eodem anno 418. sub eisdem Consulibus Honorio XII. et Theodosio VIII. cum eorumdem episcoporum, in quibus Augustinus, adsistentia, sub eodem praeside Aurelio primate et in eadem Basilica Fausti. Circa vero aetatem in hoc differunt, quod unum collectum fuerit Kalendis Maji, et alterum ipso anno VIII. Kalendas junias, idest 25. dies post: quin unius Patres Synodi alterius meminerint. In prima Synodo actum est de haeresi pelagiana et caelestiana, alia quacumque amota quaestione. Et in altera sequente supposita tantummodo disputatum est de prosequutionibus appellationum ad Sedem apostolicam.

In prima Synodo plenaria authentica refutatam esse atque damnatam Pelagii et Caelestii haeresim testantur scripta genuina tam eorum qui interfuerunt Concilio, quam ceterorum, qui tunc vel paulo post in Ecclesia fide, doctrina emicuere et pietate. Et in his numerantur primum Pontifices Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Caelestinus, imperatores Honorius et Theodosius, deinde episcopi Augustinus, Hieronymus, Paulinus, Optatus, Prosper, Possidius, Marius Mercator, ac demum epistola synodalis Concilii ephesini. De Synodo vero hac ipsa aetate congregata de appellationum norma ad Petri Cathedram, ante Dionysii Exigui aetatem, qui hanc collectionem edidit Canonum ecclesiasticorum, nemo reperitur neque ex praefatis, nec ex aliis scriptoribus, qui hanc ejusdemque acta meminerint.

Primi, (in quibus Augustinus, ecclesiae africanae columna, cui cuncta divinitus illius regionis negotia sacra commendata videbantur) inquiunt, tres Synodos tunc adunatas adversus Pelagii et Caelestii errores, unam milevitanam, alteram carthaginensem, ac tertiam plenariam ex tota Africa collectam et ab Ecclesia Catholica comprobatam. Unum Concilium plenarium dixit Augustinus a Patribus 214. circiter subscriptum; nec plura nec varia in tractationibus adjecit; nec multo minus ullibi scripsit, aliam plenariam Synodum congregatam expendendi causa jura ecclesiae africanae circa appellationes ad Sedem apostolicam.

Insuper in Synodo plenaria adversus Pelagium et Caelestium, Patres qui convenerant, sicuti et ceteri, qui tunc vel paulo post, excelluerunt, ecclesiastici scriptores, seorsim a quamvis alia quaestione, et praesertim ab illa de appellationibus, disputatum esse unanimes contestati sunt. Similiter in Synodo altera, quae tunc dicitur congregata, eisdem adstantibus episcopis una cum legatis Ecclesiae Romanae, veluti constat ex Codice citato (Labbei Tom. IV. p. 419.) exclusive disputarunt Patres de appellationibus ad Sedem apostolicam, praetermissa

quaestione pelagiana. Et hinc quae in hac Synodo citantur decreta, epistolae synodales ad Zosimum, ad Bonifacium, ad Caelestinum, ad episcopos Atticum et Cyrillum et quas isti ad episcopos afros dederunt, omnimode praeterierunt Patres, qui adversus Pelagium et Caelestium convenerant. Sicuti tantumdem factum est ab historicis et chronistis, qui hujus aetatis gesta memoriae commiserunt.

Intra unius mensis intervallum, dixi, duo Concilia congregata sunt cum interventu 214, vel 217. episcoporum. Prima Synodus, in qua Aurelius ceterique afri antistites pugnarunt in haeresim pelagianam et caelestianam, ad breve temporis spatium perduravit. Collecta est, Zosimo Pontifice, et ab eodem sancita. Altera Synodus, cui praeter episcopos afros, adstitisse dicuntur legati pontificii Faustinus, Philippus et Asellus, perseveravit usque ad Caelestini Pontificatum ad quinque fere annos; de quo nullum vestigium apud historicos usque ad Dionysium Exiguum. In prima Synodo plenaria undique praelucet concordia ecclesiae africanae cum Ecclesia Romana et hujus primatus supra Africae ac totius mundi episcopatum in confirmatione decretorum adversus Pelagii et Caelestii errores. In altera Synodo propugnatur schisma ecclesiae africanae ab Ecclesia Romana et quidem ab ipsis episcopis, qui eodem tempore erga Petri Cathedram, ejusque in universo orbe jurisdictionem testati erant obsequium.

Quamobrem Christophorus Justellus in Praefatione Collectionis Canonum a dicto Dionysio et aliis exactae, scribit: « Atque haec sunt ecclesiae africanae Concilia, quae intra 419. annorum terminos leguntur habita. De quibus multa traduntur et falso et praepostere et confuse a Conciliorum collectoribus: qui imperite et sine ordine miscent, quae discernenda sunt, nec quidquam distinguunt; et credulum lectorem saepe fallunt. »

De hac porro confusione, quam Justellus ceterique critici experti sunt, haud distincta Synodo de pelagianis ab altera de appellationibus, prima reali, altera ficta, non est praetereundus praefatus Codex a Labbeo citatus (Tom. IV. p. 419.) cum hac inscriptione: « Incipit Concilium carthaginense tituli 40.... Imperatorum Honorii XII. et Theodosii VIII. Augustorum, Kalendas Junii: Carthagine in Secretario basilicae Fausti. » Ad hoc Concilium convenisse Auctor Codicis dicit Aurelium, Valentinum, Faustinum legatum Ecclesiae Romanae, Alypium, Augustinum, ceterosque 218. episcopos diversarum provinciarum. Horum 40. titulorum summa versatur de disciplina ecclesiastica et de ordine appellationis in clericorum, presbyterorum et episcoporum causis. In hoc insuper citantur duae Synodales una ad Bonifacium et altera ad Caelestinum. Item notantur duae epistolae Cyrilli et Attici ad hanc Synodum; et una Attici ad Bonifacium et alia hujus generis cuncta spectantia ad Apiarii negotium, quemadmodum sparsim in Collectionibus Conciliorum occurrunt, confuso Concilio de appellationibus cum altero adversus pelagianos.

bus apparet manifeste afros, servato Canonis hipponensis sensu, voces dumtaxat immutasse. » Mihi vero non videtur, ut putat Coustantius, Synodus carthaginensis mutasse tantummodo voces Concilii hipponensis, sed et sensum reformasse, et quidem non pro jure suo sed et contra jus. Synodus hipponensis statuit, pro hujus Canonis confirmatione consulendam esse Ecclesiam Romanam, e cujus judicio pendebat Canonis sanctio: ac ideo ad illam confugerunt episcopi hipponenses non ut magistri sed ut discipuli confirmandi ab illius supremo magisterio. Ex adverso in Synodo carthaginensi absolute dicitur hunc Canonem referendum esse ad Papam Bonifacium pro confirmatione. Quapropter nunquam conveniam, episcopos 217. Aurelium, Augustinum, ceterosque subscripsisse huic Concilio, nec multo minus praefatis Capitulis eidem insertis. [1]

De reliquo, qui causas rimetur hujus confusionis, in Collectione Dionysii liceat reperire. Qui in unum complexus ecclesiae africanae Canones, parum cautus et solers in examinandis fontibus, unde ii Canones derivarunt, tam Synodos quam Canones indiscriminatim exscribens, orthodoxorum Canonum exemplaria cum heterodoxorum exemplaribus confudit. Et hoc apprime comprehenditur, collatis praesertim quae ad propositum nostrum pertinent.

Scribit Dionysius: « Incipit Synodus apud Carthaginem africanorum: quae constituit Canones 138. Post Consulatum gloriosissimorum imperatorum Honorii XII. et Theodosii VIII. Augustorum, Kalendas junias, Carthagine in Secretario Basilicae Fausti etc. Huic Synodo adstiterunt Aurelius ceterique 217. episcopi, disputandi causa de appellationibus ad Petri Cathedram.

« Incipit professio fidei: Credimus etc.... Statuta quoque nicaeni Concilii in 20. capitibus similiter recitata sunt, sicuti in superioribus inveniuntur adscripta. Deinde quae in africanis Conciliis promulgata sunt, actis praesentibus inserta noscuntur. »

Deinde pergit in Cap. 108. scribens: « Concilium contra haeresim Pelagii et Caelestii. Gloriosissimis Imperatoribus Honorio XII. et Theodo-

[1] Nec est in hac Collectione praetereundum Capitulum 101. ubi episcopi africani statuerunt: « Placuit etiam ut de dissensione Romanae atque alexandrinae ecclesiae ad sanctissimum Papam Innocentium scribatur: quo utraque ecclesia intra se pacem, quam praecepit Dominus, teneat. » Quamvis in Capitulo non constet hujus dissensionis causa, nihilominus vel leviter comprehenditur, hanc verti supra iniquam Theophili alexandrini conspirationem advesus Joannem Chrysostomum promotam ab initio Pontificatus Innocentii; et quae cessavit cum ejusdem Theophili condemnatione. Cur vero et quanto jure Synodus africana scribere decreverit ad Innocentium, ut duae ecclesiae conciliarentur, non video. Videretur potius aequum, ut Aurelius, Augustinns ceterique afri episcopi scriberent ad episcopum alexandrinum totius scandali auctorem, ut se submitteret judicio Sedis apostolicae. Quem ideo Papa ad Concilium vocarat, ut sese defenderet ab insimulationibus in eum jactis. Quare vix arbitror, citatos antistites huic subscripsisse decreto parum consono reverentiae Petri successori debitae.

africana, populus, clerici, presbyteri, episcopi, primates iidemque pelagiani pro more confugiebant ad Sedem apostolicam uti discipuli ad magistrum; ac una Sedes apostolica illorum consultationibus respondebat; hoc eodem tempore episcopatus universalis totius Africae convenit disputandi causa contra hanc avitam praxim, et decernendi: de quovis genere quaestionum indiscriminatim inter presbyteros et episcopos inter episcopos et episcopos cujusvis gradus, *quicumque ad transmarina putaverit appellandum, a nullo intra Africam in communionem suscipiatur.* Quod decretum ecclesia africana catholica nec unquam subscripsit, nec unquam explevit, nec unquam animo finxit.

Quare concludam asseverans, episcopos 217. in Synodo plenaria damnationi subscripsisse haereseos pelagianae et caelestianae: nunquam vero conveniam, eosdem antistites subscripsisse quae ab eisdem episcopis definita sunt de prosecutione appellationis ad Sedem apostolicam, et cunctis capitulis huic Synodo inscriptis: ubi undique expanditur foetor schismatis ab Ecclesia Romana.

CAPUT XIII.

Expenduntur epistolae Cyrilli alexandrini, et Attici constantinopolitani ad Synodum africanam et altera ejusdem Attici ad Bonifacium Papam circa praefatum argumentum de appellationibus ad Sedem pontificiam.

Adversus hucusque discussa de subtractione et falsatione Canonum nicaenorum, diluenda adhuc manent tria documenta, idest epistola Cyrilli alexandrini, altera Attici constantinopolitani ad Synodum africanam, et tertia ejusdem Attici ad Bonifacium Papam circa praefatum argumentum de appellationibus ad Sedem pontificiam. In his namque epistolis contra nostram thesim citatur horum Canonum elenchus vulgatus cum explicita duorum episcoporum assertione pro illorum numero et integritate. Profecto si cetera documenta contra thesim nostram studiose et singula expedivimus et refutavimus, non minori quidem studio disputandum est adversus praefatas epistolas. Quarum dicta ab adversariis reputantur insuperabilia ob obtestationes, quibus roborantur.

Ac interim, sicuti in praecedentibus, hanc puto praevenire discussionem cum s. Gregorii Papae epistola 74. Libri XI. ad Eusebium thessalonicensem, ubi perfidiam arguit cujusdam monachi Andreae, qui sua scripta falsavit: « Sed tantae, ait, ille pravitatis inventus est, ut si ejus multitiae sub inclusionis specie paulo adhuc amplius licuisset, multorum animas malitiae suae falsitate deciperet; et quocumque potuisset, non devia scandala generaret. Nam inter alia, quae idem Andreas pessime cogitavit et fecit, eam quoque, quam ad nos misistis, dum apud ipsum praefato latore esset deposita, ita falsavit epistolam, ut quicumque eam legeret, vos nec catholice nec recte sapere evidenter argueret. Ex qua re contigit, ut dum veritatem studiose quaerimus, ejus, quae latebat, iniquitas vulgaretur: et tanta in eo reperta sunt, quanta nec de scelerato quocumque laico crederentur. Et quia inter diversa mala aliquos etiam sermones scripsit; atque eos ex nostro nomine attitulavit, suspecti sumus, ne eos alicubi transmiserit etc. » His praemissis in medium proferatur epistola Cyrilli ad Synodum africanam.

Κυρίοις τιμιωτάτοις καὶ ἁγιωτάτοις ἀδελφοῖς καὶ συνεπισκόποις, Ἀυρηλίῳ, Βαλεντίνῳ, καὶ πάσῃ τῇ ἐν Καρχηδόνι συναθροισθείσῃ ἁγιωτάτῃ συνόδῳ, Κύριλλος ἀσπαζόμενος ἐν Κυρίῳ τὴν ὑμετέραν ἀγάπην.

Τὰ γραφέντα παρὰ τῆς ὑμετέρας τιμιότητος πολλὴν ἔχοντα θρησκίαν, μετὰ πάσης χαρᾶς διὰ τοῦ τέκνου ἡμῶν Ἰννοκεντίου τοῦ πρεσβυτέρου ἐδεξάμην, τούτων δὲ παρ' ὑμῶν ἐλπισθέντων, ὥστε ἐκ τοῦ τῆς ἡμετέρας ἐκκλησίας σκρινίου τὰ ἀληθέστατα ἴσα τῆς ἐν τῇ Νικαέων μητροπόλει τῆς

Βιθυνίας αὐθεντικῆς συνόδου, τὰ παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων ὁρισθέντα καὶ βεβαιωθέντα, ὑποκάτω τῆς ὁμολογίας τῆς ἡμετέρας πίστεως, τῇ ὑμετέρᾳ ἀγάπῃ ἡμᾶς ἀποστεῖλαι ἀναγκαῖον ἡγησάμην, κύριοι τιμιώτατοι ἀδελφοί, ἀσπασμοῦ προηγουμένου, διὰ τοῦ αὐτοῦ τέκνου ἡμῶν Ἰννοκεντίου τοῦ πρεσβυτέρου, τὰ πιστότατα ἴσα τὰ τῆς αὐθεντικῆς συνόδου τῆς ἐν τῇ Νικαέων πόλει τῆς Βιθυνίας ἐχόμενα, τῇ ὑμετέρᾳ ἀποστεῖλαι ἀγάπῃ. Ὅπερ καὶ ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ ἱστορίᾳ ζητοῦντες εὑρήσετε· περὶ δὲ τοῦ πάσχα, ὡς ἐγράψατε, ἀγγέλλομεν ὑμῖν, τῇ πρὸ δεκαεπτὰ καλανδῶν Ματῶν ἡμᾶς ἐπιτελέσοντας τῇ ἐπεισερχομένῃ ἰνδικτιῶνι. Ἡ ὑπογραφή. Ὁ Θεὸς καὶ ὁ Κύριος ἡμῶν τὴν ἁγίαν ὑμῶν σύνοδον φυλάξῃ, ὅπερ εὐχόμεθα, τιμιώτατοι ἀδελφοί.

Dominis honorabilibus sanctissimisque fratribus et coepiscopis Aurelio, Valentino, sed et omni in Carthagine congregatae sanctissimae Synodo, Cyrillus salutans in Domino vestram dilectionem. [1]

Scripta a vestra veneratione, multam habentia pietatem, cum omni gaudio per filium nostrum Innocentium presbyterum, recepi, quibus a nobis speratis, ut de Scrinio nostrae ecclesiae verissima exemplaria ex authentica Synodo apud Nicaeam civitatem metropolim Bithyniae, a sanctis Patribus constituta atque firmata, sub nostrae fidei professione, vestrae dilectioni porrigamus. Unde enim, domini honorabiles fratres, salute praeeunte, necesse habui per harum latorem filium nostrum Innocentium presbyterum, fidelissima exemplaria ex authentica Synodo in nicaena civitate Bithyniae habita, vestrae caritati dirigere. Quod in ecclesiastica Historia requirentes, invenietis. De Pascha vero, sicuti scripsistis, nunciamus vobis XVIII. Kalendas majas nos futura Indictione celebrare. *Subscriptio.* Deus et Dominus noster sanctam vestram congregationem custodiat, quod optamus, fratres honoratissimi. »

Nunc rogo: reapse Cyrillus scripsit hanc epistolam? Est ne textus graecus originalis, quem citavit Balsamon? An non potius ipse textum latinum hujus epistolae in graecum transtulit? Ceterum, qui vix epistolae percurrerit dictatum, non illudetur, asserens hujus auctorem primarium latine scripsisse; unde postea in graecum versa esset a quopiam: qui ignarus graeci sermonis proprietatum, in versione sua idiomatis latini praeclara obsignavit indicia, ac tantumdem aliena a graeca Cyrilli locutione. Quod facile intelligitur, huic comparatis ceteris genuinis ejusdem epistolis.

Et primum de epistolae titulo, qui ita graece sonat: Κυρίοις τιμιωτάτοις *Dominis honorabilibus* etc, ut supra. Cyrillus porro (ut videre est in suis libris) epistolas ad episcopos missas, his titulis insignivit. Ex. gr. scribens ad Maximianum episcopum constantinopolitanum, incipit: « Τῷ εὐλαβεστάτῳ καὶ θεοφιλεστάτῳ συλλειτουργῷ Μαξιμιάνῳ Κύριλλος ἐν Κυρίῳ

[1] (Tom. V. Operum, pars 2. Edit. Lutetiae an. 1638. p. 95.)

χαίρειν: idest reverendissimo et religiosissimo comministro Maximiano Cyrillus in Domino salutem. » Et sic in ceteris epistolis eadem formula notatur, et praesertim ista ἐν Κυρίῳ χαίρειν *in Domino salutem,* quae nunquam variat ceu methodo suo epistolari propria. Ex adverso in praefatis ad episcopos carthaginenses Cyrillo eidem inscriptis litteris dicitur: « *Cyrillus* ἀσπαζόμενος *salutans in Domino vestram dilectionem.* Quae verba sicuti et praecedentia latinae potius quam graecae syntaxi conformantur: ac potissimum vocabulum συνεπισκόποις coepiscopis: quo nunquam usus est Cyrillus, sed ejus vice alterum substituit συλλειτουργοῖς comministris, cunctis suis inscriptum epistolis.

Item notandum est, quod in fine ait Cyrillus de Paschate: « De Paschate annuntiamus vobis τῇ πρὸ δεκαεπτὰ Καλανδῶν ματῶν ἡμᾶς ἐπιτελέσοντας τῇ ἐπεισερχομένῃ ἰνδικτιῶνι XVII. Kalendas majas nos peracturos ingredientis Indictionis. » In hac pericope non est dubium quin lectio latina latini scriptoris in omnibus suis partibus se manifestet. Graece namque scribens Cyrillus, neque Kalendarum nomen, neque Maji mensem ita nuncupasset. Penes graecos non ita numerantur dies mensis: nec multo minus aegyptii vocant menses vocabulo latino sed aegyptio. Et ob hoc Cyrillus idem scribens ad Clerum constantinopolitanum, inquit: « Sancta itaque Synodus congregata τῇ κατὰ ἀλεξανδρεῖς ὀγδόῃ καὶ εἰκάδι τοῦ παῦνι μηνὸς juxta alexandrinos octava et vigesima *Pauni* mensis. Petavius quoque de hujus epistolae dubitat authenticitate. Baronius sub an. 419. in notis Pagi n. 26.

Haud secus dicendum est de epistola Attici notas praeferente non graeci sermonis sed latini in graecum translati. Talis enim est inscriptio: « Τοῖς Κυρίοις τιμιωτάτοις καὶ μακαριωτάτοις ἀδελφοῖς καὶ συνεπισκόποις Αὐρελίῳ, Βαλεντίνῳ καὶ τοῖς λοιποῖς τοῖς ἐν τῇ Ἀφρικῇ συνελθοῦσι συνόδῳ Αττικὸς ἐπίσκοπος: Dominis honoratissimis et beatissimis fratribus et coepiscopis Aurelio, Valentino et reliquis, qui in Africa convenerunt Synodo, Atticus episcopus: « Per filium nostrum Marcellum subdiaconum vestrum scripta vestrae dilectionis cum omni gratiarum actione suscepi, Domino gratias agens, quod merui tantorum fratrum benedictione perfrui. Domini beatissimi fratres, scripsistis sane, ut verissimos Canones apud Nicaeam civitatem metropolim, Bithyniae, a Patribus constitutos sub fidei adstipulatione dirigam. Et quis est, qui communem fidem, vel statuta a Patribus firmata suis fratribus deneget? Qua de re per eumdem filium meum Marcellum, subdiaconum vestrum, nimium festinanter, sicuti statuti sunt in Nicaea civitate a Patribus, Canones in integro, ut jussistis, direxi; petens ut pro me plurimum vestra sancta congregatio orare jubeat. *subscriptio.* »

Titulus iste sicuti alter notatus in epistola Cyrilli, latinam locutionem sapit. In methodo epistolari apud graecos invalescit dictum ἐν Κυρίῳ χαίρειν *in Domino salutem* hîc omissum. Item πλείστας accusativo casu lati-

ne respondens *plurimas* extra syntaxim graecam videtur introductum: « αἰτῶν τὴν ὑμετέραν ἁγίαν σύνοδον ὑπὲρ ἐμοῦ πλείστας ἔυξασθαι καταξιῶσαι, rogans vestram sanctam Synodum ut pro me plurimas (valde) orare dignetur. Loco πλείστας scribendum erat πλεῖστα. In fine epistolae legitur: « ὁ Κύριος ἡμῶν φυλάξει τὴν ὑμετέραν ἁγιωσύνην, ὅπερ εὐχόμεθα, ἁγιώτατοι ἀδελφοί, dominus noster custodiat vestram sanctitatem, quod rogamus, sanctissimi fratres. Verumtamen in epistola genuina ejusdem attici ad Cyrillum explicit: πᾶσαν τὴν σὺν σοὶ ἀδελφότητα ἐγώ τε καὶ οἱ σὺν ἐμοὶ προσαγορεύομεν, omnem tecum fraternitatem ego et qui mecum sunt, salutamus. »

Ceterum in utraque epistola, una scripta Constantinopoli et altera Alexandriae, indicia quaedam revelantur, ut videantur illarum collatores una convenisse in dictato: sive inspiciatur concisio sermonis, sive sensus expositio, vel vocabulorum usus, praesertim in asseveranda sinceritate exemplarium Canonum nicaenorum verbis superlatis expressa. In epistola Cyrilli *horum Canonum exemplaria sincerissima* vocantur *ex scriniis ecclesiae alexandrinae eruta, a Patribus nicaenis confirmata.* Item paulo post dicuntur *fidelissima exemplaria.* In litteris Attici pariter iidem Canones nuncupantur *sincerissimi a Patribus constituti sub adstipulatione fidei: ab illis firmata statuta fidei: in integro directi Canones.* Etsi vero tanto studio harum epistolarum auctores testari conati sint, saepius acclamantes *sincerissimis, fidelissimis, firmis, integris exemplaribus* Canonum nicaenorum a scriniis ecclesiarum erutis ac missis ad Synodum africanam; nihilominus nemo mentiri poterit, horum catalogo reapse deesse Canonem praecipuum de diei Paschatis celebratione; qui post fidei nicaenae professionem primum tenuit locum in Concilio oecumenico: ita ut frustra harum epistolarum auctores contestati sint Canonum nicaenorum sinceritatem, integritatem, authenticitatem: quin ulterius innoventur cetera argumenta supra discussa; quibus apertissime liquet nec integros nec authenticos esse hos Canones nuncupandos.

Verumtamen ponatur Cyrillum Concilii africani respondentem petitionibus hanc dedisse epistolam, ac una existimasse, revera ejusmodi Canones promulgatos a Synodo nicaena, sicuti leguntur in Catalogo labbeano; et quos ipse e grecis codicibus eruisse dicit, in quibus nec de primatu et auctoritate Sedis apostolicae decernitur supra universas ecclesias, neque de appellationibus ad hanc Sedem, neque de interventu ejusdem in episcoporum electione etc. Et quid inde inferendum? Fortasse Cyrillus putavit per hos Canones sese subtrahere ab appellationibus ad Petri Cathedram, cum varia negotia hoc expostularent? Fortasse respuit illius Cathedrae auctoritatem, cum Pontifices Caelestinus et Xystus scripserint ad illum; vel ipse litteras ad eosdem miserit de aliqua re consulturus, de promovendis nempe episcopis et aliis amovendis ab episcopatu etc.?

Nec hoc cogitare licet. Is enim (quod ex documentis superius allatis evidenter constat) ab Theophili exemplo, qui valde urgebat Hieronymum, ut acta Concilii alexandrini adversus origenistas Anastasii Papae firmarentur auctoritate, de Nestorio ad Caelestinum scribens, inquit, *veterem consuetudinem ecclesiarum mihi suadere, ut ejusmodi res Sanctitati tuae communicentur: nec nolle adversus Nestorium procedere priusquam illi indicaret* In Encomio beatae Virginis vocat Caelestinum patriarcham urbis Romae et metropolitam totius orbis. In litteris ad Juvenalem antistitem Hierosolymorum, huic significat Caelestini ejusdem epistolam quacum uterque confirmatus est adversus haeresim. Item consulit Cyrillus Papam de sententia excommunicationis ferenda contra Nestoritum. Nec secus se gessit scribens ad Xystum invocans ejusdem consilium circa Joannem antiochenum et socios, num restituendi ipsi forent in sacerdotum consessum.

Deinde consideretur, Cyrillum haec omnia de pontificis praerogativis scripsisse, postquam ad episcopos afros remisit exemplaria graeca Canonum nicaenorum; quos contraire probatur declarationibus ab ipso patratis in praemissis epistolis: ut hinc concludatur, etiamsi dicatur ipse auctor epistolae, tamen eumdem traditionis apostolicae, ut ait, vestigia secutum, nullius auctoritatis illos existimasse Canones, qui Cathedrae Romanae jura laedebant.

Quod vero admodum facit contra praesumptas epistolas Cyrilli et Attici inter apocryphas inscribendas, educitur ab altera epistola ejusdem antistitis.

« Incipit epistola Attici constantinopolitani ad Bonifacium Romae Episcopum data cum exemplaribus nicaeni Concilii e graeco in latinum translatis, a beatissimis Cyrillo alexandrino et Attico constantinopolitano et directis per Innocentium presbyterum suum et Asellum subdiaconum ecclesiae carthaginensis, ut superius recitatum est. Fides nicaeni Concilii cum titulis XX. Epistola vero ita continetur. (Labbei Tom. IV. p. 434.)

« Atticus episcopus sancto fratri Bonifacio Romae Episcopo salutem: Edidi Canones sanctorum Patrum holographa manu, Amen. Amen. Graeca elementa litterarum numeros exprimere nullus, qui tenuiter vel graeci sermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis epistolis canonicis, quas mos latinus *Formatas* appellat, aliqua fraus falsitatis temere praesumeretur, hoc a Patribus 318. Niciam congregatis saluberrime inventum est ut constitutum *Formatae* epistolae hanc calculationis, seu subscriptionis habeant rationem. Idest ut adsumantur in supputatione prima graeca elementa Patris et Filii et Spiritus Sancti: idest ΠΦC, quae elementa octogenarium, septuagentium ducentesimum et primum significant: numerus quoque Petri apostoli prima littera Π, qui numerus octoginta significat, ejus, qui scribit, episcopi prima littera, cui scribitur secunda, accipientis tertia littera, civitatis quoque, de qua scribitur quarta et In-

dictionis quaecumque fuerit, idem temporis eorumdem, qui fuerit numerus, adsumatur; atque ita his omnibus graecis litteris, quae ut diximus, numeros exprimunt in unum ductis, unamque cum collecta fuerit, summam epistola teneat, qui accipit hanc cum cautela requirat, expressam addat. Praeterea separatum in epistola etiam nonagenarium et nonum numerorum, qui secundum graeca elementa significat Amen. Explicit. »

Coustantius p. 1048. c. VII. n. 9: « hinc nulla fides ait, habenda codici colbertino langobardicis litteris exarato, in quo praemissa superiore epistola, 2. afrorum ad Bonifacium subjicitur: Incipit epistola Attici ad Bonifacium etc. ut supra. »

In fine Canonum nicaenorum, qui ab Alexandria et Constantinopoli in Africam missi sunt, legitur: « Capitulorum nicaeni Concilii in sexto apud Carthaginem Concilio relatorum, finis c. XXI. Sanctum Concilium: Traditis omnibus et rite dispositis ut ecclesiarum pax et fides in Orientis atque in Occidentis partibus una eademque servetur, haec ecclesiastica statuta necessario credimus inserenda. »

Postremo, quid interest, si Patres in Synodo africana adunati, sicuti et Cyrillus et Atticus centum fere annos post Concilium nicaenum, hujus recensentes Canones, codices graecos scrutati, talia exhibuerunt exemplaria, ut in his desideretur Canon de appellationibus ad Sedem apostolicam? quando Julius Papa, ut de aliis sileam, quindecim annis post Synodum nicaenam, ob oculos habens hujus Canones genuinos, et adhuc secum Romae degentibus, qui Synodo adstiterunt, quique ab ipsa Synodo definita autographa detulerunt in Romanae Ecclesiae archiviis deponenda, saepe hunc Canonem citat et Athanasii adversariis opponit? Judices appello earum conscios, quae inter Julium et Arii patronos intercesserant obtestationes in Athanasii ipsius et sociorum causa. Viros insuper invoco testes, eusebianos ipsos, qui Papae epistolam, cui Canon insertus erat, legentes, novos quidem Canones condiderunt, in abolitionem nicaenorum, quin tamen hunc de appellationibus Canonem, sibi a Julio objectum, ut falsum et commentitium refutarint. Subterfugia commenti sunt, ne accederent ad Concilium, quo vocati erant: verum nec adversus hujus Canonis authenticitatem, neque adversus fontem, unde emanarat aliquid moliti sunt: adeo ob oculos fulgurantibus ejusdem tam sinceritate quam sensu verborum.

Cum ergo ex praefatis manifestissime constent confusio nec non antilogia actuum Concilii plenarii adversus Pelagii et Caelestii errores cum actis alterius Synodi de prosecutione appellationis ad Sedem apostolicam, concludere liceat, hoc Concilium africanum de appellationibus artificium fuisse a donatistarum perfidia elaboratum cum pelagianorum ope, ut se subducerent a jurisdictione Ecclesiae Romanae. Qui, hypocritico pietatis velamine sumpto, notha compingentes scripta, Patribus adscripserunt eisdem, quorum sensus revera orthodoxos erga Sedem apostoli—

cam aliter quam isti profitebantur, falsarunt. Ac amplius ad majorem simplicium illusionem, episcoporum eorumdem 217. abusi sunt nomine, qui subscripserant pelagianae haereseos damnationi, adeo ut pedetentim Concilium catholicum cum schismatico confunderetur; ac episcopatui africano inureretur nota divisionis ab Ecclesia Romana: pro qua prae ceteris Augustinus et Aurelius summopere laborarunt cum eorumdem Pontificum Innocentii et Zosimi encomio. Et hinc demum factum est ut Canonum nicaenorum interpolationes et subtractiones majorem acquirerent auctoritatem penes credulos et incautos horum Canonum interpretes.

Ceterum, nequid novi cuipiam videri possit hanc meam sententiam continere, mecum adeat s. Gregorium, qui in epistola 49. Libri IX. scribit: « Praeterea dum de sanctorum Conciliorum custodia tua fraternitas loqueretur, sanctam ephesinam Synodum primam se custodire professa est. Sed quia ex annotatione haeretici codicis, qui ad me ex regia urbe transmissus est, agnovi per hoc, quod quaedam capitula catholica cum haereticis fuerant reprehensa, quia quidam illam ephesinam primam Synodum in eadem urbe existimant, quae quondam ab haereticis traditur esse corrupta, omnino necesse est ut caritas vestra eamdem Synodum apud sanctam alexandrinam atque antiochenam ecclesiam requirat; et qualiter in veritate habeatur, inveniat. Vel si placet, hinc dirigimus, quae ab antiquitate servata in scriniis habemus. Illa enim Synodus, quae sub primae ephesinae imagine facta est, quaedam in se oblata capitula asserit approbata, quae sunt Coelestii et Pelagii praedicamenta. Et cum Caelestius et Pelagius in ea Synodo sint damnati, quomodo poterant illa Capitula recipi, quorum damnabantur auctores? » Et haec scribebat ad Anastasium antiochenum.

Rebus sic stantibus, non immerito Cardinalis Perronius, Labbeus, Van-Espenius, Justellus, aliique in tractandis afri Concilii actis magnam experti sunt confusionem: ad quam tollendam pro viribus meis tamdiu huc usque laboravi, seorsim tamen ab opinione Coustantii, qui in Praefatione Operis n. 109. scripsit: « Haec admonitio satis docet, Canones illos non fortuito collectos, nec temere conjectos esse: sed in generali Africae Synodo an. 418. habita, recitatos esse et confirmatos, et synodalibus gestis consertos. » Quod non probatur, nisi cum discrimine Ecclesiae unitatis. Ceterum nescio quanto jure haec scripserit Coustantius de his Canonibus, cum paulo ante p. 102. de hac Synodo praenotarit inquiens: « Mirum scilicet quam indigesta perturbateque haec ordinarint Conciliorum editores; quam temere alia suo loco moverint, alia de integro incassum recuderint etc. »

Novissimum, una comprehensis, quae ab initio hujus secundae Partis hucusque expendimus supra Canones notos ab Ecclesiae primordiis usque ad seculum sextum, eosque collatos cum genuina Patrum traditione, talia nobis suggeruntur consideranda. Quamvis enim ex Patrum grae-

corum et latinorum scriptis, ac insuper ex pontificiis epistolis privatis, aut encyclicis, seu quibusvis decretis ab aevo apostolico usque ad s. Leonem incessantes et praeclarissimas praeferentibus notas integritatis et authenticitatis, primatum Sedis apostolicae propugnavimus, ejusque jurisdictionem supra universum orbis catholici episcopatum, ita ut cuncti christifideles una cum episcopis indistincte obsequium profiterentur voci Pontificis Romani tanquam ex ore Petri loquentis: nihilominus, sicuti patet ex praemissis, non est occultandum in vetustis Ecclesiae actis usque ad aetatem praedictam reperiri quadringenta circiter documenta sub titulo Canonum, tam qui vulgo dicuntur apostolici, quam qui vocantur ancyrani, iliberitani, neocaesarienses, gangrenses, laodiceni, nicaeni, constantinopolitani, africani, chalcedonenses (quorum plerique idiomate graeco conscripti) in quibus ne semel quidem enunciantur praerogativae Episcopatus Romani. Et si forte fit, ut aliquando mentio incidat sanctae Sedis, hoc expletum vidimus cum dejectione ejusdem.

Quid igitur inferendum erit ab hoc silentio? Si praefata documenta de Sedis apostolicae singularibus praerogativis, quibus accedunt undique testes plurimi, in eorum persona noti, concordes, sincerissimi, sive graeci sive latini, pietate et doctrina insignes, eruditione praeclari, zeloque ferventes catholicae veritatis, talia sunt, et si haeretici quandoque etiamsi nolentes, contestati sunt ejusmodi praerogativas: tantumdem dici nequit de iis, qui hos Canones condiderunt. Qualis, peto, illorum persona et fides? quo tempore claruerunt? quo zelo moti sint, quae eorum gesta in Ecclesia? et accepto, quod plures horum Canonum ab orthodoxis sanciti sint, ad nos pervenerunt ne in sua integritate? Et haec omnia universim latent.

Interim si de nonnullis in tanta Canonum copia, liceat arguere, ut de ceteris similiter arguatur, qualis illorum fides, praesto nobis sunt Canones antiocheni ab arianis et eusebianis redacti: quorum sensus innovantur in Canonibus sive Constitutionibus vulgo dictis apostolicis. Praesto amplius nobis adstat Socrates; qui in Libro II. c. XIV. Hist. Eccles. narrat: « eusebianos, acceptis Julii Papae litteris, reprehensionem contumeliae loco duxere. Et convocata Antiochiae Synodo in unum collecti, de communi omnium sententia, conscriptis litteris Julium vicissim acrius insimulant, significantes non debere ab ipso discuti, siquos ipsi ecclesiis suis expellere voluissent. Neque enim se contradixisse tunc, cum Novatus Ecclesia ejectus est. Et haec quidem orientales episcopi Julio Romae urbis Episcopo rescripserunt. » Hinc cernito quantae auctoritatis habendi sint praefati Canones antiocheni cum exclusione judicii Sedis apostolicae in quaestionibus inter episcopos agitatas. Et hinc cernito initium schismatis deinde invalescentis in ea regione.

Praesto sunt Canones nicaeni, quorum transcriptores vel sensum perverterunt, aut alios subtraxerunt ab eorum elencho genuino. Praesto sunt

episcopos, qui sunt in provincia, de eo dissentire, illis quidem eum, de quo fertur sententia, innocentem pronunciantibus, his vero reum; pro tota componenda controversia visum est sanctae Synodo, ut metropolitanus episcopus ex propinqua provincia alios evocet judicaturos, et controversiam decisuros: et cum provincialibus, quod probatum fuerit, confirmet. »

In Canone XV. innovatur decretum: « Siquis episcopus aliquorum criminum accusatus, fuerit ab omnibus provinciae episcopis condemnatus; et omnes unam consentientem adversus eum sententiam tulerint, is ne amplius ab aliis judicetur; sed provinciae episcoporum firma maneat concors sententia. »

In Canone XXVIII. Concilii africani a Dionysio Exiguo citati legitur: « Item placuit, ut presbyteri, diaconi, vel ceteri inferiores clerici in causis, quas habuerint, si de judiciis episcoporum suorum questi fuerint, vicini episcopi eos cum consensu sui episcopi audiant; et inter eos definiant ab eis adhibiti episcopi. Quod si et ab eis provocandum putaverint, non provocent ad transmarina judicia, sed ad primates suarum provinciarum, sicuti et de episcopis constitutum est. Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, a nullo intra Africam ad communionem suscipiatur. »

In Canone IX. chalcedonensis Synodi legitur: « Siquis clericus adversus clericum habet negotium, non deserat episcopum proprium .... Quod si clericus habet causam adversus episcopum proprium, vel adversus alterum, apud Synodum provinciae judicetur. Quod si adversus ejusdem provinciae metropolitanum episcopus vel clericus habeat querelam, petat primatem dioeceseos, aut sedem Urbis regiae constantinopolitanae et apud ipsam judicetur. »

Et hi sunt Canones, qui sparsim occurrunt ceteris innumeris Canonibus inserti: de quorum auctoritate judicem advoco lectorem, qui praefatis elucubrationibus intenderit animum.

Et hîc, ne in his confutandis documenta supra discussa proferam, sufficiat nunc epistola Julii Papae: in qua eusebianos corripit, quod in Synodo antiochena egerint circa Athanasium et socios orthodoxos contra Canonem, quem apostoli statuerunt. In n. 21. inquit, episcopos et clericos a suis sedibus amotos ab eusebianis, Romam se contulisse, ut coram Papa causam suam agerent: et hoc factum ab eis esse juxta veterem consuetudinem. Deinde in n. 22. subdit Julius: « Nam si omnino, ut dicitis, aliqua fuit eorum culpa, judicium secundum *ecclesiasticum Canonem*, nec eo pacto, fieri oportuit. Oportuit omnibus nobis scripsisse, ut ita ab omnibus, quod justum esset, decerneretur. Episcopi enim erant, qui patiebantur, nec vulgares ecclesiae, quae patiebantur; sed quas ipsi apostoli per se gubernabant. Cur autem de alexandrina potissimum ecclesia nihil nobis scriptum est? An ignoratis hanc esse consuetudinem, ut pri-

mum nobis scribatur, et hinc quod justum est, decernatur? Sane siqua ejusmodi suspicio in illius urbis episcopum (Athanasium) cadebat, ad hanc Ecclesiam scribendum fuisset. Nunc autem illi, re nobis non indicata, postquam, quod libuit, egere, nos, quibus ea crimina explorata non sunt, sibi demum suffragatores esse volunt. Nequaquam talia sunt Pauli stastuta: non haec Patres tradiderunt; sed aliena ista forma etc. »

Et hoc sane est, quod Sozomenes et Socrates patria traditione instructi, luculenter docuerunt. Sozomenes in Lib. III. c. X. Hist. Eccles. inquit: Εἶναι γὰρ νόμον ἱερατικὸν, ὡς ἄκυρα ἀποφαίνειν τὰ παρὰ γνώμην πραττόμενα τοῦ ῥωμαίων ἐπισκόπου, legem enim *hieraticam* sacerdotalem vel sacram esse ut pro irritis habeantur, quae extra sententiam Episcopi Romani gesta fuerint. » Socrates in Libro II. Histor. Eccles. c. XVII. ait: Τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ κανόνος κελεύοντος, μὴ δεῖν παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ρώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας, ecclesiastico Canone mandante, non esse praeter sententiam Episcopi Romani, ab ecclesiis aliquid decernendum. » Si lex sacra statuit irrita haberi decreta quaecumque extra sententiam Episcopi Romani gesta: et si Canon ecclesiasticus mandat, nihil ab ecclesiis, idest ab earum episcopis, decernendum esse extra mentem Antistitis Romani; quomodo stant praefati Canones, in quibus penitus excluditur conscientia Sedis apostolicae in expediendis quibusvis controversiis in Ecclesia excitatis?

Hinc duo ab hoc testimonio eruuntur contra citatos Canones ac potissimum contra Canonem XV. antiochenum ideo elaboratum ac subscriptum ab eisdem eusebianis contra Canonem apostolicum et praxim ecclesiasticam, a Julio Papa eis objectam, referendi ad Antistitem Romae acta synodalia cujusque regionis et provinciae pro eorumdem sanctione. Quare eusebiani, cum primam partem non expleverint, nec ideo alteram partem consecuti sint pro sanctione actuum synodalium in Athanasium, Canonem novum instituerunt adversum avitam Ecclesiae traditionem a Julio confirmatam. Et hunc sane commentitium adscripserunt apostolis in oppositionem alterius Canonis et quidem sincerissimi et revera apostolici, quocum Papa refutavit illorum praesumptiones se subtrahendi ab istius auctoritate.

Quanto vero jure, dixi, hunc Canonem adoptasse eusebianos adversus praxim apostolicam a Julio confirmatam, testantur praefati historici Socrates et Sozomenes. Is enim in citato Lib. III. c. VIII. narrans quomodo Pontifex episcopis orientalibus increpuerit, quod Concilii nicaeni decretis minime acquievissent, inquit eosdem Julio exprobrasse communionem cum Athanasio: « perinde ac si ipsorum Synodus contumelia affecta esset, et judicium abrogatum. Idque facinus ut injustum et ab ecclesiasticis alienum legibus reprehendebant. His de rebus ita conquesti, gravique injuria se affectos esse testati, pacem quidem et communicationem Julio polliciti sunt, si depositionem eorum, qui ab ipsis fuerant ex-

pulsi, et illorum ordinationem, qui in priorum locum substituti fuerant, admittere voluisset. Si vero decretis ipsorum resisteret, contraria denuntiabant. » Cum ergo Julius non acquievisset eusebianorum instantiis (nec ullimode poterat) quid mirum, si ipsi alium Canonem commenti sint in dejectionem primi, eumque titulo apostolici adornarint, ut diruerent quod antea aedificarunt quoad pontificiam auctoritatem supra totius mundi episcopatum et cujusque generis Synodos?

Huic porro Julii testimonio consonat, ut de aliis taceam, Gelasius Papa I. in epistola 4. sive Commonitorio ad Faustum circa Acacium a Sede apostolica damnatum. (Labbei Tom. VIII. p. 16) Incipit *Ego.*

« Nobis opponunt, ait, Canones, dum nesciunt quid loquantur: contra quos hoc ipso venire se produnt, quod primae Sedi *sana rectaque* suadenti, parere fugiunt. Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiae ad hujus Sedis examen voluere deferri. Ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt; ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare, ipsam ad nullius commeare judicium: nec de ejus unquam praeceperunt judicio judicari; sententiamque illius constituerunt non oportere dissolvi: cujus potius decreta sequenda mandarunt.

« In hac ipsa causa Timotheus alexandrinus et Petrus antiochenus, Petrus, Paulus, Joannes et ceteri non solum unius, sed plures utique nomen praeferentes sacerdotii, sola Sedis auctoritate apostolicae sunt dejecti: cujus rei testis etiam ipse docetur Acacius, qui praeceptionis hujus extitit executor..... Ceterum isti, qui sacri, qui ecclesiastici, qui legitimi celebrantur Canones, Sedem apostolicam ad judicium vocare non possunt. Et constantinopolitanae civitatis episcopus, quae utique per Canones inter sedes nullum nomen accepit, in communionem recidens perfidorum, non debuit submoveri?.... Non est mirum, si isti Sedem Petri blasphemare praesumunt, qui talia portenta vel corde gerunt, vel ore diffundunt; et nos superbos insuper esse pronunciant: cum eis prima Sedes, quidquid est pietatis, non desistat offerre, illi eam ipso protervo spiritu subjugare se posse confidant. Sed captos mente facere ista non mirum est. Sic phrenetici solent medicantes quoque veluti hostes putare vel caedere.

« Quaero tamen ab his: judicium quod praetendunt, ubinam possit agitari, an apud ipsos, ut iidem sint inimici et testes et judices? Sed tali judicio nec humana debent committi negotia, nedum divinae Legis integritas. Si quantum ad religionem spectat, non nisi apostolicae Sedi juxta Canones debetur summa totius judicii: si quantum ad seculi potestatem, illa a pontificibus et praecipue beati Petri vicario debet cognoscere, quae divina sunt, non ipsa eadem dijudicare. Nec sibi quisquam potentissimus seculi (qui tamen christianus est) vindicare praesumit, nisi religionem forsitan persequens. Quid tamen dicerent, si non chartis suis in omnibus vincerentur? Ineptias itaque suas sibi servent, nisi

ditionem Ecclesiae et privilegia Sedis apostolicae, aliis insuper subtractis, falsatis aliis, qui talia propugnabant privilegia: de quo idem s. Gregorius conqueritur. Proindeque si, ut ait Papa, quatuor oecumenica Concilia accipienda sunt sicuti quatuor Libri s. Evangelii; haec verba tamen intelligantur de fide catholica in his vindicata adversus haereticos sicuti de juribus Episcopatus Romani: nullimode vero de episcoporum aut Synodorum definitionibus, excluso interventu Sedis apostolicae. Quod in primis statuit Synodus nicaena, veterum Patrum suffulta auctoritate.

Et hinc, si calamus pravus Canones et constitutiones commentus est ab apostolicis constitutionibus alienas immo contra sensum earumdem: et si calamus pravus falsavit, interpolavit, surripuit nonnullos Canones nicaenos, ita ut Sedis apostolicae jura obliterarentur; et si fraudulenta manus in Acta Concilii oecumenici constantinopolitani et chalcedonensis intulit Canonem de episcopatus hujus Sede collocanda post Romanam, abrasis quoque praerogativis ejusdem; non defuerunt tamen, qui in sua integritate eos citarent, Ecclesiae Patres, et praesertim Antistites Romani Leo et Gregorius: in quorum archiviis ab ipsa Concilii aetate collocati fuerunt, ut sic obtestarentur contra illorum falsatores et subtractores. Et reapse hoc est, quod diuturno labore me assecutum esse confido adversus studium tam priscorum quam recentiorum Sedis apostolicae oppugnatorum.

Demum, quidquid putandum sit de origine et auctoritate praefatorum innumerorum Canonum, nullus tamen mihi unquam suadebit, apostolos, Patres nicaenos, constantinopolitanos, africanos, chalcedonenses, et quidem orthodoxos, quandoque tales sancivisse Canones; in quibus Petri et successorum suorum imminuitur et deletur primatus; ac una Pontificatus Romani expugnatur jurisdictio supra Ecclesiae Catholicae episcopatum. Quod tantopere sive in suis scriptis privatis, seu coram Synodis et maxime adversus haereticos disputantes saepissime et lucidissime Pontifices et Patres successiva et perpetua ecclesiastica traditione muniti propugnarunt.

CONCLUSIO

Rebus sic stantibus, si Canones nicaeni de appellationibus ad Sedem apostolicam et de primatu Romani Pontificis supra ceteros mundi antistites ab eorum catalogo detracti, aut mutilati, arctam ruperint harmoniam, quae primaevos Occidentis et Orientis fideles junxerat in una eademque observantia erga Petri Cathedram omnium credentium magistram; et si Canones antiocheni perfide ab eusebianis elaborati, illos praesertim inquam, in quibus sacra Pontificis Romani privilegia obliterantur, firmarunt schisma ab hac sancta Sede: et si scriptores posteri illusi, quodammodo scandalum adjuverunt cum illorum silentio, ab his Canonibus provocatum; ex adverso fatendum quoque est, eosdem Canones ab hac sacrosancta et oecumenica Synodo adprobatos, ac tantorum virorum 318. sapientia et sanctitate excellentium subscriptione munitos, inpraesentiarum nobis exhiberi ab oblivione et perditione reparatos, et in sua integritate restitutos; et hinc veluti somno experrectos, surgere et obtestari adversus schismaticorum et novatorum impetum; et eodem tempore sese erigere uti scopulos, contra quos franguntur ingentes hujus turbidi maris fluctus.

Deinde nemo ignoret, qui Canones antiochenos adversus nicaenos instituerunt, eusebianos, paulo antequam a Petri Cathedra scinderentur, scribentes ad Julium Papam, hoc potissimum documentum posteritati tradidisse: quod citatur a Sozomene in Libro III. Hist. Eccles. c. VIII: Φέρειν μὲν γὰρ πᾶσι φιλοτιμίαν τὴν ῥωμαίων Εκκλησίαν ἐν τοῖς γράμμασιν ὡμολόγουν, ὡς ἀποςτολων φροντιστήριον, καὶ ἐυσεβείας μητρόπολιν ἐξ ἀρχῆς γεγενημένην. Fatebantur enim (episcopi eusebiani) in litteris (ad Papam) romanorum Ecclesiam penes omnes referre aestimationem, quippe ab initio apostolorum Domicilium sive Scholam factam, et Metropolim verae pietatis. »

Unam ergo religionis Metropolim ab initio factam esse et Scholam apostolicam Ecclesiam Romanam confessi sunt eusebiani. Hinc fit, ut ob hujus metropolis unitatem ceterae ecclesiae christianae necessario ab eadem penderent, alexandrina nempe, antiochena, hierosolymitana constantinopolitana et ceterae tanquam ab unitatis centro et tanquam filiae a matre sicuti in metropoli seculari. Et amplius ab eisdem eusebianis haec vocatur apostolorum Schola, ad quam omnes accedebant fideles, ut veritatem discerent, fideique unitatem custodirent. Et hoc docuerant eusebiani a primaevis Patribus eruditi: idemque sanciverant cum ceteris episcopis in Synodo nicaena antequam deficerent a fide vera. Quod satis satisque est pro argumento nostro.

Hoc autem privilegium docebant eusebiani consecutam esse Ecclesiam

Romanam, ex quo Petrus Sedem fixit in hac imperii Metropoli, non ob conditionem urbis Romae capitis Universi, sed ob conditionem Simonis apostoli: quem Christus Jesus constituit Petram Ecclesiae suae, primatem et Pontificem maximum totius orbis christiani. Nisi quod eusebiani ab hac Schola apostolica et Metropoli damnati, cum constituerint sibi magistros seorsim a Schola et Magisterio Ecclesiae Romanae, refutarunt quod antea sanciverant in Synodo oecumenica, episcopis ecclesiarum tantummodo vocatis suarum quaestionum judicibus, derelicta Metropoli, et Schola apostolorum a Petri successore gubernata.

Et hoc sane documentum genuinum ab haereticis probatum (quamvis conati sint ad suas partes trahere) illustrat et confirmat amplissime nostram thesim; ac una refutat et emendat quidquid passim a manu occulta et infideli 400. Canonibus adversus Sedis apostolicae jura intrusum fuit, et orthodoxis viris inscriptum. Quare, collatis nuper citatis Canonibus cum hac eusebianorum confessione de Ecclesia Romana, infertur, stantibus his decretis, frustra eosdem nuncupasse hanc Ecclesiam Metropolim veraē pietatis et Scholam apostolicam, cum discipuli ab ea erudiendi hanc dereliquerint oderintque, ne amplius ejus audirent vocem. [1]

Cum igitur talia sint Synodi nicaenae statuta et maxime quod quaeritur circa Sedis apostolicae jura supra universum mundum, in quo invocatum est nomen Domini nostri Jesu Christi, ita tantumdem patet hos Canones mentem et fidem exprimere omnium episcoporum, idest totius

[1] Nemo porro miretur, si denuo insto adversus Canonum antiochenorum auctoritatem; et hoc ob multorum illusionem. In primis concedo, veluti antea dictum est, plures horum Canonum Catholicae accommodari disciplinae; cum tamen nonnulli manifeste eidem adversentur: ubi potissimum agitur de synodalibus definitionibus; quae nisi a Sede apostolica firmentur, nullius pretii habentur in Ecclesia. Quod maxime notatur in Canone XIV. et XV. Quamobrem etsi penes nonnullos catholicos praesertim inferioris aetatis quidam eorum citentur; nihilominus qui eorum omnium fontes sive auctores probe agnovere et essentiam, Julius Papa, inquam, Athanasius, Innocentius I. Chrysostomus, Palladius, Socrates aliique, libere hos Canones refutarunt tanquam dolosas eusebianorum technas.

Athanasius in Libro *De Synodis* prorsus hanc Synodum rejicit cum suis Canonibus. Item Julius Papa refutat Synodum hanc et Canones ejusdem, eo quod in ipsis agitur contra Ecclesiae praxim. Socrates in Libro VI. c. XVIII. ex Chrysostomo scribit: « Joannes cum rursus contenderet, non Ecclesiae Catholicae, sed arianorum Canonem illum esse: episcopi enim olim Antiochiae congregati ad evertendam consubstantialitatis fidem praeodio, quo adversus Athanasium flagrabant, hunc Canonem condiderunt, Leontius et ceteri, repudiata ejus defensione etc. » Palladius item in Vita Chrysostomi de iis, qui post synodalem sententiam in pristinam sedem semetipsos restituere a 40. episcopis arianis conditum hunc ait. Item Innocentius Papa. Jam dixi, eusebianos, ut Athanasius cum suis in Synodo antiochena damnaretur, sibi obstantibus priscis Ecclesiae Canonibus, novos edidisse, ut se emanciparent a Sede apostolica judice supremo in his quaestionibus.

Demum, si Pontifices Romani quandoque citarint nonnullos horum Canonum ceu ecclesiasticae disciplinae consentaneos, nullimode tamen ceteros adprobarunt, unde inferebatur, decreta synodalia absque pontificia sanctione esse inappellabilia: supra quae vehementer instabant eusebiani ob praefatas causas.

tima cum persuasione se nihil novi introducturos esse, sed
tionem, quae a traditione apostolica acceperant, adversus
fidei et Patrum constitutionum.
is non tantum veterum Patrum et Pontificum scripta
subtractionem et falsationem Canonum nicaenorum,
e Sedis apostolicae jurisdictione supra universum
ctione decretis hujus Sedis sive fidem, seu mo-
tibus, quare admodum laboravi ut ii Canones
enuinum suum statum, non obstantibus cri-
heterodoxorum et quorumdam (mihi do-
ionibus: verum et ipsi quoque adversa-
etiamsi nolentes, confessi sunt horum Canonum
emque constituere actuum Synodi nicaenae.
testatur Sozomenes in citato Libro III. c. VIII. inquiens:
is autem, quae (Orientis episcopi eusebiani) gesserant contra de-
ynodi nicaenae, nihil ei (Julio) rescripserunt: multas quidem cau-
nificantes easque necessarias, quibus factum suum defenderent; in-
tiarum vero superfluum arbitrantes etc. » Cum ergo ajunt Papae,
dam gessisse contra decreta Synodi nicaenae in causa Athanasii,
entur, revera talia decreta de privilegiis Sedis apostolicae statuis-
copos in ea congregatos; de quibus decretis tamen nihil Papae
serunt. Eusebiani non diffitebantur Canones nicaenos de ejusmodi
giis; ast asseverabant se a poenis in iis inflictis esse immunes. In-
ati sunt Canones de juribus pontificiis, non vero negarunt existen-
lorum; quos postea falsatos et subtractos fuisse ab eisdem aut a
oribus hucusque ostendi.
t haec nosse admodum praestat, qui ad horum Canonum sanctio-
nvenerant, unde essent, a quibus provinciis advenerint. Narrat
us in Libro III. *De vita Constantini* c. VII. « Ex omnibus, ait, nam-
clesiis, quae frequentes in tota Europa, Africa et Asia extiterunt,
inter Dei ministros primum locum obtinebant, in unum convene-
emplum enim Nicaeae, velut Dei nutu amplificatum, intra parie-
s, syros pariter et cilices, phoenices, arabes et palaestinos, aegy-
hebanos, afros, aliosque ex Mesopotamia profectos recipit. Aderat
una in Concilio Persidis episcopus: nec ab hoc choro scyta ab-
ontus item Galatia, Pamphilia, Cappadocia, Asia et Phrygia viros
s lectissimos suppeditarunt. Quinetiam thraces, macedones, achaei,
e, et quorum domicilia multo longiore locorum intervallo dista-
ab India scilicet et barbarorum terris) eo adventarunt. Ex ipsis
is unus nominis et famae celebritatis insignis, cum aliis multis in
u illo adfuit. Et quamquam urbis regiae (idest Romae episcopus)
scente aetate praepeditus, abfuit, ejus tamen presbyteri, qui ade-
uppleverunt illius locum. »

Cuncti itaque ex his regionibus profecti episcopi, Synodo adstiterunt, unam professi fidem, unam quoque agnoscentes Ecclesiam Catholicam, et unum pastorem, qui juxta divinum Christi mandatum agnos et oves pasceret; et hinc primatum teneret supra omnes episcopos, metropolitas, primates et patriarchas. In hoc, iterum dico, convenerunt nicaeni Patres sub Sedis apostolicae auspiciis atque juris pontificii obsequio: ac unanimes per distinctos Canones decreverunt, omnes quaestiones undequaque promotas, seu ad fidem, sive ad mores, sive ad episcopatus ordinem, aut ad disciplinam spectantes, esse ad Petri Cathedrae arbitratum referendas: *Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, et ego audiam.* Et licet praefati antistites lingua varii forent et natione dissiti, tamen eorum vox una resonuit in Concilio, acclamantium Jesu Chisti verbis ad Simonem, quem vocavit Petram, adversus quam inferorum portae non praevaluissent.

Ac postremo in confusionem maximae partis hodierni episcopatus Asiae, Ponti, Orientis, Aegypti et aliarum provinciarum, nemo ignoret, Canones nicaenos de jurisdictione Romanae Sedis supra universalem Ecclesiam non fuisse sancitos opera seu numero praevalente episcoporum occidentalium, prout cuipiam alias forte praesumere liceret, variis consideratis Ecclesiae circumstantiis. Hujusmodi enim praesumptio in casu nostro penitus dissipatur, si consideretur, minimam occidentalium episcoporum, et maximam orientalium partem convenisse ad hanc Synodum pugnandi causa pro Christi Jesu divinitate ejusque cum Patre consubstantialitate et pro sanctissimis Romani Pontificatus juribus: quod apicem nostrarum disquisitionum constituit, perpetuam adversariorum concussionem, vulnusque desperatum.

FINIS PARTIS SECUNDAE.

DE

HEBRAEORUM ET CHRISTIANORUM

SACRA MONARCHIA

ET DE

INFALLIBILI IN UTRAQUE MAGISTERIO

JACOBUS CEPHAS ET JOANNES

QUORUM MENTIO IN EPISTOLA AD GALATAS C. II. 9.
EXTRA CATALOGUM DUODECIM APOSTOLORUM ET FRATRUM DOMINI
COLLOCANDI.

PARS TERTIA

Scio aliter habere apostolos, aliter reliquos tractatores: illos semper vera dicere, istos in quibusdam errare.

S. Hieronymus in Epistola 82.
ad Theophilum n. 7.

PROLOGUS

Postquam beati Petri supra ceteros apostolos constituti a Christo ad Ecclesiae suae regimen, dotes enarravimus, quibus Aaron in populo Israelis aliquando a Deo ditatus fuit, nemo ignorat veterem hucusque pergentem quaestionem inter divinorum Bibliorum interpretes de persona Cephae a Paulo, in Epistola ad Galatas, reprehensi; quem alii cum Jacobo et Joanne inter Christi apostolos primores, alii inter discipulos collocarunt et collocant: et quanto insuper studio tunc disputatum sit et adhuc disputetur potissimum ab Ecclesiae reformatoribus et Romani Pontificatus hostibus, arbitratis in eo Cepha repraesentari Simonem Petrum apostolum; sicuti in aliis duobus Joannem Zebedaei et Jacobum Hierosolymorum episcopum designari.

Quamobrem non parum conferet, si denuo hanc aggrediamur quaestionem, accuratius perscrutati, an revera tres apostoli primores, vel aliter tres discipuli inferioris gradus errantes, correpti sint ab Apostolo. Ac interim nequis pusillanimis offendatur ob hanc quaestionem, haud nesciat, quod primus Clemens alexandrinus solertissimus doctrinae apostolicae indagator, in Libro V. *Hypotyposeon* (quae sibi volunt Scripturae enarrationes in compendium redactas) scripserit: « Cepham illum, cui Antiochiam ingresso, Paulus se palam restitisse ait, quoniam reprehensione dignus erat, unum asserit fuisse ex 70. discipulis, Petro apostolo cognominem. » Sic et Eusebius in Libro 1. Hist. Eccl. c. XII. testatur.

Item Dorotheus tyrius et Auctor Chronici alexandrini in Catalogo 70. discipulorum collocant Cepham ab Apostolo reprehensum. S. Hieronymus in Commentarii ejusdem Epistolae Prologo, scribit: « Sunt qui Cepham, cui hîc in faciem Paulus restitisse se

dicit, non putant apostolum Petrum, sed alium de 70. discipulis, isto vocabulo nuncupatum. » S. Chrysostomus in Homilia inscripta: *In faciem ei restiti* etc. quaestionis inspecta difficultate, ait: « Quo igitur pacto nonnulli hanc solverunt quaestionem? Non erat hic, inquiunt, ille primus Apostolus, cui fuerunt oves a Christo creditae, sed alius quispiam vilis et abjectus et vulgaris homo. Ac interea addit: « Porro si libet, excogitatas etiam aliis defensiones, ubi primo loco posuero, tum meam quoque sententiam conabor expromere: vobisque faciam optionem, ut ex iis, quae dicta fuerint, quod potissimum placeat, eligatis. »

Inter recentiores autem, qui hoc idem existimarunt, praeclaros viros memorabo Albertum Pighium, Alexandrum Carrerium, Vallarsium in Editione Operum s. Hieronymi, Harduinum, Zaccariam, Dominicum Cerrium aliosque. Quorum omnium repetens expendensque argumenta, nova his superstruere incumbam, ut tandem liqueat, non Cepham tantum, sed et Jacobum et Joannem una in commate 9. c. II. Epistolae ad Galatas commemoratos a Paulo, extra collegium duodecim apostolorum et a numero fratrum Domini ablegandos esse; nec ideo unquam cum his confundendos, quin derogetur Actuum Historiae, Bibliorum harmoniae, chronologiae ordini, rethoricae locutioni, Simonis Petri praerogativis, Pauli dignitati, ejusdem Epistolae scopo, et omnium epistolarum apostolicarum tenori.

Ceteroquin neminem lateat, quod quidem praemittendum est, haud simulationem tantum nobis facessere, de qua Paulus Cepham Petrum arguit; verum et amplius ejusdem Petri, sicuti et sociorum ejus Jacobi et Joannis studium pro mosaicis institutionibus et praesertim circumcisione in Ecclesia christiana servandis, ita ut eosdem Synodo hierosolymitanae adstitisse necessario consequeretur, non pro tuenda Evangelii Christi libertate, sed pro Legis mosaicae servitute instauranda secundum pharisaeorum placita; a quibus non nisi per valida ejusdem Pauli argumenta recessissent.

Et re quidem vera, plures ex antiquis Patribus, illorum neglecta opinione, qui Cepham ab Apostolo citatum, alium existimarunt a Simone Petro, etsi quomodo hunc excusarent studerent, attamen reputarunt, tres praefatos Jacobum, Cepham et Joannem ex

primoribus apostolis, in quibus Petrum, docuisse Legis mosaicae et hinc circumcisionis necessitatem in gentibus, quae crediderant. Quare seriore aetate Salmeronius antiquorum auctoritate, in Commentariis ad illud, *sed neque Titus* etc. in hanc illationem trahitur inquiens: « Titi attulit Apostolus exemplum, qui Hierosolymis a primis apostolorum compelli non potuerit, ut circumcideretur. » Et sic de ceteris loqui fas est hujus Epistolae interpretibus, qui in hanc consequentiam necessario offenderunt, insuper adjicientes anathemata, quibus Paulus iis imprecatur, qui secus evangelizassent, implicite saltem supra Petrum revolvi Joannem et Jacobum, hypothesi accepta, Cepham in hoc loco eamdem indicare Petri apostoli personam.

Propterea Baronius sub an. 51. quaestionis gravitate ac difficultate intentis, scribebat: « Siste gradum, lector, hîc petra scandali, hîc plane lapis offensionis est, in quem plures impegisse noscuntur. Qui enim historiam captu difficilem, nulla alia adhibita diligentioris studii consideratione, cursim legentes, sunt interpretati, eo insaniae progressi sunt, ut vel Paulum temeritatis arguerent, quod in Petrum ille non tam libere quam procaciter invectus sit; seu hypocrisis nomine suggillent Petrum, quod ageret simulate: vel utrumque condemnent, quod non in eamdem fidei regulam consentirent. »

Et profecto ab initio seculi tertii Marcion, apud Tertullianum, ex hujus contentionis praetextu inter Paulum et Petrum, eos non incessisse recta via ad veritatem Evangelii, exclamare solitus erat. Item De haereticorum Praescriptione c. 23. ait: « eos allegare Petrum a Paulo reprehensum ob aliam Evangelii formam a Paulo eodem superductam contra eam, quam praemiserat Petrus et ceteri. » Porphyrius ex Hieronymo in Paulum invehitur, eumque procacitatis arguit, qui principem apostolorum Petrum ausus sit reprehendere, ac ratione constringere quod male fecerit. Pariter Julianus Apostata ex Cyrillo alexandrino « cavillatur et eximium inter sanctos apostolos Petrum, et hypocritam esse dicit, et per Paulum reprehensum, quod interdum graecorum moribus vivere studuerit, interdum etiam judaeorum. » Sic Cyrillus Alex. Lib. IX. contra Julianum.

Calvinus in eumdem locum: « neque enim, disserit, simpliciter

Paulus reprehendit Petrum, ut christianum; sed id ex officio, ut vulgo loquuntur, hoc est pro jure apostolicae personae, quam sustinebat. Atque hîc altero fulmine prosternitur Romanus Papatus. Praesertim vero coarguitur illa impudentia, quod ille se immunem jactet a reddenda ratione; et quod universae Ecclesiae judicio se eximit. Hic unus homo non temere, non illicita audacia, sed pro concessa sibi a Deo potestate, Petrum coram Ecclesia castigat; et Petrus obedientem se submittit. »

Nec secus docet Lutherus, non solum inquiens in hac causa errasse Petrum, sed insignem lapsum commisisse. Ab eorumdem tandem Lutheri et Calvini schola, ceteri, qui successere, ad hanc usque diem, voce et scriptis ex hac Pauli elocutione moti, institere ad Romani Pontificatus supremam minuendam auctoritatem, ostendentes « frustra laborare pontificios (ita loquitur Wilhelmus Momma), quibus nostrates opponunt, et dicunt Petrum Paulo et reliquis apostolis non fuisse superiorem; immo Paulum in nonnullis excelluisse. » Eaque propter progressi docent Ecclesiam, sicuti nunc est, non eam ab apostolo Petro fundatam haberi, sed a Paulo, potissimum huic freti Epistolae. Novissime Doctor Cumming presbyterianus in Litteris ad Rm̃um Manning Archiepiscopum Westmonasterii in *Postulato secundo* ad Concilium oecumenicum Vaticanum haec inquit: *Poterit ne Concilium explicare, cur Petrus Vicarius Jesu Christi a Paulo reprehensus, non excommunicaverit ipsum Paulum; sed e converso morem suum emendaverit Petrus?*

Ex his praemissis nemo non videt, sicut antea, et nunc magis quaestionis gravitatem, dummodo illis accedere velimus, qui opinantur tres apostolos primores a Paulo indicari in citato commate. A qua ut evadant interpretes, quidam occultant difficultatem, alii Scripturae verbis inferunt violentiam, nonnulli Paulum animo ferventem vocant, quasi ex hoc fervore praeter illud, quod aptum videretur, scripsisset.

Ac interim ne laboret lector in conferendis Bibliorum documentis, hanc spectantibus quaestionem, visum est hîc subjungere caput XV. Actuum apostolorum, et quae huic affinia putantur, capita I. et II. Epistolae ad Galatas; ex quorum collatione et interpretatione maxime pendet quaestionis expeditio.

ACTUUM APOSTOLORUM

CAPUT XV.

1. Et quidam descendentes de Judaea, docebant fratres: quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari.

2. Facta ergo seditione non minima Paulo et Barnabae adversus illos, statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas, et quidam alii ex aliis ad apostolos, et presbyteros in Jerusalem super hac quaestione.

3. Illi ergo deducti ab Ecclesia pertransibant Phoenicen, et Samariam, narrantes conversionem gentium: et faciebant gaudium magnum omnibus fratribus.

4. Cum autem venissent Jerosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia, et ab apostolis et senioribus annunciantes quanta Deus fecisset cum illis.

5. Serrexerunt autem quidam de haeresi Pharisaeorum, qui crediderunt, dicentes: quia oportet circumcidi eos, praecipere quoque servare Legem Moysi.

6. Conveneruntque apostoli, et seniores videre de verbo hoc.

7. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii, et credere.

8. Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illi Spiritum sanctum, sicut et nobis.

9. Et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum.

10. Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervicem discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?

11. Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi.

12. Tacuit autem omnis multitudo: et audiebant Barnabam et Paulum, narrantes quanta Deus fecisset signa, et prodigia in gentibus per eos.

13. Et postquam tacuerunt, respondit Jacobus, dicens: viri fratres, audite me.

14. Simon narravit quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo.

15. Et huic concordant verba Prophetarum, sicut scriptum est:

16. Post haec revertar, et reaedificabo tabernaculum David, quod decidit: et diruta ejus reaedificabo, et erigam illud.

17. Ut requirant ceteri hominum Dominum, et omnes gentes, super quas invocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens haec.

18. Notum a saeculo est Domino opus suum.

19. Propter quod ego judico non inquietari [illegible]
vertuntur ad Deum.

20. Sed scribere ad eos ut abstineant se a contaminationibus simulachrorum, et fornicatione, et sanguine.

21. Moyses enim a temporibus antiquis habet in singulis civitatibus qui eum praedicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.

22. Tunc placuit apostolis, et senioribus cum omni Ecclesia, eligere viros ex eis, et mittere Antiochiam cum Paulo et Barnaba, Judam, qui cognominabatur Barsabas, et Silam viros primos in fratribus.

23. Scribentes per manus eorum. Apostoli et seniores fratres, his, qui sunt Antiochiae, et Syriae, et Ciliciae fratribus ex gentibus, salutem.

24. Quoniam audivimus quia quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus.

25. Placuit nobis collectis in unum, eligere viros, et mittere ad vos cum charissimis nostris Barnaba, et Paulo.

26. Hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri Jesu Christi.

27. Misimus ergo Judam, et Silam, qui et ipsi vobis verbis referent eadem.

28. Visum est enim Spiritui sancto, et nobis nihil ultra imponere vobis oneris quam haec necessaria.

29. Ut abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, et sanguine, et suffocato, et fornicatione, a quibus custodientes vos, bene agetis. Valete.

30. Illi ergo dimissi, descenderunt Antiochiam: et congregata multitudine, tradiderunt epistolam.

31. Quam cum legissent, gavisi sunt super consolatione.

32. Judas autem, et Silas, et ipsi cum essent Prophetae, verbo plurimo consolati sunt fratres, et confirmaverunt.

33. Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace a fratribus ad eos, qui miserant illos.

34. Visum est autem Silae ibi remanere: Judas autem solus abiit Jerusalem.

35. Paulus autem et Barnabas demorabantur Antiochiae docentes: et evangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini.

36. Post aliquot autem dies, dixit ad Barnabam Paulus: revertentes visitemus fratres per universas civitates, in quibus praedicavimus verbum Domini, quomodo se habeant.

37. Barnabas autem volebat secum assumere et Joannem, qui cognominabatur Marcus.

38. Paulus autem rogabat eum (ut qui discessisset ab eis de Pamphylia, et non isset cum eis in opus) non debere recipi.

39. Facta est autem dissensio, ita ut discederent ab invicem, et Barnabas quidem assumpto Marco, navigaret Cyprum.

40. Paulus vero electo Sila profectus est, traditus gratiae Dei a fratribus.

41. Perambulabat autem Syriam, et Ciliciam, confirmans Ecclesias: praecipiens custodire praecepta apostolorum, et seniorum.

EPISTOLAE AD GALATAS

CAPUT I.

1. Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem, qui suscitavit eum a mortuis,

2. Et qui mecum sunt omnes fratres, ecclesiis Galatiae;

3. Gratia vobis, et pax a Deo Patre, et Domino nostro Jesu Christo.

4. Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de praesenti saeculo nequam, secundum voluntatem Dei et Patris nostri.

5. Cui est gloria in saecula saeculorum: Amen.

6. Miror quod sic tam cito trasferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi in aliud Evangelium.

7. Quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, et volunt convertere Evangelium Christi.

8. Sed licet nos, aut Angelus de coelo evangelizet vobis praeterquam evangelizavimus vobis, anathema sit.

9. Sicut praediximus, et nunc iterum dico: si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit.

19. Modo enim hominibus suadeo, an Deo? An quaero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem.

11. Notum enim vobis facio, fratres, Evangelium, quod evangelizatum est a me, quia non est secundum hominem.

12. Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.

13. Audistis enim conversationem meam aliquando in Judaismo: quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam.

14. Et proficiebam in Judaismo supra multos coaetaneos meos in genere meo, abundantius aemulator existens paternarum mearum traditionum.

15. Cum autem placuit ei, qui me segregavit ex utero matris meae, et vocavit per gratiam suam,

16. Ut revelaret Filium suum in me, ut evangelizarem illum in gentibus: continuo non acquievi carni et sanguini.

17. Neque veni Jerosolymam ad antecessores meos apostolos, sed abii in Arabiam: et iterum reversus sum Damascum.

18. Deinde post annos tres veni Jerosolymam videre Petrum: et mansi apud eum diebus quindecim.

19. Alium autem apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini.

20. Quae autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.

21. Deinde veni in partes Syriae et Ciliciae.

22. Eram autem ignotus facie ecclesiis Judaeae, quae erant in Christo.

23. Tantum autem auditum habebant: quoniam qui persequebatur nos aliquando, nunc evangelizat fidem, quam aliquando expugnabat.

24. Et in me clarificabant Deum.

CAPUT II.

1. Deinde post annos quatuordecim, iterum ascendi Jerosolymam cum Barnaba, assumpto et Tito.

2. Ascendi autem secundum revelationem: et contuli cum illis Evangelium, quod praedico in gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse; ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem.

3. Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset gentilis, compulsus est circumcidi.

4. Sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent.

5. Quibus neque ad horam cessimus subjectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos.

6. Ab iis autem, qui videbantur esse aliquid, (quales aliquando fuerint, nihil mea interest, Deus personam hominis non accipit) mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt.

7. Sed e contra cum vidissent, quod creditum est mihi Evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis.

8. (Qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes).

9. Et cum cognovissent gratiam, quae data est mihi Jacobus, et Cephas, et Joannes, qui videbantur columnae esse, dextras dederunt mihi, et Barnabae societatis: ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem.

10. Tantum ut pauperum memores essemus, quod etiam solicitus fui hoc ipsum facere.

11. Cum autem venisset Cephas Antiochiam: in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.

12. Prius enim quam venirent quidam e Jacobo, cum Gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat, et segregabat se timens eos, qui ex circumcisione erant.

13. Et simulationi ejus consenserunt ceteri Judaei, ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.

14. Sed cum vidissem, quod non recte ambularent ad veritatem Evan-

gelii, dixi Cephae coram omnibus: si tu, cum judaeus eis, gentiliter vivis, et non judaice: quomodo gentes cogis judaizare?

15. Nos natura judaei, et non ex gentibus peccatores;

16. Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus Legis, nisi per fidem Jesu Christi: et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus Legis: propter quod ex operibus Legis non justificabitur omnis caro.

17. Quod si quaerentes justificari in Christo, inventi sumus et ipsi peccatores, numquid Christus peccati minister est? Absit.

18. Si enim quae destruxi, iterum haec aedifico, praevaricatorem me constituo.

19. Ego enim per Legem Legi mortuus sum, ut Deo vivam: Christo confixus sum cruci.

20. Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus. Quod autem nunc vivo in carne: in fide vivo filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.

21. Non abjicio gratiam Dei. Si enim per Legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est. »

Et haec sunt Scripturae testimonia, quae lectorem non pigeat sedulo percurrere, ac opportune inter se conferre, eorumdem inspiciendi causa sensum, mutuamque relationem pro argumenti claritate.

In hac porro discussione brevitatis causa sub nomine *Actuum* comprehenditur Historia Actuum apostolorum; et sub titulo *Epistolae* intelligitur ea, quam ad Galatas scripsit Paulus apostolus.

CAPUT I.

De Petri et Cephae nomine Scripturis apostolicis inserto. Vulgatae Bibliorum latinae editionis quoad Petri ac Cephae pro illorum nomine locoque proprio distinctionem, veluti nunc in Epistolae ad Galatas c. I. et II. notatur, sincera ac genuina instituitur lectio, adeo ut non una, sed duae ibi sumendae sint personae proprietatibus inter se distinctae.

Centies et quinquagies, ni fallor, in apostolicis Scripturis graece et latine exaratis, Petri nomen occurrit, quo apostolorum princeps distincte nuncupatur; cui aliquando alterum Simonis proprium adjicitur. Et octies solummodo Cephae vocabulum inscribitur: idest semel tantum in Joannis Evangelio c. I. quater in Epistola 1. ad Corinthios, et ter in altera ad galatas, ubi quaestio agitur. Quoad autem hanc Petri dictionem apud Evangelistas lingua graeca potius quam chaldaica distinctam, animadvertendum est, jure meritoque hac usos fuisse divinos Scriptores. Ipsi enim ample senserunt, quidquam venerandum ac altius quam quodcumque aliud nomen, hanc praeseferre vocem, cum divinae interrogationi, *vos autem quem me esse dicitis,* Simon responderit: *tu es Christus filius Dei vivi,* ac ideo Christus subdiderit, *et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam.*

Hujusmodi itaque tantique momenti vocabulum, nec a Jesu discipulis, nec ab omnibus christifidelibus ceu dictio vaga quaecumque sumebatur, nec ita sumenda erat. Ac ideo quamvis Redemptor noster judaeorum in Palaestina degentium sermone usus hebraicis chaldaicisque vocibus et formis praedito, Simonem Barjona *Cepham* nuncuparet (haec enim vox *Petram* sibi vult) attamen apostoli ac discipuli hujus mysticae significationis conscii, tam pro se quam pro iis, qui in Christum credidissent, cum ad eos loquerentur, quos chaldaica latebat lingua, ne illis celaretur vocis proindeque dominicae sententiae mysterium, *tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam,* suis in sermonibus, sive scriptis ubique non Cepham, sed graece Petrum dixere, sub hoc nomine *Petram angularem et immobilem* praesignantes, supra quam extruenda erat Ecclesia Dei. Aliter vero de aliorum nominum e. g. Matthaei, Joannis, Jacobi, Bartholomaei, Barsabbae etc. significatione parum solliciti fuerunt, scripto ea mandantes ulla absque interpretatione.

Et hoc eo amplius valet de *Petri* vocabuli, loco Cephae, usu per omnes ecclesias (iis exceptis, quae tantum syrorum linguam callebant) ut Joannes, cum ipse solus inter Evangelistas semel Cephae nomen loco Petri inscripserit, non sine glossa illud reliquerit, ex ore Christi inquiens: *Tu es Simon filius Jona; tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus:*

et, uti ex aliis Scriptis apostolicis eruitur, Simonis nomen raro ab altero Petri sejunctum vadit. Et huic rei testimonium praecipuum perhibet idem Petrus de seipso locutus in Epistolarum ad Asiae fideles initio, ubi primam *Petrus Apostolus*, secundam *Simon Petrus* titulo exorditur. Marcus Petri discipulus ubique in Evangelio, eumdem sub hoc titulo tantum nuncupat. Item Lucas Pauli discipulus suaeque peregrinationis comes, tam in Evangelio quam in Actis, principem apostolorum sub Simonis Petri, ac frequentius sub Petri tantummodo nomine celebrat.

Pari ratione Paulus (sicuti ceteri apostoli et Lucas) nuncupatione eadem Petri usus est, ad galatas scribens, cujus praestantia vocis jam pridem inter eos ab annis circiter viginti in universa Ecclesia sermoni graeco, sive latino assueta patuit. Dictionem utique Petri adhibuit, ubi de reali Petri apostoli persona seorsim a Cepha discipulo disserebat, ceu infra explicabitur. Demum, quod sane notandum est, haud sermonis apostolici simplicitati videtur congruere, eamdem personam in eodem argumento, modo sub Petri, nunc sub Cephae nomine designari, uti egit Apostolus in hac Epistola. Ex quibus omnibus conjiciendum existimo, Paulum ibidem, dum aliquando Petrum, alias Cepham dicit, non unam tantum Petri personam indicare voluisse, quinimmo duas, unam scilicet apostolorum principem, alteram quemdam Jesu discipulum, satis inter se praerogativis distinctas, sicuti in sequentibus patefiet.

His praemissis, scrutatum ineamus textus sacri graeci et latini conditionem (quod valde interest) utrum rata habenda sit Vulgatae lectio, prout nunc servatur, seu quorumdam codicum graecorum et latinorum praeferendus sit textus, ubi Cephae nomini, Petri alterum substituitur. In vers. enim 9. c. II. loco *Jacobus et Cephas et Joannes* (ita sane reddit Vulgata) legerunt alii *Jacobus et Petrus et Joannes.* Item in v. 11. *cum autem venisset Cephas* etc. *cum autem venisset Petrus.* Pariter in 14. scribit Auctor Vulgatae *dixi Cephae,* contra vero codices nonnulli verterunt, *dixi Petro* etc. Ex his profecto tota pendet quaestio. Nam si praeter textum vulgatum legendum foret: ac una tantum ex his subreperet varietas a Vulgata, ubi ter in distinctis locis Petri nomen legitur, ac ter alterum Cephae (sicuti statuo legendum esse) meum tunc frustra insumeretur studium; nihilque, omnibus evanescentibus dubiis, maneret de reali nominis Cephae cum Petri apostoli persona unitate disceptandum.

Verumtamen, uti nuper ajebam, si quodammodo hucusque manet in ea Epistola dubium de Cepha, num scilicet idem sit ac Petrus, illud maxime oritur ex Vulgata latina: quam, quibusvis aliorum codicum lectionibus sive graecis seu latinis posthabitis, uti genuinam potissimis de causis habendam esse duco.

Et primo, ob hujus lectionis antiquitatem, ac sermonis simplicitatem, quo usus est latinus Interpres in nominibus virorum ac rerum propriis fideliter transcribendis, vertendisque, adeo ut constet eum in latinum ser-

monem vertisse Cepham, ubi graecus textus praeferebat Cepham, et aliter Petrum, ubi Petrus graece inscribebatur. Et ad hoc facit, quod s. Augustinus ait in Libro II. De Doctrina christiana c. XV. « In ipsis autem interpretationibus Itala ceteris praeferatur; nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiae. »

Quoad hanc vero, quam statui ex Vulgata lectionem, ne mireris quod in Commentario hujus Epistolae a Hieronymo collato, loco Cephae ubique substituatur Petrus contra lectionem, quae hucusque in textu biblico ex illius nomine nuncupato viget; et ab omnibus Bibliorum Versionis hieronymianae codicibus satis antiquis firmatur. Hujusmodi namque varietas a Victorio (uti notatur ab Editore) repetenda est, qui ex Hieronymi ejusdem glossa textum Epistolae originalem emendavit et invertit; et loco *Jacobi, Cephae et Joannis, Petrum, Jacobum et Joannem* substituit, et sic in sequentibus. Et re quidem vera, s. Doctor, cum sibi visus fuerit unus et idem esse Petrus ac Cepha in ea Epistola citatus, Pauli verba exponens, *et cum cognovissent gratiam, quae data est mihi Jacobus et Cephas et Joannes* (et ita erat in textus sacri integritate) vocabulum Cephae in aliud Petri mutavit, ac quoque praemisit ob tanti viri praestantiam. Et hoc amplius idem Hieronymus fatetur paulo post ex verbis *in faciem restiti, quia reprehensibilis erat,* ubi Cepham legit et non Petrum, sicuti deinde perspicue subdit: « Et in aliis Pauli Epistolis, et in hac quoque ipsa modo *Cephas,* modo *Petrus* scribitur. »

Insuper de antiqua ac sincera Vulgatae lectione in citatis versiculis, Commentarium adest hujus Epistolae a quarto seculo notum, ac scriptis Hieronymi insertum, quamvis jure uti opus suum abjudicetur; potiusque Pelagio, seu ex hujus discipulis cuidam inscribatur. Ibi namque Interpres, quisquis ille fuerit, ob oculos latinum Bibliorum codicem habuit, vocabulum Petri ac Cephae praeferentem, uti in Vulgata legitur, persona et loco unum ab altero distinctum (Tom. IX. p. 835. Ed. Veronae).

Quantae vero auctoritatis habendus sit Textus Vulgatus in hujusmodi lectione, ostendunt quoque primaevi Ecclesiae Scriptores graeci et interpretes, qui Epistolam in quaestione illustrantes, Cephae dictionem in appositis locis notarunt; vel saltem Vulgatae antiquae textum potius quam recentiorem graecam lectionem sequi reperiuntur.

Eutalius episcopus manuscriptum s. Pauli Epistolarum recensens sub an. 396. a pio viro elaboratum, altercationem notat, *quam habuit Paulus cum Cepha.* Zacagnius in *Collectanea* hujus codicis varietates notat, dicens in v. 11. legi veluti in perantiquo codice alexandrino, *cum venisset Cephas.* Didymus alexandrinus verba ad galatas revocans, in v. 8. legit, *qui operatus Petro* etc. et in v. 14. *dixi Cephae* veluti in Vulgata. (Lib. II. De Trinitate c. VI. 13.)

Joannes Chrysostomus eamdem interpretatus Epistolam, licet sentiat Apostolum unam comprehendere voluisse personam sub Petri et Cephae

vocabulo, nihilominus testatur codicem graecum, quem prae manibus habuit, lectionem Petri et Cephae exhibere Vulgatae uniformem. Ita in c. 1. Epistolae v. 18. tradit *videre Petrum:* in c. II. v. 7. 8. *sicut et Petro circumcisionis; et qui operatus est Petro.* Item in v. 9. legit *Jacobus et Cephas et Joannes.* Quamvis porro in v. 11. notet *cum venisset Petrus Antiochiam,* videtur tamen s. Episcopus Cepham vertisse in Petrum ex significationis homonymia; eoque amplius ita fecisse probatur, cum alibi quaestionem agens, an Petrus idem habendus sit ac Cephas, sub hoc titulo eam inscribit *De reprehensione Cephae,* non vero *Petri,* quamvis postea illum indistincte sumat. Quod satis indicat Bibliorum codicem in v. 11. talem lectionem tradere: *Cum autem venisset Cephas Antiochiam.*

S. Athanasius in Dialogo 1. De SSm̃a Trinitate n. 24. ex Apostolo inquit: *Sed cum vidissem quod non recte* etc. *dixi Cephae coram omnibus.* Eusebius, Epiphanius, Philo Carpasius, et Theodoretus, cum in aliis commatibus variam praeferant lectionem, in v. 9. scripsere *Jacobus, Cephas et Joannes;* nec unquam his praemiserunt Cepham. Oecumenius et Theophilactus in ejusdem Epistolae Commentario, uterque in c. II. v. 7. 8. convenientiam textus graeci, quem exponebant, cum Vulgata obtestati sunt, sicuti in v. 9. legerunt *Jacobus, Cephas et Joannes.* Et quamvis in v. 11. 14. loco Cephae substituerint Petrum; tamen in textu originali Cepham inscriptum esse patenter indicarunt cum Eusebii auctoritate.

Codices quoque graeci a seculo quarto ac deinde exarati, seu magis sive minus talem in his nominibus produnt differentiam, sicuti in Vulgata traditur. Praecipue notandi sunt duo codices, Vaticanus antiquissimus et Sinaiticus, qui Vulgatam sequuntur; nisi quod in c. 1. 18. legunt: *veni Hierosolymam videre Cepham.* Codices vero successivae aetatis, septemdecim ex his in Bibliotheca Vaticana servatos, item duos Bibliothecae Barberinianae, ac unum Chisianae, quos egomet consului, singulos in v. 18. c. I. et vv. 8. 9. c. II. Petrum obsignasse reperitur, et in ceteris inter se variare. Et cum lectionem versiculi 9. immutabiliter uno eodemque ordine et persona manuscripta omnia Cepham praeseferre probatur, idest *et cum cognovissent gratiam, quae data est mihi, Jacobus et Cephas et Joannes* etc. tamen in sequenti v. 11. nonnullos Cepham, alios et plerosque Petrum scripsisse constat: sicuti et in v. 14. fere omnes loco Cephae Petrum produnt contra vetustum Vulgatae testimonium.

Ceterum, si hucusque nullum codicem graecum etsi antiquum invenimus prorsus Vulgatae consonum, nihilominus in Versione armena seculo V. ex priscis graecis codicibus conflata, proponitur testimonium, concordiam Vulgatae statuens cum graecis originalibus in armenam linguam traductis, ubi Petri et Cephae nomina in citatis commatibus distincta notantur, ita ut magis constet, hodiernum Vulgatae textum, sicuti et armenam versionem, codicum veterum graecorum genuinam exprimere lectionem: proindeque ceteris praeferendam esse lectionibus.

His praemissis circa veterum codicum lectionem in proposita quaestione, haec observanda duco ; primum codices omnes graecos citatos in v. 9. eisdem vocibus eodemque ordine signare: *et cum cognovissent gratiam, quae data est mihi, Jacobus et Cephas et Joannes, qui videbantur* etc. ut inde probetur non solum Vulgatae auctoritas, verum etiam ut amplius dicatur divinus Scriptor, cum in secundo loco Cepham citarit, ac Jacobo discipulo postposuerit (aliter ab eo ordine, quo Petrus ubique in Scriptis evangelicis primus inscribitur) aliam plane ab apostolorum principe indicasse personam. Secundo, quod mihi hîc notare placet, quantumvis transcriptores codicum, Epistolae textui Petrum loco Cephae inseruerint, *cum autem venisset Petrus Antiochiam in faciem ei restiti* etc. attamen priscorum traditionem secutos, ad marginem universim notasse: *De contradictione Cephae circa salutem in fide et non in Lege,* veluti ex Patrum scriptis quoque animadverti. Quod sane indicat veterum manuscriptorum lectionem praeferre: *cum autem venisset Cephas,* et non *Petrus.*

Quare statuitur Versionis integritas, quae in v. 11. tradit: *cum autem venisset Cephas.* Nisi quod amanuenses, et interpretes praesertim post seculum quartum loco Cephae, vocabulum Petri in textum sacrum transtulerint, cum magis ac magis illis invalesceret opinio, unum et eumdem esse Cepham et Petrum citatum ab Apostolo. Ac ita prisca et genuina lectio fideliter servata in Vulgata Tridentina, pedetentim pro lubitu in codicum transcriptione graecorum confusa est; ac una evanuit differentia, quae a seculis Ecclesiae prioribus perstitit tam in nomine, quam in praerogativis, unum ab altero, Petrum a Cepha manifeste secernens.

Demum, quod sane notatu dignum est, ut infra dicetur, nisi vetus graeca Epistolae lectio nomina Petri et Cephae, eo loco et ordine praenotasset, uti modo in Vulgata notantur, nullimode prisci Ecclesiae scriptores de utriusque personae unitate dubitassent, neque binas novissent, unam Apostolum, alteram discipulum. Ac insuper frustra laborassent, hujusmodi instituentes Petri a Cepha discrepantiam, si tunc Bibliorum codices lectionem obtulissent ab ea variam, quae hodie in Vulgata apparet. Seu, ut satius dicam, si loco Petri in vv. 7. 8. alterum Cephae nomen legissent; vel aliter, si in vv. 9. 10. 14. pro Cepha Petri dictionem notassent. Quapropter pro argumento nostro duae emanant illationes, quae connectuntur ac mutuo roborantur. Prima, Vulgatae integritas in citata pericope firmatur super omnes, quae deinde in Ecclesia graeca et latina obortae sunt, variantes. Secunda, traditio huic lectioni consona ab Ecclesiae primordiis servata stat, istud nomen Cephae, Epistolae insertum, non eamdem significare Petri apostoli personam, verum aliam praerogativis satis distinctam, uti infra novis illustrationibus expendetur.

CAPUT II.

Quae in Epistola de Cephae ac Pauli Hierosolymis et Antiochiae gestis recitantur, referenda sunt ad historiam et aetatem Concilii hierosolymitani in c. XV. Actuum apostolorum descripti.

Hactenus quae ad Petri et Cephae nominis distinctionem ex textu biblico desumptam attinet, exploratis, modo disquirendum manet tempus, quo Antiochiae hujusmodi accidit reprehensio; seu potius, utrum ad Synodi hierosolymitanae aetatem, quae narrantur in Epistola, reportanda sint. Wilhelmus Paley, et siqui alii sint heterodoxi hujus sententiam secuti, in Opusculo *Horae Paulinae* inscripto, quum in eam pergat opinionem, unum et eumdem Petrum esse Cepham in Epistola memoratum, fortasse ob difficultates in eamdem personam revocandi; quae de Cephae ipsius reprehensione aliisve circumstantiis Apostolus notavit, novum Pauli Hierosolymam iter animo sibi finxit, in quo Pauli cum Cepha disceptationem collocaret; unde magis singulae convenirent in unum hominem circumstantiae Petrum et Cepham spectantes, sicuti et sermonis nexus.

Verumtamen hoc non esse probandum, tum Scripturae ejusdem enarratio, cum Patrum et interpretum deinde suadebit auctoritas. Apostolus namque ad galatas scribens, totus in eo est ut eosdem ab legum Moysi observantia et praesertim a circumcisionis ritu amoveat, cum plures tunc judaei christiani continue instarent asserentes, *quoniam nisi circumcidamini, non potestis salvari.* Ideoque, quae acta sunt in eodem Concilio, eorumdem oculis opportune ac jure objicit Paulus, ut magis et magis sua roborentur dicta, illis suadendo, haud ulterius ad salutem, quae in Christo est, Moysi mandatorum custodia opus esse; atque asseveranter diceret: *si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.* » Et re vera, quid aptius sanctiusque Pauli consilium in hujusmodi quaestione et pro se, et pro Galatiae fidelibus edocendis, eisque in Evangelii veritate firmandis, quam illud eis decretum tradendi, quod Hierosolymis paucis ab hinc annis, synodali ac praesertim apostolorum principis auctoritate sancitum erat?

Ideoque Apostolus initio c. II. Epistolae, postquam miram suam a judaismo conversionem exposuit galatis, ac una missionem Christum gentibus evangelizandi, sicuti et sua itinera in Arabiam, Damascum, Hierosolymam, in Syriae et Ciliciae partes, subdit: « Deinde post annos quatuordecim, iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto et Tito. Ascendi autem secundum revelationem, et contuli cum illis Evange-

lium, quod praedico in gentibus, seorsim autem iis, qui videbantur aliquid esse; ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem. » Haec sane accurate expensa et quoad aetatem eorumque scopum, non nisi quae acta sunt in Synodo hierosolymitana, pertingunt. Dicit enim Lucas, Pauli enarrans per Asiae civitates excursus, eumdem navigasse Antiochiam (Actuum Apost. c. XIV. et XV: « Cum autem venissent (Antiochiam Paulus et Barnabas) et congregassent ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cum illis, et quia aperuisset gentibus ostium fidei. Morati sunt autem tempus non modicum cum discipulis. Et quidam descendentes de Judaea, docebant fratres: quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari. Facta ergo seditione non minima Paulo et Barnabae adversus illos, statuerunt ut ascenderent Paulus, Barnabas et quidam alii ex aliis ad apostolos et presbyteros in Hierusalem super hac quaestione. Illi ergo deducti ab ecclesia pertransibant Phoenicem et Samariam narrantes conversionem gentium; et faciebant gaudium magnum omnibus fratribus. Cum autem venissent Hierosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia et ab apostolis et senioribus, annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis. »

Ab hujusmodi itaque sermonis collatione cum iis, quae scribit Paulus ad galatas, videsis quantum inter se cohaereant; et speciatim animadversis, quae deinde narrat Lucas de haeresi pharisaeorum, qui crediderant dicentes: « quia oportet circumcidi eos (gentiles) praecipere quoque servare Legem Moysi. » Quae rite coaptantur dictis ad galatas « propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo, ut nos in servitutem redigerent. Quibus neque ad horam cessimus subjectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos. » Insuper conferas, quae in Actis notantur de Paulo et Barnaba, coram Synodo narrantibus suam inter gentes missionem. « Et audiebant Paulum et Barnabam narrantes, quanta Deus fecisset signa et prodigia in gentibus per eos. » Haec revocat Apostolus in Epistola, adversarios suos arguens: « Sed e contra cum vidissent quod creditum est mihi Evangelium praeputii sicuti et Petro circumcisionis.... et cum cognovissent gratiam, quae data est mihi Jacobus et Cephas et Joannes etc. »

Item Lucas c. XV. 36. ait Paulum, exacta missione Antiochiae de Synodo, reversum visitasse ecclesias Syriae et Ciliciae, illis tradendo mandata apostolorum. Et haec eadem ad galatas c. I. 21. scribit dicens, ante Synodum se *venisse in partes Syriae et Ciliciae,* quas post Concilium revisit. Item de illius itinere Antiochiam Historia apostolica et Epistola pariter conveniunt; nisi quod in Epistola quaedam de Cephae reprehensione, quam Antiochiae a Paulo sustinuit, superaddantur, de quibus Lucas in Actis siluit. Verumtamen, uti suo loco dicetur, nihil officit hujusmodi Lucae praeteritio; cum quoad tempus aliasve circumstantias Pauli narratio ejusdem Lucae dictis aeque accommodetur. Ex g. v. 33. 36. ait

(in hac Epistola) istud ipsum Pauli iter, cujus mentio in c. XV. Actuum apostolorum. » Adolphus pariter Goeschen in *Tabula chronologica* aetatem statuit Synodi hierosolymitanae cum c. II. Epistolae ad galatas. Eidemque concordant Fridericus Spanhemius in *Historia Christiana* Sect. 1. c. XIII. Henricus Hammondius, Joachimus Langius *De vita et epistolis Pauli Commentatio hermeneutica;* Thomas Hartwel Hornaeus *Introductio in sacras Scripturas* Tom. IV. Rosenmüllerus tandem Winerum secutus, qui amplissime quaestionem pertractavit, variis interpretum expositis sententiis, huic, quam vindicamus, prorsus suffragatus est opinioni. [1]

Contra vero hucusque exposita, Apostolum in iis verbis *deinde post annos quatuordecim* πάλιν *rursus ascendi Hierosolymam* etc. indicare voluisse tertium in hanc urbem iter, ut apostolos consuleret, nihil facit quod antea narratur in Actuum c. XI. 30. et c. XII. 25. de Pauli cum Barnaba Hierosolymam secundo itinere. Si enim aeque Apostoli mens in in eadem Epistola expendatur, galatis eruitur eumdem suadere studuisse, se ante quatuordecim, vel septendecim annos a sua conversione, tantummodo per dies quindecim versatum esse cum Petro Apostolo; atque apostolorum neminem vidisse tunc, nisi Jacobum fratrem Domini; proindeque nec ante, neque post illud tempus apostolos suos antecessores adiisse. De secundo vero Hierosolymam itinere Paulus merito mihi videtur transegisse mentionem, quum alias ob causas iter illud suscepisset quam ut apostolos viseret, cum illis versaretur; et cum iisdem de Evangelii sui ratione inter gentes conferret.

Lucas in Actuum locis citatis c. XI. 29. 30. et c. XII. 25. narr Paulum et Barnabam, collectas pro fratribus in Judaea ac Hierosolym degentibus detulisse; ac deinde Antiochiam reversos esse, unde ven rant, quin adjiciat eosdem quemdam apostolorum ibi vidisse, nisi pr sbyteros, sive seniores, qui Judaeae ecclesiis praeerant. Insuper ex ej dem Lucae silentio conjicitur, apostolos in alias civitates, sive ad ex ras regiones prope cujusque missionem verbum divinum evangelizan seu ob Herodis persecutionem jam inde profectos esse; adeo ut, c Paulus et Barnabas Hierosolymam venerint, apostolorum neminem vi rint: neque ideo cum iis versati sint de negotio aliquo tractaturi. terum sermonis Apostoli ratio praecipue in eo vertebatur, ut gal ostenderet, non quot itinera suscepisset Hierosolymam, sed ut significa ret quoties illuc adiisset apostolos visurus.

Demum haec sententia maxime roboratur ab iisdem Epistolae dictis, ubi Paulus secum in itinere, mora Hierosolymis ob Concilium, et in profectione Antiochiam, socium habuisse ait Barnabam; quod item legitur in c. XV. Actuum. Deinde Lucas addit, ob dissensionem Antiochiae ortam inter Paulum et Barnabam ab invicem separatos, unum quidem Bar-

[1] Scholia in Epistolam Pauli ad Gal. Cap. II

nabam cum Marco Cyprum navigasse, et alterum, idest Paulum, assumpto Sila, Syriam atque Ciliciam rediisse; neque amplius dicuntur postea convenisse. E qua circumstantia infertur, ad Synodi apostolicae actatem appellare Apostolum in Epistola. Similiter nec ante Concilium istud fieri potuit. Nam ab ipsius Synodi initio et gestis Paulus et Barnabas pari studio et mente tum Antiochiae, cum Hierosolymis obstiterunt christianis judaizantibus, narrantes quae Deus per manus eorum fecisset inter gentes.

Cunctis his admissis argumentis ab historia chronologica, e quaestionis ordine et a Patrum antiquorum testimonio petitis, magis ac magis invalescit opinio, Pauli narrationem in c. II. Epistolae ad galatas, jure reducendam esse ad c. XV. Actuum apostolorum. Hinc autem juxta thesim nostram manifestissime consequetur tres, Jacobum nempe, Cepham et Joannem citatos in commate 9. c. II. ejusdem Epistolae, non esse confundendos cum primoribus apostolis, nec Cepham cum Simone Petro, nec Joannem cum Evangelista, nec Jacobum cum Hierosolymorum episcopo: sicuti in sequentibus luculentius patefiet.

CAPUT III.

Probatur b. Pauli verba ad galatas c. II. 2. et contuli cum illis Evanlium, quod praedico in gentibus, *referenda esse potissimum ad apostolos, sive ad Petrum et Jacobum fratrem Domini: cetera vero quae sequuntur,* seorsim autem iis, qui videbantur aliquid esse, *ad quosdam a Petro et Jacobo diversos reportanda.*

Praemissis tum quae ad nexum pertinent Epistolae cum Historia Actuum, tum ad illationes inde necessario deductas ab interpretibus, nulla interjecta differentia inter Petrum et Cepham, scrutaturi ineamus verba Epistolae, quae in c. II. 1. 2. notantur: « Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto et Tito. Ascendi autem secundum revelationem, et contuli cum illis Evangelium, quod praedico in gentibus, seorsim autem iis, qui videbantur aliquid esse; ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem. » Et primo quidem loco expendatur, qui sint ii, de quibus dicit ibi Paulus, *contuli cum illis Evangelium, quod praedico in gentibus.* Ex verbis capitis praecedentis, quae his arcte cohaerent, satis constat viros, quibuscum contulit Paulus Hierosolymis, fuisse apostolos, inter quos Petrum, ut ipse dicit: Neque veni Hierosolymam ad antecessores meos apostolos..... Deinde post tres annos veni Hierosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim. Alium autem apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini. »

Cum eisdem Apostolus ait se contulisse Evangelium, quod gentibus praedicabat, ut hinc Galatiae fideles confirmaret, se illis veritatem annuntiasse, quam ceteri apostoli annunciarunt; ac proinde eosdem immerito sentire, atque contra fidem stare, si vellent Evangelio Legis mosaicae jugum superaddere, et maxime circumcisionem tanquam saluti necessariam. Hoc erat in Epistola Pauli studium, illud erat opus. Eapropter non tantum ex revelatione, quantum ex definitione Synodi apostolicae paucis ab hinc annis ideo congregatae, cuique praeerat Petrus, galatis in fide Christi justificatis, legales suadet abjicere ritus, ac tenere Evangelium a se illis praedicatum. Id autem reapse sibi velle Apostolum in citatis verbis, tum ex analogia sermonis; cum ex veterum Patrum firmatur auctoritate.

Tertullianus contra Marcionem Lib. V. 3. in illud *contuli cum illis Evangelium,* scribit: « Denique ad patrocinium Petri ceterorumque apostolorum se ascendisse Hierosolymam post annos quatuordecim ait Apostolus, ut conferret cum illis de Evangelii sui regula, ne in vacuum tot annis cucurrisset; siquid scilicet citra formam illorum evangelizaret: adeo

ab illis probari ac constabiliri desiderarat. » Hieronymus in eadem verba subdit: « Et ut verius dicam, sermo graecus ἀνεθέμεν aliud quidquam apud nos intelligitur: cum scilicet ea, quae novimus, conferimus cum amico; et quasi in sinum ejus et conscientiam reponimus, ut pari consilio vel probanda sint, vel improbanda, quae novimus. Ascendit igitur post annos quatuordecim Hierosolymam; et qui prius tantum ad videndum perrexerat Petrum, et diebus quindecim manserat apud eum; nunc se dicit ideo perrexisse, ut conferret cum apostolis Evangelium.... Post annos, ut ipse ait, decem et septem plene cum eis loquitur, et se humiliat. »

Et profecto, quamvis Apostolus de eo, quod docebat, indubius utpote ex revelatione *(neque enim,* antea dixit, *ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi)* tamen ad majorem verbis suis augendam fidem apud galatas, et adversariorum imminuendam auctoritatem, addit amplius, se Hierosolymam profectum esse ex revelatione *(ascendi autem secundum revelātionem)* et apostolis contulisse sive exposuisse (et ita legit Versio antiqua italica) Evangelium, *ne forte in vacuum currerem aut cucurrissem.*

Quae verba Chrysostomus, (licet ab ea absit, quam suscepi Petri a Cepha statuendam distinctionem) ita interpretatus est: « Cur autem currebas, si nōn persuasum habeas, te non in vanum currere? Et quis tam excors est, ut tot annos praedicet, ignarus an recte praedicet? Jam illud hoc etiam multo perplexius est, quod ait se juxta revelationem ascendisse. Hoc est perplexius, ut dicebam, priori, sed tamen idoneum, ut nobis et illius porrigat solutionem. Nam si sua sponte ascendisset, ne id quidem ullo pacto consentaneum esset rationi. Non enim erat illius beatae animae in tantam delabi amentiam, siquidem ipse est, qui dicit: *sic curro ut non in incertum, sic pugilem ago, non ut aerem verberans.* Unde perspicuum est, quod etiam, si ascendisset absque revelatione, accidisset illi, quod imprudentibus solet accidere etc. »

Hucusque enucleatis, quae Paulus ait, *contuli cum illis Evangelium, quod praedico iu gentibus,* quaeque acta in Concilio hierosolymitano spectant, uti probatum est; hinc altera quaestio subit de sequentibus *seorsim autem iis, qui videbantur aliquid esse.* Veterum et recentiorum interpretum plerique putarunt, eos *qui videbantur aliquid esse,* ab Apostolo designari Petrum, Jacobum et Joannem, de quibus mox scribit i. e. *Jacobus et Cephas et Joannes, qui videbantur columnae,* nomine vero *Cephae* in Petrum translato. Verum decipi non videor si, *qui videbantur,* etsi fatear ibi subintelligi Jacobum, Cepham et Joannem, alios tamen in persona illos penitus existimem, quam revera ex eorum numero, quos *Jesus selegit duodecim, vocavitque apostolos.* Varios, nempe, hos statuam ab iis, de quibus dixit, *contuli cum illis Evangelium.*

Quaestio primum et potissime in hoc instituenda est, num omnes duo-

decim apostoli Synodo interfuerint, an ex iis nonnulli. Et interea, si illorum sententiae obsequi velimus, qui non omnes ajunt apostolos ad Synodum convenisse; sed tantum Petrum, Jacobum et Joannem una cum Paulo et Barnaba, et senioribus Hierosolymorum, quemadmodum sensere Baronius et plerique recentiorum, tunc omnis evanescit difficultas, ita ut Cepham alterum a Petro apostolo ibi indicari probetur. Dicit enim Paulus, se post annos quatuordecim Hierosolymam ascendisse, cumque illis (apostolis) contulisse Evangelium, quod gentibus praedicabat, *seorsim vero iis, qui videbantur* etc. Itaque si Apostolus seorsim contulit Hierosolymis cum Jacobo, Cepha et Joanne, quique soli ex apostolis Synodo adfuere juxta praefatos scriptores, quinam ergo sunt, et undenam ii, quibuscum ait in prima versiculi parte se contulisse Evangelium? Si alii, quibuscum seorsim egit, apostoli sunt; iidemque soli Synodo interfuerint, idest Petrus, Joannes, et Jacobus; eos, quibuscum antea contulit, non fuisse apostolos necessario asserendum est. Et contra, si ipsi apostoli sint, quibuscum primo loco contulit, ergo ceteri, *qui videbantur aliquid esse,* ex apostolorum numero tollendi erunt; proindeque quamvis homonymi habeantur cum Petro, Jacobo et Joanne apostolis, tamen non censentur in eorum numero, quibus a Christo speciatim apostolicum ministerium commissum est.

Ita sane sermonis ordo postulat, ut hos, vel illos ex apostolorum censu excipias. Praeterea, si primos ex apostolorum numero excludas, tunc non stabit orationis nexus; ad illos enim vertitur sermo, quos antea nuncupavit apostolos, et quibuscum Hierosolymis versatus est, uti Tertullianus, Hieronymus et omnes fatentur interpretes. A quibus tamen excipiatur Cornelius a Lapide, qui minus apte verba *contuli cum illis Evangelium,* putavit ad fideles laicos Hierosolymis degentes, non vero ad apostolos loqui Paulum. Apostolus namque galatis suadens de suo in evangelica missione recto incessu, ait se Hierosolymam venisse, non ut fideles idiotas, sed in Ecclesia auctoritate praestantes viros consuleret. Suffragium apostolorum (non vero laicorum aut plebis) exquirebat Paulus, ita ut illorum apostolorum auctoritas sufficeret tum ad emendandos galatarum errores, cum missionis suae et doctrinae veritatem comprobandam.

Deinde, si aliorum acceptetur opinio, qui senserunt omnes apostolos una cum Petro Synodo interfuisse, ut legitur in Actis: *conveneruntque apostoli et seniores videre de verbo hoc,* tunc ex iis, quae scribit Paulus in citata pericope, et maxime de Cepha, videretur schisma in Synodo excitatum esse inter apostolos, adeo ut ex ipsis quidam starent cum Paulo ad institutiones legales a gentibus, quae crediderant, prohibendas veluti haud saluti necessarias; alii vero in quibus Cephas Petrus, Joannes et Jacobus atque de phariseorum secta fideles, contra Paulum ac reliquos apostolos starent pro Legis mosaicae observantia graecis imponenda. Sed

ne id quidem admittendum opinor voluisse Paulum, si Actuum, ejusdemque Apostoli ad galatas Scripturam sedulo perscrutemur.

Ambo namque de hac Synodo locuti, ita ejusdem causam explicant, ut apostoli veluti judices haberentur in quaestione de legalibus. Et quaestio non inter apostolos sed inter discipulos exorta est; aut melius inter Paulum et fideles judaizantes. Ac ideo Antiochia convenerunt tum Paulus ipse et Barnabas, cum alii ex aliis ad apostolos in Hierusalem. Huc delata est causa coram Synodo, ut pronunciaretur ab eisdem apostolis, num standum foret Pauli et Barnabae doctrinae, qui mosaica statuta ceu inutilia in professione christiana respuebant, an aliis de pharisaeorum secta, qui ea veluti necessaria tuebantur. Dicit Scriptura Actuum c. XV. 1. 2. « Et quidam descendentes de Judaea docebant fratres: quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari. Facta ergo seditione non minima Paulo et Barnabae adversus illos, statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas et quidam alii ex aliis ad apostolos et presbyteros in Hierusalem super hac quaestione. » Hinc patet Paulum cum Barnaba et alios Paulo obsistentes, Synodo apostolicae adstitisse, tanquam discipulos coram magistro, quasi contendentes coram judice, infallibile ejus judicium subituros. Ceterum concedendum haud mihi videtur, apostolos Spiritu Sancto ductos, ac de proposita quaestione judices, quasi mutuo contendentes, alios pro circumcisione, alios contra eamdem in Concilio disputasse.

Severinus Binius in notis hujus Synodi sub an. 51. scribit: « convenisse apostolos judicatum, utrum christiani ad circumcisionem tenerentur et ad alia instituta mosaica. Cum presbyteris et plebe apostoli per orbem terrae longe lateque divisi, Dei instinctu et revelatione ante admoniti (quod Paulus de se ait ad galatas) interfuerunt, Apostoli tanquam hujus controversiae judices ad decidendum et definiendum; presbyteri veluti veritatis inquisitores ad consultandum et disputandum; plebs autem non vocata interfuit ad audiendam solummodo apostolorum sententiam. Post multam hujus causae disceptationem, non ex Scriptura, sed ex apostolorum suffragio ac Petri judicio definitum est, neminem christianorum circumcisionis Legi, vel aliis caeremonialibus judaicis obligari etc. [1]

[1] Mansi Conc. Nova Collectio Tom. 1. pag. 23. 24. S. Hieronymus in hanc Epistolam c. I. 19. ex dictis: *alium autem apostolorum vidi neminem* etc. scribit: « Quod autem, exceptis duodecim, quidam vocentur apostoli, illud in causa est, omnes qui viderant Dominum, et eum postea praedicabant, fuisse apostolos appellatos, ut ad Corinthios scribitur..... Paulatim vero, tempore procedente, et alii ab his, quos Dominus elegerat, ordinati sunt apostoli, sicuti ille ad Philippenses sermo declarat c. II. 25. et ad Corinthios: *apostoli ecclesiarum.* » De reliquo non est hic locus disceptandi, utrum nec ne cuncti apostoli convenerint ad Concilium, quod alii negant, affirmant alii. Quomodocumque sit, argumentum nostrum nullam patitur varietatem.

Quapropter, quae Lucas circa apostolorum et seniorum conventum ut viderent de verbo hoc, subdit v. 7. *cum autem magna conquisitio fieret,* uti Binius arguit, non ad apostolos referenda sunt, verum ad viros, qui partes excitarant Antiochiae et Hierosolymis contra Paulum et Barnabam: quibus auditis, Petrus surgens locutus est. Et revera, ut rem ita se habere magis patefiat, Paulum nimirum in apostolorum coetu pro sua causa contra judaizantes disserentem, neminem invenisse ex illis, nec Petrum, neque alios apostolos sibi adversarios, audiatur, quid ipse Lucas ex ore Petri dicat: « Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere. Et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum sicuti et nobis; et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum. » Omnes itaque ait tum judaeos cum gentiles, circumcisos, et incircumcisos per fidem justificationem consecutos esse, non ex operibus Legis. Ullo absque discrimine ad se Deus omnes populos adscivit, sicuti aliquando egit cum Cornelio ejusque sociis, dans eis Spiritum Sanctum quemadmodum et ceteris judaeis, qui crediderant.

Hisce positis, apostolorum princeps v. 10. *nunc ergo,* sequitur, *quid tentatis Deum imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus?* perspicue docens, se omnimode e judaizantium partibus alienum. Neque de se tantum hoc dicit, sed et de ceteris, illos a Legis mandatis amovens utpote inanibus, et observatu arduis, adeo ut ea nec ipse, nec patres veteres portare potuerint. Quin nimmo Petrus ita in se rei veritatem, quam asserebat, sentiens, alacriu contra adversarios, hoc esse tentare Deum obtestabatur, eumque ad ira provocare, denuo in Ecclesia instaurando Legem, cum Christus ab eju dem jugo liberaverit credentes in eum; ideo amplius adjiciens v. 11. *se per gratiam Domini nostri credimus salvari, quemadmodum et illi.* Sicu enim, inquit, patres nostri olim salutem consecuti sunt mandata Mo custodientes; ita et nos sine Legis observantia eamdem salutem con qui credimus.

In hac porro locutione, qua Petrus non apostolos in Synodo constitutos animadvertit, sed illos, qui Pauli praedicationi resistebant, uti infra dicetur, nexus percipitur cum historia Cornelii de incircumcisorum salute per fidem Christi; quando ipse ob sibi obvenientem visionem et Cornelii adventum, dixit: « In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi » (Act. Apost. c. X. 34 35.) Talia, inquam, *iis* collata, quae locutus est in Concilio, suspicionem quamcumque tollunt, beatum Petrum aliquando causae pharisaeorum adhaesisse, aut quodammodo dubitasse de iis, quae docebat.

Praeterea, Petri dictis ita expensis, alia subeant, quae Jacobus Simonis sententiam suffragio suo cumulans, ex prophetarum oraculis ad-

dit, ut magis ac magis adversarii veritati acquiescerent; nec ultra in concione, nec alibi gentes, quae crediderant, legalibus instarent onerare statutis. Is enim e Bibliis sacris hauriens, quae de conversione gentium scripserunt prophetae, quamvis non de patriarcharum genere, sicuti nec circumcisionis signum in carne perferentium, illas ait ex cunctis terrae finibus Hierosolymam (Ecclesiae christianae symbolum) congregandas esse Deum colendi causa, ejusque nomine salutari vocandas. Ac ita fore statuit, ut inde concluderet, nullimode ex judicio suo inquietandos esse eos, qui ab ethnicismo converterentur ad Deum, nec circumcisionis Legisque mosaicae molestia afficiendos (Act. c. XV. 14. 20.). Et hoc dicit Jacobus, non tam ex Petri elocutione, quam ex intimo sui ipsius sensu, jampridem persuasus, gentes, quae crediderant, ab onere Legis levandas esse; uti postea in definitione synodali cum aliis manifestavit contra eos, qui aliter docebant in Ecclesia.

Interea valde mirum pro quaestione nostra, apostolos ipsos a Paulo in Epistola memoratos, Jacobum, Cepham (Petrum) et Joannem ex primoribus, qui putabantur circumcisionis patroni in gentibus, mirum est, dico, eos primos inter ceteros contra statuta mosaica locutos esse et, ut ab Historia Actuum desumitur, eosdem cum senioribus, Petri et Jacobi dictis adstipulatos, ex ipsis viros electos decrevisse, « mittere Antiochiam cum Paulo et Barnaba, Judam, qui cognominabatur Barsabas, et Silam viros primos in fratribus, scribentes per manus eorum. Apostoli et seniores fratres, his qui sunt Antiochiae et Syriae et Ciliciae fratribus ex gentibus salutem: ἐπειδὴ ἠκούσαμεν, ὅτι τινὲς ἐξελθόντες ἐτάραξαν ὑμᾶς λόγοις ἀνασκευάζοντες τὰς ψυχὰς ὑμῶν, λέγοντες περιτέμνεσθαι, καὶ τηρεῖν τὸν νόμον, οἷς οὐ διεστειλάμεθα: idest, quoniam audivimus, quia quidam exeuntes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, dicentes, sive mandantes vobis circumcisionem et Legis observantiam, quibus non mandavimus. »

In hoc decreto potissimum ac sedulo pro argumento nostro haec postrema nobis ponderanda sunt verba, unde pariter apostoli omnes una cum senioribus, inter se concordes, nemine obsistente, de fratribus nonnullis queruntur, cur fidelium animos turbarent et everterent, hos mosaicis institutionibus obligantes contra mentem ipsorum et mandatum, *quibus non mandavimus*. Si enim apostoli et presbyteri unanimiter in Synodo obtestati sint, se nunquam gentibus quae crediderant, mandasse, ut leges mosaicas in se susciperent; quanam ratione fieri potuit, ut Jacobus, Cephas et Joannes, ut ait ad galatas, (accepta hypothesi in his tribus comprehendi tres apostolos Petrum, Jacobum et Joannem) cur inquam ab eodem Paulo veluti legalium statutorum vindices in Concilio arguerentur? cum ipsi et praecipue Petrus coram omni ecclesia affirmarint, se nunquam docuisse, nec hujusmodi mandatum christifidelibus dedisse? Si apostoli non mandaverint, quomodo antea docuerint?

Ceterum apostolorum sententia de ritibus judaicis ab ecclesia gentium prohibendis, neque subsecuta est Concilium, nec tunc in eadem Synodo concepta est, nec ab iis emendata, quasi antea aliter cogitarent, sive ambigerent. Verum et priusquam in concionem convenirent, eadem penes omnes apostolos in animo constans fides versabatur; adeo ut de re conscii et absque haesitatione, oppugnantium restiterint voluntati. Ac revera illud *non mandavimus* animi sensum exprimit non ex definitione synodali consequentem, sed eidem jam pro mente cujusque apostoli praevium, ita ut et Petrus et Jacobus in Concilio nequaquam de re incerti, seu quasi ante Concilii tempus aliter putarent, convenerint, ac deinde a ceteris apostolis edocti et maxime a Paulo, sententiam mutarint; quum et ipsi prae ceteris pharisaeorum contradixere instantiis, qui Ecclesiae libertatem nitebantur mosaicae subducere servituti.

Sed amplius hoc adstruitur ex praecedente apostolorum obtestatione Antiochiae, Syriae et Ciliciae fidelibus scribentium: *quoniam audivimus, quia quidam exeuntes turbaverunt vos.* Si apostoli sunt et seniores, qui audierunt nonnullos ex christianis turbasse fratres antiochenos, syros, et cilices, qui crediderant, ergo apostolorum nemo et seniorum nec judaizantium partes sectati sunt, nec illis patrocinati.

Nullum de apostolorum numero ait Scriptura subiisse judicium, sed alios, licet christianos, disputantes pro legalium observantia in gentibus, quae crediderant, et qui antea contra Paulum et Barnabam Antiochiae docebant, Hierosolymis pharisaeorom sectae communicantes. E qua haeresi sane ejusque fautoribus non tantum Petrus abhorrebat, verum et Jacobus quoque, qui palam in Concilio professi sunt, se nunquam talia sensisse, nec fidelibus mandasse similia. Quapropter, quos Paulus citat, Jacobus, Cephas et Joannes varii penitus sumendi sunt ab iis, qui in Synodo, apostolica auctoritate insigniti, hujusmodi sanxere decretum adversus circumcisionis defensores in Ecclesia Christi. [1]

Deinde, si Cephae nomen in Epistola, in Petrum vertendum esset, Paulus in Synodo non solum primus ex Cathedra locutus esse videretur in hujus quaestionis definitione, sed et Petrus una cum aliis apostolis ejusdem Pauli dictis cessisse, cum antea contradicerent. Ac insuper Paulus, qui una cum Barnaba Hierosolymam ad Petri Cathedram venit, ut pro se contra adversarios causam ageret, quemadmodum dicitur in Actis, « statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas et quidam alii ex aliis ad apostolos (in quibus Petrum) et presbyteros in Hierusalem super hac quaestione: » Paulus dico, ex adverso videretur Petrum arguisse uti judaizantium consortem; ac ideo apostolorum princeps veluti du-

[1] Et hoc est, quod hodie potissimum a Novatoribus propugnatur adversus Petri et successorum suorum infallibile judicium, ob praesumptam identitatem hujus Cephae, citati ab Apostolo, cum Simone Petro.

moni Petri in Synodo contra mosaicae Legis necessitatem, subdit: « Tacuit autem omnis multitudo; et audiebant Barnabam, et Paulum narrantes quanta Deus fecisset signa et prodigia in gentibus per eos. » Omnis multitudo tacuit, illorum nemine excepto, nedum ceteri apostoli et seniores, sed et secta pharisaeorum eorumque asseclae, qui crediderant, et Paulo antea resistebant. Ii enim universim tacuere tum Petri dictis obsecuti, cum Pauli gestorum in gentibus enarrationem mirati; unde magis eis claruit, populos credentes nullimode jugo Legis gravandos esse, quum tot miraculis Deus comprobasset per Paulum placere sibi, ut graeci ad gratiam Evangelii admitterentur absque Legis onere. Ac ideo ad galatas scribens Apostolus instabat dicens, *qui videbantur aliquid esse nihil mihi contulerunt,* ut eo amplius intelligerent se a via veritatis errasse, contra dogmata ab ipso illis tradita, incedentes.

Tandem, singulis praefatis argumentis simul collatis, ac una stantibus, quae de nexu Epistolae cum Historia Actuum notata sunt, si Paulus Hierosolymam adiit, ut consuleret apostolos in quibus Petrum; si Petrus, indicta concione, ratione supremi magisterii a Jesu accepti, primus locutus est; si Petrus in Concilio vindicavit Paulum, ejusque praedicationem firmavit contra judaizantium partes, dicentium *oportere circumcidi eos, qui ex gentibus crediderant, praecipere quoque servare Legem Moysi*: si Petrus in Concilio judaizantibus increpans ait: *Deus nihil discrevit inter nos et illos* (judaeos et gentes) *fide purificans corda eorum;* et si Paulus in Epistola, eadem Petri dicta adversus Cepham innovat, inquiens, hominem non justificari ex operibus Legis, sed ex fide Christi; si Petrus et Paulus pari studio et consilio pro christiana libertate contenderunt a mosaicis institutionibus; si et omnes apostoli insuper in eadem Synodo de nonnullis questi sunt, qui animas fratrum Antiochiae, Syriae et Ciliciae everterunt a veritate; et si omnes denique pariter tunc in Spiritu Sancto congregati, obtestati sunt, se nunquam talia mandasse fidelibus; luculentius patet, tres viros a Paulo in Epistola citatos Jacobum, Cepham et Joannem, nequaquam ad coetum duodecim apostolorum pertinere, nec ulterius Cepham eamdem constituere personam cum Petro apostolo.

CAPUT IV.

Ex Epistolae dictis c. II. 2. qui videbantur aliquid esse, *firmatur argumentum, neminem ex tribus viris, nec Jacobum, nec Cepham, neque Joannem in primoribus apostolis numerandos esse.*

Hucusque explanatis Epistolae dictis c. 2. *contuli cum illis Evangelium, quod praedico gentibus,* illustranda nunc accuratius manet sequens pericope, *seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse.* Ac in primis duae partes in hoc commate distinguendae sunt inter se ob circumstantias variae. In prima parte narrat Paulus, quae ex Actis c. XV. 6. in Concilio tractata sunt, cum is coram Petro, ceteris apostolis et senioribus exposuit causam appellationis suae ad Synodum; cujus erat decernere, utrum gentiles conversi nec ne subdendi forent circumcisioni. Et haec in praecedentibus discussa sunt.

Quae autem in secunda parte subdit, *se seorsim contulisse cum iis, qui videbantur aliquid esse,* referuntur ad v. 5. ejusdem capitis, ubi dicitur: *Surrexerunt autem quidam de haeresi pharisaeorum, qui crediderant, dicentes: quia oportet circumcidi eos, praecipere quoque servare Legem Moysi.* Ac ii erant, quibuscum Paulus seorsim contulit ante Synodum: quique instabant pro circumcisione imponenda gentibus, quae crediderant, et quos postea dicit nihil contulisse propter Synodale decretum adversus illos. Cl. vir Joannes Theodorus Beelen in Commentario ad hunc locum, *conveneruntque apostoli et seniores* etc. scripsit: « Vidimus versiculo 4. praecedenti *apostolos et presbyteros congregatos,* quum ea fierent, quae in vv. 3. 4. 5. enarrantur. Quod ergo hîc v. 6. dicit Lucas, *convenerunt apostoli et presbyteri,* referendum hoc est ad conventum distinctum ab eo, de quo hactenus sermo fuerat. Sequenti forsitan die locum habuit primum illud de re fidei Concilium indictum a b. Petro. »

Ceterum, *qui videbantur aliquid esse,* adamussim ideam sectae pharisaicae, cui addicebantur, exprimunt. Quique etiamsi in Christum crediderant, nihilominus externum Legis cultum, sapientiam, pietatem, patrum traditionem ostentabant: uti de iis ajebat Christus Jesus: *Amant salutationes in foro; et vocari magistros et legis doctores; dilatant phylacteria sua,* ut videantur aliquid esse. Cum his, inquam, ait Apostolus se contulisse seorsim, antequam convenirent in Synodum ad audiendam apostolicam definitionem adversus sententiam ab illis propugnatam de circumcisione gentibus conversis imponenda, ceu saluti necessaria. De his loquitur Paulus in Epistola, ut galatis suaderet cessationem a legalibus mandatis; neque illuderentur a viris illius sectae, contra quos pugnarunt non solum ipse, sed ceteri apostoli, in quibus primus Petrus.

Deinde pergens, non est ut ego ultra immorer, mutuam patefaciens convenientiam, quae interest in vocabulis, *qui videbantur esse aliquid,* quater ab Apostolo iteratis, in vv. nempe 2. 6. 9. c. II. Id namque satis animadvertit s. Hieronymus (quem omnes sequuntur interpretes) scribens in v. 9.: « Petrus et Joannes et Jacobus *qui videbantur columnae esse,* ter supradictum de apostolis, *seorsim autem iis, qui videbantur: ab his, qui videbantur aliquid esse: mihi enim qui videbantur* etc. » Ita capto horum verborum nexu, uti statuit sanctus Hieronymus cum aliis, et uti revera se habet, quoad personas, quibus ea referuntur, expendendum manet, quid sibi velit Apostolus, et praecipue in v. 6. Ἀπὸ δὲ τῶν δοκούντων εἶναί τι ab his autem, qui videbantur esse aliquid (quales aliquando fuerint, nihil mea interest; Deus personam hominis non accipit) mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt. »

Jam praemisimus Pauli dicta ad galatas super ea verti, quae Hierosolymis acta sunt, stante apostolorum Concilio, quum ipse Antiochia cum Barnaba illuc se contulit ob quaestionem circumcisionis. Ac ostendimus Paulum et Barnabam adstitisse coram Synodo apostolica ut circumcisionis oppositores; ceteros vero in quibus Jacobum, Cepham et Joannem circumcisionis ejusdem patronos: proinde tres, in quibus Cepham, non judices in causa propria, sed definitioni synodali subjectos. Ac propterea cum Apostolus, *qui videbantur esse aliquid,* ac deinde rursus, *qui videbantur columnae,* tales vocet Jacobum, Cepham et Joannem, aliud dubitandi mihi subest argumentum, seu potius affirmandi, nec tres apostolos (sicuti nec multo minus Cepham Simonem Petrum) repraesentare in illis tribus voluisse Paulum.

Ea namque elocutio, *qui videbantur esse aliquid,* sive *columnae,* non absolute et universim probata et accepta ulla absque dubitatione intelligenda venit, sed relative ad nonnullos; ac ideo Paulus inquiens tres viros videri *aliquid esse,* a se excipit talem de iis aestimationem, ac tantum super alios defert, sive in cujusque mente liberam, qui aliquid esse putabat in Ecclesia viros illos; non autem de se hoc ait. Quod de Petro, Jacobo et Joanne revera apostolis unanimiter, et quidem jure honoratis in christianorum coetu, Paulum ita sensisse, vix credendum est. Vocabulum enim δοκεῖν *reputare, censere, videri, arbitrari,* quando de cujusdam judicio usurpatur erga aliquem ex. gr. *ille justus, ille doctus esse videtur, putatur,* eo ipso non indicatur, omnes ita eum habere, reputare reapse justum et doctum, ac talem esse et haberi universim, quovis dubio sublato, seu ex certa scientia, sicuti in casu nostro. Ac propterea immerito praesumitur, Doctorem gentium sic de tribus apostolis Petro, Jacobo et Joanne locutum fuisse. Ideoque si his, quamvis apostolorum homonymis, alii substituantur inferioris gradus discipuli, tunc tota evanescit sermonis apostolici difficultas tam in ordine sensus grammatici, quam in ordine subjecti.

tur, quando cum eis in Hierusalem conveni, quamtumvis ante illud tempus ignobiles haberentur, nihil tamen contra, vel supra Evangelium meum adjecerunt. » Sed hoc non dicit, neque vult apostolicae orationis ordo. Quod quidem notavit et Chrysostomus; etsi tres praefatos non distinxerit ab apostolis primoribus.

Hinc aliter suscepta Pauli sententia, uti dictionis ordo revera postulat relate ad praecipuam quaestionem, ea mediante nota, *quales aliquando fuerint* etc. amplius probatur non absolute, sed relative, apparentia nimirum et non re, citatos viros Jacobum, Cepham et Joannem, cum Paulus Hierosolymam venit ad Concilium, *aliquid videri*, sive magnos reputari. Ac ideo, si ibi de apostolis vere tunc locutus fuisset, illorum ac praecipue Petri auctoritatem minui ex sequentibus *quales aliquando fuerint, nihil mea interest*, patefieret.

Aut secus, si Paulus sic fatus, indicare voluisset eosdem revera apostolos, ut autumant alii, non addidisset sane *quales aliquando fuerint*, idest quamvis olim magni in Ecclesia reputati; verum dixisset, et in eadem Synodo, et ubique ceu apostolico munere functos, valde reputari per se. Idest ex ministerii sui natura, et tales ab aliis Ecclesiae columnas haberi (et non videri) non aliquando, sed tunc, atque antea, et quovis tempore eamdem aestimationem et venerationem ob praeclaram eorumdem divinam missionem consecutos in christianorum coetu docuisset Paulus, Christi verborum ad eos memor: *vos estis lux mundi*.

Item, si Apostolus per ea verba *ab iis autem, qui videbantur aliquid esse*, intellexisset *ab iis autem, qui magni fiebant et erant columnae Ecclesiae*, ac deinde subdens, *quales aliquando fuerint*, per ea indicasset dignitate eos praestantes olim fuisse, quid vellet Paulus ita arguens, nescio. Inanis repetitio, atque inepta fieret elocutio; et a scopo suo aberraret Pauli argumentum, asserentis Jacobum, Cepham et Joannem, *qui videbantur aliquid esse*, etsi aliquando in Ecclesia de eadem meriti, reali aestimatione gauderent, tamen stante Synodo, nihil profecisse. De reliquo, jam dictum est, Hierosolymam venit Paulus non ad judicandum, sed ut judicium apostolorum, et quidem Petri humiliter audiret. Hierosolymam venit ad audiendum, non ad judicandum apostolos, nec ad disceptandum cum eis, nec ad imminuendam illorum auctoritatem, quos judices vocaverat in sua causa.

Constat ergo hujusmodi locutionem *qui videbantur aliquid esse*, non excludere dubium; adeoque nec universim, nec semper subjectum de quo agitur, admitti, sed et quoad homines et quoad tempus variare opinionem, humanique arbitrii per eam exprimi placitum. Ideoque Salmeronius talem sentiens differentiam in citatis Apostoli verbis, hanc, quam statui interpretationem complectitur, et ait: « Nam ille sermo, *qui videbantur esse aliquid*, illis tribui solet, quibus volumus parum, aut nihil tribui. Illud vero, *qui videbantur sibi aliquid*, de illis usurpamus, qui ali-

CAPUT V.

Sensus et ratio Apostoli disquiruntur in vv. 7. et 8. ejusdem c. II. ubi realiter agitur de persona Petri, et unde nobis novum argumentum accedit, Cepham in vv. 9. 11. 14. citatum, nequaquam confundendum esse cum apostolorum principe.

Apostolus galatas, ut animum a Moysi legibus diverterent hortatus, et ab illis, qui ob hoc *Evangelium Christi convertere volebant;* ac magis magisque se eis veritatem annuntiasse suadens, nec unquam adversariorum cessisse exactionibus, qui pro circumcisione pugnabant, Concilio hierosolymitano a paucis, ut patet, annis congregato, insistit, ubi pro se omnia processisse ostendit, inquiens: « *Sed neque Titus, qui mecum erat, compulsus est circumcidi, propter* nimirum *falsos fratres qui subintroierunt explorare* (veluti insidiandi causa) *libertatem nostram, quam habemus in Christo Jesu, ut nos in servitutem redigerent. Quibus neque ad horam cessimus subjectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos. Ab iis autem, qui videbantur aliquid esse,* etc. [1]

Deinde pergit Paulus in idem argumentum, et ait: *Sed contra cum vidissent, quod creditum est mihi Evangelium praeputii sicuti et Petro circumcisionis: (qui enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est mihi inter gentes; et cum cognovissent gratiam, quae data est mihi, Jacobus et Cephas et Joannes, qui videbantur columnae esse; dexteras dederunt mihi et Barnabae societatis; ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem.)*

Jam antea notavimus quid sibi velit Apostolus, et quales sint ii, *qui videbantur aliquid esse;* et amplius arctam sermonis statuimus analogiam in hac pericope, cum iis, quae proxime sequuntur; quamvis virorum nomina in argumentum vocata, postremo potius loco a Paulo sub posticipationis figura demandata sint, quum expositionis initio inscribenda erant. Iique sunt Jacobus, Cephas et Joannes illorum duces, qui in graecis credentibus legum mosaicarum adstruebant custodiam; contra quos speciatim apostolus pro viribus contendit; quique tandem ob Synodi definitionem de legalibus abolendis, ab errore recessere. Hisce positis, ad cete-

[1] S. Epiphanius Haeresi 28. n. 2. nominat Cerinthum inter eos, qui Hierosolymis Petro obstiterant. Scribit enim: « Is quoque unus eorum est, qui se Petro oppusuerant, cum ad s. Cornelium ivisset: a quo post oblatum per visum angelum erat accersitus. Quo tempore dubitante Petro linteum illud, cum iis, quae continebat, objectum est: et a Domino illud ipsum audiit nequid commune vel impurum appellaret. Igitur Cerinthus circumcisorum gregem adversus Petrum revertentem commovit Hierosolymis, dicens: *ingressus est ad viros praeputium habentes.*

evangelizando judaeis circumcisis, cunctis ample et indistincte praebentem salutis spem.

Ceterum Pauli studium, cum se vocat gentium apostolum, (sicuti in hac Epistola patet et in altera ad Romanos et maxime in Actis apost.) et cum Petrum dicit judaeorum apostolum, non absolute sed relative locutus, eo spectabat, ut differentia tolleretur inter graecum et judaeum, quamvis unus circumcisus et alter foret praeputiatus. Ac ideo hortabatur gentes ne circumciderentur; neque judaei christianos gentiles cogerent ad circumcisionem; hoc enim carnale signum in Ecclesia vanum erat. Ac proinde asserebat, se in pari conditione et jure versari cum Petro; quippe sub una missione et operatione divina ambo annuntiabant verbum Dei. Et quamvis judaei, quibus praedicavit Petrus, more patrio circumciderentur, attamen nequaquam ipse Petrus mandavit circumcidi illos, qui ex gentibus crediderant. Ac ita ex Petri exemplo pergens apostolus, confirmat galatas de concordia tunc in Synodo inita inter se et Barnabam cum tribus Jacobo, Cepha et Joanne, ut isti judaeis, ipse vero et Barnaba gentibus evangelizarent, quin istae cogerentur ad circumcisionem, nec ad mosaicos ritus servandos, omnium indistincte docentes justificationem non ex operibus Legis sed ex fide Christi: quod erat summa Epistolae.

Itaque s. Hieronymus in hunc locum scripsit: « Occulta hîc oritur quaestio; quid igitur Petrus, si invenisset ex gentibus, non eos adducebat ad fidem? aut Paulus si ex circumcisione aliquos reperisset, non eos ad Christi baptismum provocabat? Quae ita solvitur, ut dicamus principale singulis in judaeos et gentes fuisse mandatum, ut qui defendebant Legem, haberent quem sequerentur; qui Legi gratiam praeferebant, non deesset eis doctor et praevius. In commune vero hoc eos habuisse propositi, ut Christo ex cunctis gentibus Ecclesiam congregarent etc. »

Hinc praefati Jacobus et Cephas et Joannes cum talem animadverterint in Petro ac Paulo ministerii evangelici divisionem, eidem Paulo convenerunt; ac semotis quibusvis jurgii causis, quibus Paulo antea contradicebant, mediante Synodi apostolicae definitione, in foederis signum dexteras ei dederunt, ut ille cum Barnaba in gentes, ipsi autem in circumcisos irent; junctisque viribus opus Dei perficerent. Et sic interea concludes, tres viros Jacobum, Cepham, et Joannem nullum constituere nexum cum Petro apostolo relate ad quaestionem de circumcisione graecis fidelibus imponenda; ac inde Petri personam non nisi per incidentiam sive similitudinem Pauli sermoni supervenisse; nec ullam rationem habere Petrum cum Jacobo, Cepha et Joanne, adversus quos praecipue loquitur gentium Apostolus. Sed de his paulo post.

Insuper, si in Cepha comprehendere velimus Petrum, uti placet adversariis, dicendum esset ante hujus Concilii aetatem, qua apostoli et seniores convenerant, neque Cepham (in eadem Petri persona) nec Jaco-

bum, nec Joannem ad annos septemdecim ex Pauli vocatione, nec vidisse, neque cognovisse, ipsi Paulo creditum esse Evangelium praeputii, nisi hoc tempore tantummodo, quo simul Synodo adstiterunt. Verumtamen id de Jacobo, Cepha et Joanne personis privatis, et extra apostolorum numerum, potiori jure admittendum videtur, quam de Petro, Jacobo, et Joanne notis apostolis. Etenim de Pauli conversione Actuum Historia tradidit: « *Barnabas autem apprehensum illum* (Paulum) *duxit ad apostolos et narravit illis* (Petro scilicet et Jacobo aliisque) *quomodo in via vidisset Dominum, et quia locutus est ei*, de missione scilicet ad gentes, ad earum lucem et salutem usque ad extremum terrae. *Et erat* (Paulus) *cum illis intrans et exiens in Hierusalem, et fiducialiter agens in nomine Domini. Loquebatur quoque gentibus, et disputabat cum graecis; illi autem quaerebant occidere eum.* Sed et alibi hoc de se apertius coram Agrippa dicit, visionem Domini narrans, qui ad gentes misit eum *aperire oculos earum, ut convertantur a tenebris ad lucem, et de potestate satanae ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum* etc. (Act. apost. c. IX. et XXVI.) Haec omnia Pauli gesta ad septemdecim annorum spatium ignorasse apostolos, quibus commissum erat regimen ecclesiarum, probatu satis arduum est.

Adhuc et amplius quod animadvertendum manet, versatur in argumentatione *a pari,* uti vulgo dicitur apud rethores, qua contra adversarios utitur Paulus, dum ait in v. 7. *Sed e contra cum vidissent, quod creditum est mihi Evangelium praeputii sicuti et Petro circumcisionis* etc. Jam praemisimus illos, *cum vidissent* sicuti et eos *cum cognovissent,* jure meritoque sumi eosdem ac Jacobum, Cepham et Joannem, veluti omnes fatentur interpretes. Si autem ita velint verba apostolica, sicuti reapse capienda sunt, necessario Petrus distinctus a Cepha tibi obviam fiet. Aliter Petrus apostolus ibi personam gereret illius, qui Paulum in suo ministerio tueretur contra adversarios; ac una ab eodem Paulo accusaretur Petrus veluti illius hostis in Evangelii ministerio. Pro se a Paulo vocaretur Petrus ut testis ac vindex missionis suae inter gentes contra eos, qui sibi obsistebant; ac simul a Paulo eodem reprehensus et emendatus esset Petrus propter studium erga mosaicas institutiones gentibus imponendas.

Verum alio quoque modo, si velis, Pauli argumentatio inconsequens statuitur, sumpta persona Petri una et eadem cum Cepha: et hoc ex eisdem verbis, *sed e contra cum vidissent* (Jacobus et Cephas et Joannes) *quod creditum est mihi Evangelium praeputii sicuti et Petro circumcisionis.* Quae explicite, et singillatim hujusmodi reddunt sensum. Nimirum, cum Jacobus vidisset, quod creditum est mihi (Paulo) Evangelium praeputii, sicuti et Petro circumcisionis; item cum Joannes vidisset, quod creditum est mihi Evangelium praeputii, sicuti et Petro Evangelium circumcisionis. Similiter, cum Cephas (Petrus) vidisset, quod creditum est

mihi (Paulo) Evangelium praeputii sicuti Cephae (Petro) evangelium circumcisionis. Videas ergo apostolici argumenti inconsequentiam, sermonis confusionem, et absurdam locutionem: *Cephas Petrus vidit et cognovit quod Cephae Petro creditum est.* etc.

Si autem hîc personam Cephae discipuli distinguas a persona Petri apostoli, ac dixeris: similiter cum Cephas discipulus vidisset et cognovisset, quod creditum est mihi (Paulo) Evangelium praeputii sicuti et Petro apostolo circumcisionis, tunc in ordine suo plane incedet sermo. Ac constabit, Jacobum, Cepham et Joannem argumenti subjectum praecipuum constituere; Petrum autem non nisi in adminiculum subiisse ejusdem argumenti contra adversarios a Paulo citatum: seu dumtaxat ad exemplum et similitudinem illuc introductum esse a Paulo Petri nomen ejusque apostolatum ad circumcisos.

Et hoc est sane argumentum *a pari,* quocum Paulus ipse adversarios refutans ac persuadens, nos docet luculentius, non supra Petrum apostolum revolvi Pauli confutationem, sed super tres infra citatos ab eo, qui suae inter gentes restiterant missioni sibi a Deo commendatae; ut concludat talem se potissimum divinam habuisse missionem incircumcisis evangelizandi, qualem jam a priscis temporibus circumcisos erudiendi maxime sortitus erat Petrus.

CAPUT VI.

Ex aliis circumstantiis in Epistola et in actis Concilii notatis, Cepham, Jacobum et Joannem probatur extra 12. apostolorum coetum collocandos esse.

Hucusque eorum nexum expendimus, quae Paulus succincte ad galatas scribit circa gesta in apostolorum ac seniorum Conventu, Hierosolymis de mosaicis ritibus in ecclesia gentium abolendis indicto, sicuti Petri partes animadvertimus in Concilio contra eos, qui pro circumcisione pugnabant, initas. Modo vero ex Scripturis eisdem simul collatis, alia eruantur argumenta ad eam, quam statuimus, amplius firmandam interpretationem de Petro ab eo distincto, quem apostolus in Epistola Cepham nuncupat. Hujusmodi porro testimonia ex iis desumantur, quae Paulus speciatim narrat galatis de reprehensione, quam Antiochiae Cephae intulit ob hypocrisim, quam in suo praeferebat vitae regimine, cum gentibus fidelibus versari et convesci abhorrens; ita ut et ceteri judaeochristiani et Barnabas eadem afficerentur simulatione: « Cum enim venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat et segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant. Et simulationi ejus consenserunt ceteri judaei ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem etc. » (Ad Gal. c. II. 11. 12. 13.).

Apostolus, uti e contextu patet, in eodem argumento persistens, ac fide justificari hominem docens, operibus Legis sublatis, quae successive post Concilium gesta ab eo sunt Antiochiae cum Cepha, galatis describit. His similia, seu quamdam analogiam praeferentia censentur in Actis (c. XV. 22.) ubi post Synodi definitionem legitur, apostolos misisse Antiochiam et in alias Syriae et Ciliciae civitates viros, qui Synodalia decreta illuc deferrent, ac discipulos in sincero dogmate firmarent: « Tunc placuit apostolis et senioribus cum omni ecclesia eligere viros ex eis, et mittere Antiochiam cum Paulo et Barnaba, Judam, qui cognominabatur Barsabas, et Silam viros primos in fratribus, scribentes per manus eorum. Apostoli et seniores fratres his, qui sunt Antiochiae et Syriae et Ciliciae fratribus ex gentibus, salutem. Quoniam audivimus, quia quidam ex nobis exeuntes, turbaverunt vos verbis, evertentes animas vestras, quibus non mandavimus: placuit nobis collectis iu unum, eligere viros, et mittere ad vos cum clarissimis nostris Barnaba et Paulo etc. »

Ex his itaque satis constat, apostolos (in quibus Petrum) synodali decreto sancito, Hierosolymis mansisse; ceteros vero, Paulum scilicet et

Barnabam una cum Juda et Sila Antiochiam profectos esse, apostolicam sanctionem laturos. Praesertim vero Paulum animadvertas et Barnabam, de quibus inquit Lucas: « Paulus autem et Barnabas demorabantur Antiochiae docentes, et evangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini. » Quod idem ait Apostolus in Epistola c. II: *Cum autem venisset Cephas Antiochiam,* ubi aderant nempe Paulus et Barnabas confirmantes fratres in doctrina apostolorum. Praeterea in eisdem Actis legitur eorum, qui Antiochiam missi fuerant, quosdam reversos esse ad apostolos Hierusalem: *Facto autem ibi aliquanto tempore, dimissi sunt cum pace a fratribus ad eos* ad Petrum scilicet et ceteros, *qui miserant illos.* Non ergo venerat, nec aderat Petrus illis diebus Antiochiae; nec insuper inde consequitur ipsum Antiochiam venisse post Concilium. Nullum namque eidem opus fuisset illuc adire, cum ab apostolis Paulum tantum et socios in illam civitatem mittere statutum sit, ut in Concilio definita, antiochenis fidelibus annuntiarent. Secus frustra ejusdem Pauli et comitum, decreti synodalis testium et nuntiorum legatio haberetur, si Petrus ipse per se Antiochiam profectus esset.

Ceterum, priusquam reverteretur Judas Antiochia Hierosolymam, tunc sane fieri potuisset, quod ait Epistola de reprehensione Cephae per Paulum. Graeca enim dictio ποιήσαντες δὲ χρόνον *facto autem tempore,* diuturnum potius quam breve intervallum indicat ex Pauli adventu cum fratribus Antiochiam, Judae usque reditum ad apostolos Hierusalem. Verum, ut dixi, et a Scriptura Actuum eruitur, Petrus eo ipso tempore Hierosolymis degebat. Porro si Petri iter Antiochiam non sit illi aetati mandandum, uti rationi et Historiae apostolicae impar; Cephas vero ex discipulis unus, non obstat, quominus Hierosolymis Antiochiam proficisceretur, ac reprehensionis, quam ibi a Paulo sustinuit, causam provocaret ob suam ante Synodum erga mosaicas institutiones studium; adeo ut coram fratribus circumcisis quodammodo erubesceret, contra ea se gerens, quae prius sibi visum fuit et agere et docere, prout paulo ante dictum est. Ideoque et ex hoc arguitur Cephae nomen cum altero Simonis Petri haud esse confundendum.

Si autem dixeris post reditum Judae ad apostolos Hierusalem, Petrum hinc profectum esse Antiochiam, ibique sub Cephae nomine reprehensionem Pauli sustinuisse; causae quaedam supponendae forent, unde Petrus post Judae reditum, statim Antiochiam pergeret; atque celerrimo itinere ad eam civitatem perveniret, priusquam Paulus et Barnabas inde discederent ad alias Asiae urbes; nam Antiochia Hierosolymis septem dierum viam circiter distat. Verumtamen in citata Historia dicitur, post Judae discessionem Antiochia, modico tempore Paulum et Barnabam Antiochiae moratos alias peragrasse civitates. *Post aliquot autem dies,* ex quo nempe Judas ejusque comites Hierosolymam versus iter susceperant, « dixit ad Barnabam Paulus, revertentes visitemus fra-

tres per universas civitates, in quibus praedicavimus verbum Domini, quomodo se habeant etc. » Ideoque spatium mihi videretur diutius, quam ibi dicitur *aliquot dierum,* necesse fuisse Petro ob illas, quas in Epistola describit apostolus, circumstantias, ut Hierosolymis Judae reditum expectaret; Antiochiam deinde peteret; ibique simulate ageret, et reprehensionem Pauli subiret.

Aliae porro circumstantiae expendendae manent, unde eruitur, non solum Cepham sed et Jacobum et Joannem, quorum mentio in Epistolae c. II. 9. ab apostolorum primorum coetu excludendos esse, et praesertim iis collatis, quae scribit Lucas in Actis de Petro c. IX. et iis, quae narrat Paulus in eadem Epistola.

Paulus Cepham ait Antiochiam profectum, antequam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus comedisse. Ast, cum isti venerint, se subtraxerit ab illis segregatus, timens eos, qui erant ex circumcisione, adeo ut et alii judaeo-christiani ab ejus exemplo haud secus egerint. Nihilominus nescio qua ratione, vel quo consilio hoc agere potuerit Antiochiae Cephas Petrus apostolus, quem aliquot annis ante Hierosolymis post acceptam visionem de Cornelio, dicit Lucas, correptum a senioribus christianis, qui de circumcisione erant, quod ad viros praeputiatos introiisset et manducasset cum iis, alacriter nihil veritum, a se jure hoc expletum respondisse, invocantem ideo testimonium Domini; quocum certior factus erat, nullum amplius discrimen intercedere inter judaeos et gentiles ob Christi fidem Deo devotos. Quamobrem judaeo-christianorum seniores glorificantes Deum, dixerunt: *ergo et gentibus poenitentiam dedit Deus ad vitam.*

Ideoque, si ab initio coram primoribus judaeorum christianis Hierosolymis, adstantibus quoque Synagogae magistris, ita docuit et patravit Petrus manducans cum incircumcisis, quare deinde Antiochiae quosdam timuit fideles qui ex circumcisione erant, ita ut non conveniret cum graecis praeputiatis? Unde talis metus et hinc simulatio in fidelium scandalum ex doctrinae christianae magistro, divinitus monito de pari coram Deo conditione tam gentium quam judaeorum? Fortasse Petrus de visione, quam ideo Deus ei ostendit ne illuderetur, dubitavit? Cur antea Hierosolymis toto judaeo-christianorum senatui persuaserat, his indiscriminatim vivendum esse cum gentibus, ac postea Antiochiae timuit hoc idem explere ob quosdam illorum, qui a Metropoli illuc venerant? Si Hierosolymis nec scandalum pusillorum, nec judaeo-christianorum numerum et auctoritatem, nec judaici magistratus minas veritus est Petrus; multo minus hoc praesumitur ei Antiochiae accidisse. Idcirco non est putandum Petrum apostolum in hanc lapsum esse simulationem et errorem.

Si vero (sicuti pluribus de causis superius notatis) hoc non est arbitrandum de Cepha Petro apostolo, putari tamen licet de Cepha discipulo, quem dicit Paulus galatis, institisse pro circumcisione gentium, quae

crediderant. Qui etsi a Paulo persuasus esset et praecipue post apostolorum synodale decretum, de vanitate circumcisionis et legis mosaicae inter gentes Christum professas; nihilominus fratres suos christianos de pharisaeorum secta ortos timebat; ita ut Antiochiae non conveniret manducans cum gentilibus. Et in illis speciatim Paulus notat Jacobum ex tribus unum paulo ante nuncupatum: e cujus parte, nonnullis ex Hierosolymis Antiochiam profectis, Cephas, cui Jacobi nomen et auctoritas apud suos haud ignota erant, commotus, se subtraxit a convictu gentilium, ita ut et alii judaei fideles ab ejus exemplo illorum fugerent consuetudinem in conviviis. Propter quod Paulus Cephae instabilitatem cernens, modo gentilibus convenientis, nunc ab iis abstinentis, acriter exprobravit, ut de suo erubesceret errore; ac una galatae intelligerent, frustra christianos judaizantes agere pro rituum mosaicorum observantia, quos Synodus apostolica abrogarat. Quae rite expensa non Cephae Petro apostolo, sed cuidam discipulo homonymo melius accommodari fateamur necesse est. Sicuti tantumdem dicendum est de Jacobo in sequenti versiculo 12. citato: qui non episcopus Hierosolymorum intelligendus est, sed primus ex tribus antea citatis de pharisaeorum secta, fidem christianam professus, qui una cum Cepha pro Moysi ritibus servandis in Ecclesia Christi satagebat.

CAPUT VII.

Praefatorum summarium. Cunctae ac singulae circumstantiae in Actis apostolicis notatae penitus obstant hypothesi, in tribus viris Jacobo, Cepha et Joanne in c. II. 9. Epistolae citatis, comprehendi Jacobum fratrem Domini Hierosolymorum episcopum, Cepham Petrum apostolum et Joannem Zebedaei filium.

Ex dictis discussionibus sententiam de Cepha Petro reprehenso a Paulo minus aptam habendam esse ostendimus. Modo vero, cunctis exploratis ac inter se collatis de hoc argumento circumstantiis, prout enarrantur in Actis, luculentius eruitur praefatos Jacobum, Cepham et Joannem, quorum mentio incidit in Epistola, nullimode eosdem reputari ac primores apostolos Petrum Barjona, Joannem Zebedaei et Jacobum Hierosolymorum episcopum.

Actuum apostolicorum Auctor saepius meminit quaestionis Hierosolymis maxime promotae, num christiani ex gentibus forent circumcisioni sive mosaicis statutis subjiciendi. A Cornelii conversione usque ad ultimum annum, quo Paulus Romam venit, quinquies hoc pertigit argumentum Lucas, idest in cc. X. XI. XV. XVI. XXI. Ubi enarrans, quae Petrus in cc. X. XI. docuit de graecis cohibendis a circumcisione, inquit tunc Paulum peragrantem Asiae regiones praedicare judaeis et gentilibus regnum Dei; donec quidam ex christianis de pharisaeorum secta (c. XV.) Antiochiam profecti, instanter docebant gentes: « quia nisi circumcidamini secundum morem Moysi, non potestis salvari. Quapropter facta seditione non minima Paulo et Barnabae adversus illos, statuerunt ut ascenderent Paulus et Barnabas et quidam alii ex aliis ad apostolos et presbyteros in Hierusalem super hac quaestione. » Ac progressus deinde ait eos, qui missi fuerant, susceptos fuisse ab Ecclesia et ab apostolis et senioribus, annunciantes quanta Deus fecisset cum illis. Et cum haec annunciarent, nonnulli de haeresi pharisaeorum surgentes institere: « quia oportet circumcidi gentiles, qui crediderunt, ac praecipere quoque servare Legem Moysi. Congregati sunt autem apostoli et seniores videre de verbo hoc. » Et paulo post subdit Scriptura v. 22. *Tunc placuit apostolis et senioribus cum omni ecclesia* etc. Item scribunt per manus Pauli, Barnabae, Judae et Silae: *Apostoli et seniores fratres etc.* Similiter v. 41. *praecipiens custodire praecepta apostolorum et seniorum.* Nec aliter in c. XVI. legitur: *tradebant eis custodire dogmata, quae erant decreta ab apostolis et senioribus, qui erant Hierosolymis.*

Et quales tandem fuerunt apostoli, qui ideo convenerant decernentes circumcisionis abolitionem et rituum masaicorum inter graecos, qui cre-

diderant? Nisi omnes simul duodecim apostoli, profecto Petrus et Jacobus ab adversariis notati ceu circumcisionis et legalium patroni: qui et ethnicos christianos docebant, *nisi circumcidamini, non potestis servari.* Utique ex iis sunt, qui a praedictis Patribus et serius ab heterodoxis dicuntur, graecis conversis mandasse Moysi statutorum custodiam. Attamen ab anno conversionis Cornelii usque ad Synodum hierosolymitanam Petrus cum Jacobo ceterisque, non solum in sententia mansit de cohibenda circumcisione inter gentes; sed et miratur, quod alii tentent *imponere jugum super cervices discipulorum, quod neque nos,* ait, *neque patres nostri portare potuimus.* Insuper, quod summum est, contra eosdem judaizantes testantur Petrus, Jacobus et seniores, se nemini unquam antea mandasse vel per seipsos, sive per alios, ut talia inculcarent in gentibus, earumque mentes averterent ab eo, quod ab initio statutum fuerat de eisdem fidem christianam professis.

In definitione synodali, jam dictum a nobis est, nec Paulus, nec Barnabas, neque alii, qui de hac re cum iis contendebant, judaeo-christiani, hujus controversiae adstiterunt judices; sed apostoli soli et seniores, in qnibus Petrus et Jacobus. Et hinc Petrus supremus judex excitae quaestionis, in medio Concilii surgens ait, se a Deo electum esse ab antiquis diebus, ut gentes per seipsum Evangelium audirent et crederent, quin tamen circumcisionem subirent, Moysique profiterentur Legem; *et qui novit corda Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum sicut et nobis.* Cum itaque tanta alacritate locutus sit Petrus coram aliis apostolis et senioribus, eos refutans, qui aliter sentiebant, nescio quare asserendum sit, vel dubitandum, eumdem Petrum aliquando ethnico-christianis edixisse circumcisionem. Et hinc non nisi temere putatur, Petrum cum ceteris in unum collectis, postquam in Synodo pronunciarunt: « visum est enim Spiritui Sancto et nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria etc. » rursus, mutata sententia, Spiritui Sancto, ex cujus mente locutus erat, restitisse, ut destrueret, quae antea aedificavit; cujus aedificii basim ipse primus collocavit, eumdem Dei Spiritum, qui mentiri non potest, invocans.

Ac interim praeclare constat, Petrum a Cornelii conversione usque ad Synodi apostolicae definitionem perpetuo hanc professum esse doctrinam; quam amplius firmavit cum Spiritus Sancti invocatione et obtestatione.

Quod vero factum sit in posterum circa hoc decretum, et quomodo in ecclesiis gentium rite custoditum sit ex eorumdem apostolorum Petri, et Jacobi mandato, idem Lucas narrat, itinera describens Pauli ad alias provincias, ubi antea Evangelium praedicaverat: « Perambulabat autem (c. XV. 41.) Paulus Syriam et Ciliciam, confirmans ecclesias, praecipiens custodire praecepta apostolorum et seniorum. Cum autem (c. XVI. 4.) pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quae erant de-

creta ab apostolis et senioribus, qui erant Hierosolymis. » Et de galatis praesertim (c. XVIII. 23.) « Et facto ibi aliquanto tempore (Paulus) profectus est, perambulans ex ordine galaticam regionem et Phrygiam, confirmans omnes discipulos. » Confirmans nempe fideles in doctrina ab apostolis tradita, veluti antea dixit, et praecipue quoad legalia praecepta iis, qui crediderant ex gentibus, interdicta.

Ne vero quis adhuc dubitet aut putet post Synodum, veluti quidam modo tenent, praefatum de institutis mosaicis abolendis decretum irritum mansisse, nobis adstat testimonium Jacobi Hierosolymorum episcopi, qui hoc decretum probans subscripsit. Is (Actuum c. XXI. 25.) annis fere decem a Concilio, inquit: « De his autem, qui crediderant ex gentibus, nos scripsimus judicantes nequid tale ipsi observent, nisi ut abstineant se ab idolis, immolato, et sanguine et suffocato et fornicatione. » Quasi diceret: idest, nos Petrus apostolus, ego Jacobus ceterique apostoli et seniores in Synodo decrevimus, non esse gentibus conversis ad Christum, jugum circumcisionis et Legis mosaicae imponendum. Et quamtumvis ego Paulo ex hebraeis orto, talia persuadeam, quae sunt legalia, nullatenus tamen recedere volo ab eo, quod contra rituum mosaicorum observantiam ex ethnicorum parte, definitum fuit sub Spiritus Sancti invocatione in Concilio hîc Hierosolymis congregato.

Cum ergo res ita se habeat, quomodo de Petro ac praecipue de Jacobo dicendum erit, eosdem servitutem Legis in gentibus praedicasse, ac ideo a Paulo fuisse correptos? Ipse namque Petrus de se mentitus esset; deinde Paulus post Synodum frustra in gentibus ad apostolorum doctrinam appellasset, cum iidem apostoli irritam declarassent. Et Jacobus ipse perperam coram Paulo Synodi statuta citasset, ab ipso jam antea violata, et a Petro et a Joanne apostolis primoribus pariter neglecta.

Insuper, si postquam Petrus et Jacobus cum aliis eidem sententiae de cohibenda in gentibus circumcisione subscripserunt, suspicandum foret, illos quandoque hanc retractasse, qua auctoritate et profectu Paulus galatis deinde exprobrasset defectionem a veritate, cum et apostolorum primores in eamdem lapsi forent defectionem, statuentes in ethnicis qui crediderant, rituum mosaicorum observantiam? Non enim tunc solum stulti galatae, quod a falsis fratribus illusi, statuta mosaica excolerent; sed et amplius stulti apostoli Petrus, Joannes et Jacobus Evangelii praecones, qui, mutato consilio, statutum Legis de circumcisione in gentibus conversi innovarunt; post quam validis argumentis decreverunt non esse gentes Christo devotas, circumcisioni adstringendas [1]

[1] Quod autem egit Paulus a Jacobo rogatus in adventu suo Hierosolyma, pari consilio Apostolus idem egit circumcidens Timotheum filium mulieris judaeae fidelis (Act. cap. XVI. 1. 3.) ne forte secum illum ducens in ministerio Evangelii, scandalum judaeis fidelibus et infidelibus inferret, scientibus Timotheum foemina judaea natum. Et hoc

Interim pro nostri argumenti perspicuitate, non est praetereunda aetas, qua Apostolus litteras dedit galatis. Nonnulli ex priscis putarunt Romae scriptam fuisse Epistolam et hinc post annum aevi christiani 60. et hoc ex vetusta subscriptione lecta in fine ejusdem. Nihilominus Critici recentiores universim senserunt Apostolum, priusquam Romam veniret, et quidem ex Corintho scripsisse circa an. 52. vel 53. Quod maxime firmatur ex v. 6. c. I. *Miror,* inquit, *quod sic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Christi in aliud Evangelium:* quocum indicatur, paulo post quam ille evangelizavit galatis, ipsos a veritate defecisse. Alioquin paulo ante Concilium idest an. 50. in ea regione Christi fidem praedicarat. Ac ita, stant quae ait de citissima galatarum a recto tramite praevaricatione: cum secus vix hoc dicere potuisset, si post suum Romam adventum galatae errassent. [2]

Cunctis igitur huc redactis hujusmodi circumstantiis, omnino obstat quominus dicatur, Paulus galatis exprobrans eorum ab Evangelio Christi defectionem, una simul exprobrasse apostolis Petro, Joanni et Jacobo Hierosolymorum episcopo uti rebellionis auctoribus. Perspectissima namque oriretur antilogia inter Actuum historiam et Epistolam ad galatas. Ab Actis eruitur, Petrum cum universa Synodo Hierosolymis collecta, ex Spiritus Sancti auctoritate decrevisse, non esse gentes, quae crediderant, servituti Legis mosaicae subigendas. Quam regulam ab ipsis Actis c. XVI. XVIII. XXI. eruitur apostolos ipsos observandam misisse per omnes ecclesias; et Paulum eumdem quam sollicite fideliterque deinde citasse et exposuisse, ne ulterius illuderentur a falsis fratribus. Ac insuper patet Jacobum ad hanc appellasse post decem fere annos coram ipso Paulo, asserentem eo usque a se custoditam, Et quamvis ipse Jacobus instaret, ut Paulus veluti hebraeus ritus mosaicos expleret, attamen decretum synodale antea editum, a se et ab apostolis, in quibus Simone Petro, subscriptum, repetit, ne ethnico-christiani illos ritus perficerent. Quare excluditur, Paulum in Epistola c. II. 9. sub Jacobi nomine indicare voluisse Hierosolymorum episcopum.

Demum, ut summatim loquar, si ante Concilium Simon Petrus, Joannes Zebedaei et Jacobus antistes hierosolymitanus inter gentes propugnassent circumcisionem saluti necessariam, tunc mentiti essent. Scribentes enim fratribus Antiochiae, Syriae et Ciliciae, obtestati sunt, se talia

sane cum ex prudenti Ecclesiae oeconomia faceret, tunc Apostolus in natione judaica, aliter eodem tempore in gentibus, quae crediderant, agebat et docebat, eas prohibens a circumcisione juxta dogmata jam ab apostolis sancita. In hac enim re Paulus aeque interpretatur quod in Synodo hierosolymitana consultum est, adeo ut graeci fideles nec circumcisioni aliisque Moysi legibus obsequi possent: neque multo minus judaeo-christianis magistris mosaica statuta in gentibus praedicare liceret.

[2] Conferatur Thomas Hartwell Horne: Introduction to the critical study and knowledge of the holy Scriptures. Tom. IV. p. 378.

nec antea mandasse, nec multo minus tunc mandare. Petrus namque ait, Deum gentibus dedisse Spiritum Sanctum, sicuti et judaeis, fide indiscriminatim purificantem corda eorum. Si vero post Concilium iidem apostoli mandatum circumcisionis fratribus ex gentibus imposuissent, tunc perperam Paulus easdem peragrans provincias, illos saepe hortatus esset, ut dogmata custodirent in Synodo et ab apostolis et senioribus sancita, cum ipsi primi eadem refutassent. Ac praeterea Jacobus ipse mentitus foret, coram Paulo repetens synodale decretum, ne gentiles subjicerentur circumcisioni; quod decretum antea jam ipse reprobasset.

Alioquin cum a conversione Cornelii usque ad Pauli discessum a Judaea Romam ituri, tres praefati Simon Petrus, Joannes Zebedaei et Jocobus episcopus nunquam circumcisionem probarint in graecis fidelibus servandam, sequitur necessario, tres Jacobum, Cepham et Joannem citatos in Epistola c. II. 9. paulo post Concilii hierosolymitani aetatem scripta, nullimode in apostolorum numero accipiendos esse. Secus in hoc dilema incidimus: aut Lucas in Actis, vel Paulus in Epistola mentitus est; quod est absurdum.

Sed istorum nemo mentitus est, nec Paulus nec Lucas satis conscii distinctionis Jacobi, Cephae et Joanne ab apostolis Petro, Joanne et Jacobo quamvis homonymis: qui perpetuo dimicarunt adversus christianos judaizantes eorumque magistros nazaraeos, cerinthios, ebionaeos, teste Epiphanio in Haeresi 28. 29. 30. Quorum vana enarrans studia circa necessitatem circumcisionis gentibus imponendae in n. 24. Haereseos 30. explicite ait: « non solum Joannem sed et omnes prorsus apostolos fidem illorum repudiasse, alienam illam judicantes a dogmate apostolico. » Ceterum admodum profuisset haereticis, si apostolos primores habuissent hujus erroris vel socios, aut patronos. Attamen nec nazaraei, nec cerinthii, nec ebionaei ausi sunt talia asserere de apostolis primoribus Petro, Joanne et Jacobo episcopo, compertissimum hoc tenentes, quod ipsi in Ecclesia docuerunt adversus judaizantium sectam, a Synodo cunctorum suffragiis damnatam.

Quamobrem, laborent quidem totis viribus Romani Pontificatus hostes, adversus Petrum pugnam auspicati a praesumpto istius errore, et Pauli reprehensione. Enitantur quam maxime ex Scripturis rimari adminicula, ut Petri in persona Cephae citati ab Apostolo, arguant a fide defectionem. Plura commententur, si velint, Pauli Hierosolymam itinera duo, tria, quatuor, quinque, ubi collocent ipsius Pauli et Petri conventum, et ubi ejusdem Petri auctoritas in discrimen vocata sit. Huc quoque et illuc discurrant in Actis apostolicis et in Epistolis et alibi, utrum fieri possit aliquod reperiri documentum adversus divinum et infallibile Petri magisterium: nihilominus hoc non erit, nec unquam fiet.

CAPUT VIII.

Nihil officere ostenditur Scripturae sacrae, si a dodenario apostolorum numero praefatis viris Jacobo, Cepha et Joanne sejunctis, inter discipulos et presbyteros Ecclesiae hierosolymitanae admittantur.

Contra ea, quae hucusque expendimus, facile exurgit quaestio: si Cephas non sit Petrus apostolus, ejusque socii Jacobus et Joannes pariter extra censum apostolorum eisdem de causis mandandi sint ac de Cepha relatis et ex Epistola deductis, qui erunt ii, et quali munere in Ecclesia tunc fungebantur?

Et primum quidem pro quaestione nostra firme se habentibus, quae ante exposui, argumentis, quibus et dissonantiam inter Actuum Historiam et Epistolam patere, ac una apostolicum decus imminui arbitrabar, si de tribus apostolis Petro et Joanne et de Jacobo Hierosolymorum episcopo Paulum locutum fuisse velimus, Scripta apostolica nunc scrutaturi adeamus de persona Jacobi et Joannis, qui in eadem causa cum Cepha citantur, num obstet, si extra apostolorum numerum habeantur.

Neminem sane latet, uti Scripturas veteres legenti obviam fit, Israelis posteros gestorum tam mirabilium memores, quibus a Deo nobilitati sunt illorum patriarchae, quavis aetate eisdem nominibus Filios suos nuncupasse. Quapropter factum est, ut in unaquaque tribu et singulis familiis vix reperiretur natus, qui non hujusmodi vocaretur patrum suorum nomine, sive Jacobi, sive Judae, sive Josephi, sive Simonis, sive Joannis; et hanc usque, diem hunc morem accuratissime servant, nomine Jesu tamen excepto et Mariae in odium Christi et matris ejus. Ideoque (ad Caput sequens remisso Cephae nomine) nec mirum est, neque nobis facessere debet, si plures in Historia evangelica occurrant Jacobi nomine donati, qui speciali praerogativa apostoli, seu discipuli Domini dicantur. Et hoc amplius probaveris sciens, duos apostolos in duodecim numero, uno Jacobi titulo vocatos, ut inde concludas, in ceteris quamplurimis israelitis, qui nomen tunc Christo dederunt, indubie non paucos similiter appellatos esse.

Interim hîc quoad illos, qui sub nomine Jacobi in Evangelio praecipuum locum tenent, ac saepius citantur, eum animadvertere juvat, qui frater Domini appellatur ab Apostolo in Epistola, quocum versatus est a primo adventu suo Hierosolymam, quique post annos quatuordecim in Synodo christianis judaizantibus restitit una cum apostolis, penitus secernendum esse a Jacobo Zebedaei fratre Joannis, gladio Herodis perempto, et ab altero *Jacobus Alphaei* inscripto (ambobus ex numero dodenario apostolorum) ac ideo inter Jesu discipulos collocandum. Evange-

listae enim Jacobum, Josephum, Simonem et Judam fratres Domini nuncupatos, ab aliis, quos Jesus elegit, vocavitque apostolos, quamvis homonymos, perspicue distinxerunt. (Matth. c. XIII. 55.) Ac ita de hoc Jacobo sentiunt Eusebius, Gregorius nyssenus, Clemens, Cyrillus hierosolymitanus, aliiqui; etsi pariter fateantur illum fuisse ab apostolis Hierosolymorum episcopum designatum. Hieronymus porro in hunc locum scribit: « Quod autem, iis exceptis, quidam vocentur apostoli, illud in causa est, omnes, qui Dominum viderunt, et eum postea praedicabant, fuisse apostolos appellatos, uti ad Corinthios scribitur. Hic autem Jacobus (frater Domini) episcopus Hierosolymorum primus fuit, cognomento *Justus*, vir tantae sanctitatis et rumoris in populo ut fimbriam vestimenti ejus certatim attingere cuperent. » Hunc tandem ipse Flavius in Antiquitatum Libro XX. pariter *fratrem Jesu, qui dicitur Christus*, vocat. Quamobrem quae de tribus Jacobis narrantur in Bibliis, iis collatis, quae in Synodo acta sunt, patet horum neminem nec duos apostolos, nec tertium hunc fratrem Domini Hierosolymorum episcopum, inter illos numerandos sectae judaizantium patronos. De quo supra satis dictum est.

Quae hucusque de Jacobi nomine, ejusque in gente judaica, vulgari usu dicta sunt, jure eodem alteri Joannis vocabulo aptantur; quod ab antiquis hebraeorum familiis desumptum, ad discipulos Domini translatum est, ac *Jochananis* loco, dictum contracte Joannes. Qui vero potissimum sub hoc nomine veniunt in Scripturis apostolicis, primus est Joannes Zebedaei ex duodecim numero; alter pariter dictus Joannes Baptista; tertius Joannan, sive Joanna ex genealogia Christi secundum Lucam (c. III. 27.). Quartus in Actis memoratur, qui cognominatus est Marcus (c. XII.). Quintus tandem Joannes de genere sacerdotali, cujus memoria incidit in Actis (c. IV. 6.) quique cum ceteris synagogae sacerdotibus consilium iniit, quid faciendum esset de Petro et Joanne Jesu apostolis, postquam illis innotuit mira hominis claudi sanitas in nomine Christi patrata.

Interea quis horum fuerit investigantibus, qui eo tempore cum Paulo disputavit, de Joanne Baptista sicuti de altero, cujus in genealogia Christi mentio fit, jam vita functis, non est disquirendum. Tantummodo de ceteris quaestio manet: et primum quidem de Joanne apostolo Zebedaei filio. De hoc plura dicta sunt antea; satisque firmis argumentis, supra apostolos Petrum, Jacobum et Joannem minime vertere Pauli sermonem in Epistola patefactum est. Attamen relate ad Joannem Zebedaei. quaedam hic addenda existimo, relate ad apostolatus sui rationem inter gentes.

Jam a Christi anno 44. circiter, Joannes una cum ceteris apostolis gentibus praedicaturus Evangelium, orbis regiones peragrarat; et juxta priscas traditiones Partis primum, deinde in Asiae Minoris provincias veniens, testibus Irenaeo, Hieronymo et Chrysostomo, judaeis, ceterisque

simul praedicavit nationibus, donec Ephesi sedem episcopalem obtinuit, ibique supremam diem obiit. Hinc pro argumento nostro ex praedictis patet Joannem apostolum jam ab annis fere septem ante Synodum Hierosolymis et Judaea et Antiochia absentem, regiones longinquas petisse; ac ideo nullam potuisse quaestionem excitare adversum Paulum de circumcisione Moysique legibus servandis in gentibus, quae crediderant.

Porro, si Joanni apostolo, quae ait galatis Paulus, minus congruere probatur, Joanni alteri potius videntur aptari, de quo Papias apud Eusebium (Hist. Eccl. Lib. III. c. 39.) scribit, hanc statuens distinctionem. Censitis namque apostolis, in quibus Joanne Zebedaei, quaeque ipsi docuerunt, subdit: « Sciscitabar quidnam Aristion et Joannes discipuli Domini praedicarunt. » Hieronymus *De Viris illustribus* c. VI. Barnabae discipulum Joannem Marcum Mariae filium, apud quem apostoli Hierosolymis convenire solebant, longe alterum dicit a Joanne apostolo et a Marco Evangelista. Hunc sane quaedam animadversae circumstantiae in Actibus notatae ob suam a Paulo separationem in ministerio Evangelii, invalescente tunc quaestione de ritibus mosaicis, spectare viderentur.

De eo namque legitur, Saulum et Barnabam secum habuisse in ministerio Joannem, qui dicebatur Marcus, quique postea *discedens ab eis reversus est Hierosolymam* (Act. c. XII. 25. c. XIII. 5. 13. et c. XV. 37.) Rursus deinde inquit: « Barnabas autem volebat secum assumere et Joannem, qui cognominabatur Marcus. Paulus autem rogabat eum (ut qui discessisset ab eis de Pamphylia, et non isset cum eis in opus) non debere recipi. Facta autem dissentio etc. » Non ideo alienum foret, super hunc Joannem Marcum potiusquam super Joannem apostolum vertere Pauli dicta ad galatas, aetate simul aliisque circumstantiis collatis. Satis reapse ex Actis atque ab Epistola deducitur, in utraque ecclesia Hierosolymorum et Antiochiae quaestionem de circumcisione excitam esse; eumque pariter Marcum cum Cepha in eisdem civitatibus versari, divinique verbi ministerio fungi. Quare fieri potuit, ut iste Joannes, (cujus aliquando mentio fit sine additione Marci) a Paulo primum discedens, ac Hierosolymam reversus, ibi cum aliis zelo non secundum scientiam affectus et pharisaeorum partis studiosus, ethnicos, qui crediderant ad judaizandum provocaret; usque dum novissime per synodalem definitionem emendatus ab errore descivisset.

Praeterea constat, veluti dictum est, judaeorum plures, sive de populo, sive de genere levitico, verba vitae audientes, et signa videntes, quae fiebant ab apostolis, fidem Christi professos esse: « Et verbum Domini (ait Actuum Scriptor c. VI.) crescebat; et multiplicabatur numerus discipulorum in Hierusalem valde: multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei. » Ac insuper quoque patet, horum plures aemulatores Legis pariter fuisse, (ut ex eisdem Actis, et ex ejusdem Pauli Epistolis eruitur) qui veteri disciplinae Moysi, novam Christi adnectentes, huc il-

luc schismata excitarunt in scandalum fidelium. [1] Ideoque verisimillimum videtur, uti antea notavi, eosdem de semine Abrahami natos eadem praeferre ex. gr. Joannis, Jacobi et alia hujusmodi nomina, quibus apostoli nuncupati fuere, quin necesse sit, et illos et istos sub una persona et munere in Ecclesia sumi; et quin inde statuatur apostolos fuisse horum schismatum auctores.

Porro, siqua videatur ab hujus generis homonymia prodire confusio, adeo, ut apostoli a discipulis haud facile dintinguantur; hoc autem non a divino Scriptore repetendum est; verum a nobis valde ab eo, quo haec gesta sunt, aevo dissitis; sic ut quae tunc loco, causis, vel aliis adjunctis animadversis, satis obviae cuivis patebant personae in quaestionem adscitae, deinde ob aetatis distantiam, ac historici sermonis brevitatem factum sit, illas quodammodo incertas mansisse posteris: et unam cum altera confundi, et unius errorem super alteram mandari ab interpretibus; sicuti omnibus saepe vidimus historiae veteris scriptoribus, seu commentatoribus supervenisse ob eam sane, in quam incidimus, difficultatem personas homonymas ceteraque cursim notata, aeque secernendi.

Et quidem circa quaestionem de communi homonymiae usu in priscis historiae sacrae monumentis, plura nobis praesto sunt exempla, et praecipue in Actibus et Epistolis citata. Si quis ex. gr. legens de Anania, cui dixit Dominus, *vade.... quaere in domo Judae Saulum nomine tharsensem* (Act. c. IX. 11.) etsi nomen istud homonymon sit Judae apostoli, nequaquam ipsum praesumet ex duodecim numero fuisse, qui vere apostoli dicebantur. Item Philippus, cujus in Actis c. VIII. mentio incidit, quique Samariae evangelizabat, alius erat a Philippo apostolo, quamvis idem nomen praeferat. In Epistola ad Romanos c. XVI. 6. mulier pia memoratur sub Mariae nomine; nunquid eam Virginem Deiparam dicet aliquis, quia sub eadem nuncupatione venit? Similiter Alexander de genere sacerdotali, nomine eodem dicitur ac alter, qui Ephesi turbam sedavit contra Paulum (Act. c. IV. 6. et c. XIX. 33.) Num isti in unam personam coalescent? Pari ratione Demetrius fidelis in Epistola Joannis notatus, num idem accipietur ac alter Demetrius, qui Ephesi, populum concitavit contra Paulum, cum iidem nihilominus vocabulo non distinguantur ab invicem? (3. Joan. Epist. c. I. et Act. c. XIX. 24.) Similiter Ananias vocatur, qui Petro mentitus est de agri venditione, ac alius, cui apparuit Dominus in conversione Pauli. (Act. c. IX. 10.).

Insuper in Bibliis apostolicis decem, ni fallor, inscribuntur viri, qui sub eodem Simeonis, vel Simonis notantur nomine, quo nuncupatus est Simon Petrus. Quorum omnium non nisi quibusdam circumstantiis hinc inde opera, seu fortuito animadversis, seu interpretis studio collatis, unus ab altero secernitur. Ideoque quamvis Jacobus, Joannes et Cephas in Epi-

[1] Conferantur Actuum c. XXI. 20. ad Philip. c. III. ad Rom. c. VI. ad Titum c. I.

stola ad Galatas nomen idem conferant, quo vocabantur apostoli primores, tamen minime consequitur eosdem singillatim duodenarii numeri constituere partem.

Si autem Apostolus in eadem Epistola, quaedam de his tribus Jacobo, Cepha et Joanne addit, quae horum in Ecclesia, praesertim Hierosolymorum et Antiochiae famam pertingunt, *ab iis autem,* iuquiens, *qui videbantur aliquid esse (quales aliquando fuerint, nihil mea interest) Deus personam hominis non accipit,* hujusmodi locutione galatarum objectioni praevenisse videtur, quod ipsi patrocinium in illis comperissent pro suo erga circumcisionem studio et sollicitudine, et ob eam, qua aliquando in Ecclesia fruebantur, aestimationem. Quasi diceret, etsi Jacobus, Cephas et Joannes in Evangelii ministerio antea zelo affecti sint deque Ecclesia benemeriti, proindeque communi fidelium obsequio cumulati; attamen in quaestione de gentibus, quae crediderant, circumcisioni subigendis, nihil profecere. Et haec de Joanne et Jacobo satis.

CAPUT IX.

Cephas, cujus mentio in Epistola I. ad Corinthios, ob circumstantias de eo a Paulo notatas, non est confundendus cum Simone Petro apostolo.

Hucusque quae de Cepha in Epistola ad Galatas leguntur, expensis, disquirenda manent, quae de eadem persona scribit apostolus ad Corinthios; utrum nempe Petro apostolo, an potius Cephae discipulo conveniant. Quater enim ibidem occurrit hoc nomen, in c. I. 12. c. III. 22. c. IX. 5. et c. XV. 5.

Primum quidem fatendum est, interpretes veteres ac recentiores, quaestionibus animadversis in binis Apostoli Epistolis ad Corinthios, quamdam servantibus analogiam cum Epistola ad Galatas in iis praesertim, quae circa mosaica statuta versantur, arbitratos esse, Jacobum, Cepham, et Joannem ibi citari a Paulo, eosque haberi, de quibus saepe queritur, quod dissidia in corinthiorum ecclesia concitarent; atque fidelium animos a se averterent, cui maxime debitores erant. Et quamvis ipse primus veluti *sapiens architectus ecclesiae fundamentum posuisset; eosque per Evangelium in Christo genuisset* (I. ad Corinth. c. III. 10. et c. IV. 15); attamen cum alii supervenissent, se et sua cemmendantes, et quae ipse Paulus docuerat, pervertentes, visi sunt corinthii tanti beneficii immemores, Apostolo exprobrasse, quasi quae minus recta erant, quaeque illicita illis evangelizasset.

Quapropter mihi liceat ex iis, quae Apostolus pro sua defensione scripsit (sicuti quae ad galatas) Simonem Petrum Barjona, nec non Jacobum et Joannem ab hujusmodi in Paulum actis insimulationibus vindicare, aliis personis ac praecipue Cepha extra apostolorum numerum constitutis, de quibus queritur, uti ministerio suo adversatis. Jam antea satisque synodalem definitionem expendimus in Concilio apostolico sancitam de cohibenda ab ethnico-christianis circumcisione, ceu per fidem a debito absolutis Legis observandae; et hoc ex eadem novae Legis natura, quae vetera destruebat, ut idem ait Apostolus.

Quamvis autem hoc mandatum judaeo-christianis tunc non invaluerit, quum adhuc circumcisionis usum servarent, cumque Concilium de illis nil distincte decrevisset; attamen apostoli omnes quoad ethnico-christianos, firmiter se gesserunt tunc et successivo tempore, ubique et semper contra illos, qui aliter docebant inter gentes: adeo ut non solum Paulus obtestaretur, *quoniam si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit,* eamdemque sententiam ubicumque firmaret juxta Synodi definitionem; sed et ceteri apostoli idem sentirent, et docerent. Ideoque beatus Petrus sententiae uniformis, quam contra judaizantes pronunciavit coram Syno-

do, in Epistola I. electis advenis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae, Bithyniae scribens, judaeos ait et gentes etsi incircumcisas, sortitas esse *coaequalem fidem in justitia Dei nostri Salvatoris Jesu Christi;* ac deinde subdit c. III. 21. homines salvari *non per lavacrum, in quo carnium deponuntur sordes, sed per conscientiae bonae interrogationem.* Item in Epistola II. eos redarguit, qui mosaica statuta novo Evangelii dogmati inserentes, divinam Christi doctrinam pervertebant.

Ideo ratio postulat, necessitas urget, ut, quoad fieri potest, omnibus et singulis circumstantiis animadversis in hac I. ad Corinthios sicuti in II. notatis, alter a Petro apostolo aestimetur Cephas, cujus mentio ibidem incidit. Apostolus cum varias ob causas hanc scriberet Epistolam, in primis quidem dissensiones in fideli corinthiorum coetu exortas respicit, ita ut Evangelii veritatem ex humana sapientia et eloquentia pendere existimantes, Christi apostoli, seu discipuli, qui iis dotibus ditati videbantur, pluris ab eisdem fierent, quam qui hujusmodi praesidiis expertes; ac ideo prope cujusque eorum sensum, alii Paulo plus tribuerent, alii Apollo, alii Cephae, quasi in Evangelii praedicatione unus alteri excelleret.

« Hoc autem dico c. I. 12. quod unusquisque vestrum dicit: ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo; ego vero Cephae; ego autem Christi. » Et ita instar graecae philosophiae scholarum, reputantes Christi dogmata, nomen cujusdam illorum vel Pauli, vel Apollo, vel Cephae seorsim praeferebant, quemadmodum gentiles; quorum unus Platonis, alter Aristotelis, alter Zenonis discipulus fieri et esse dicebatur: tanquam non una et eadem veritas, non unum Evangelium foret, non unus Christus Deus, qui illud praedicavit. Proindeque corinthiorum fides non supra Christum Filium Dei, qui est vera sapientia *omnem sensum exuperans,* sed supra istorum peritiam sive Pauli, sive Apollo, sive Cephae separatim committenda esset, veluti humana res, et non divina reputaretur christiana Religio. Ac Christus non uti Deus doceret; sed vir philosophia ac eloquentia artificiali in mundo proficiens; et Paulus et Apollo et Cephas non sapientiam caelestem evangelizarent, sed sollertes ingenii sui investigationes, verborum ornatu compositas; quibus ex auditoribus pro lubitu quisquis detraheret, vel adjiceret, sperneret, vel commendaret. [1]

Apostolus itaque quamvis scientiae et eloquentiae externae, proprio studio acquisitae, haud inops ipse foret, sapientiam tamen hujus mundi stultitiam esse apud Deum ostendens, sapientumque cogitationes vanas esse, corinthios c. II. 1. 4. hortatur et docet, non de eloquentibus ac peritis Ecclesiae ministris gloriandum esse; neque pro eisdem invicem certandum, quasi inter se in hoc munere differrent; verum de solo Deo, et in uno Deo spem dicebat et gloriam collocandam, qui fidei gratiam

[1] De hac re legantur, quae scribunt Theodoretus, Cornelius a Lapide, Grotius, aliique.

impertivit; ceteros vero sive doctos, sive philosophos, sive eloquentes, aut indoctos, illiteratos, atque sermone rudes, non nisi Dei ministros, qui unam et eamdem annunciabant veritatem: « Non in sublimitate sermonis, ait, aut sapientiae annuncians vobis testimonium Christi: et sermo meus et praedicatio mea non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis. » His praemissis, pergens corinthios rogat, nequis illorum glorietur in hominibus, quum omnes *Christi sint, Christus autem Dei* (c. 1. 12. c. III. 21. 22. c. IV. 6.) Neque inde unus adversus alium infletur pro alio, per haec satis indicans, quem praemisi sensum de quaestionibus in iis motis circa Evangelii praecones, quibus ipsi, divinam sapientiam emensi ex scientia artificiali, qua unus alii eminebat, alii ideo Paulo, alii Apollo, alii Cephae pro cujusque beneplacito plus deferebant honoris et laudis, quemadmodum profanae eloquentiae et philosophiae magistris deferebant ethnici.

Cur autem de hujusmodi Ecclesiae ministris disquirerent ac contenderent corinthii, facile percipimus scientes, quanta Scripturarum peritia polleret Paulus (priusquam nomen Christo daret) secus pedes Gamalielis edoctus juxta paternae Legis veritatem, eloquentia praeditus, graecarum litterarum, romanique juris haud ignarus, sicuti in omnibus suis scriptis ac sermonibus ubique manifestat. Idem dicatur de Apollo, qui vir fuit eruditione et facundia dives, et maxime in priscis Scripturis versatus, de quo ita Lucas in Actis c. XVIII. 24: « Judaeus autem quidam, Apollo nomine, alexandrinus genere, vir eloquens, devenit Ephesum, potens in Scripturis. » Cui cum Priscilla et Aquila exposuissent viam Domini, « et ipse vellet ire Achajam, exhortati fratres scripserunt discipulis, ut susciperent eum. Qui cum venisset contulit multum his, qui crediderant. Vehementer enim judaeos revincebat, publice ostendens per Scripturas esse Christum Jesum. Factum est autem, cum Apollo esset Corinthi etc. »

Ex his igitur Pauli et Apollo externis dotibus, quibus Verbi ministerium in Ecclesia explebant, unus plantando, alter rigando, haud mirum est, corinthios parum mysterii christiani conscios, non recta de Evangelii ministris cogitantes, a vanis hujusmodi quaestionibus agitari. Quare eos arguit Apostolus, vocans *carnales, secundum hominem ambulantes,* dicentes: *ego quidem sum Pauli, alius autem, ego Apollo, alius, ego Cephae;* cum aliter isti tantummodo ministri forent ejus, cui credidere, Deique adjutores, corinthii vero *Dei agricultura et aedificatio.*

Cum autem adjiciat Paulus *ego autem Christi,* nisi velis hoc interpretari juxta famam de Jesu Nazareno per totum orbem invalescentem ob singularem ejusdem sapientiam, uti de eo inquiunt duo discipuli (Lucae c. XXIV. 19.) *potens in opere et sermone coram Deo et omni populo,* alia succedit glossa, satisque sensui apostolico apta, quam tradit s. Chrysostomus in hunc locum. Scribit enim: « Quanam autem de causa addidit

Paulus, *ego vero Christi?* Nam si ii peccarent, qui se hominibus addicebant, non tamen ii, qui se Christo dedicabant. Sed non hoc reprehendebat, quod ad laudem se Christo adscriberent; sed tantum, quod non omnes. Existimo autem apostolum, ex se hoc addidisse, cum vellet graviorem reddere accusationem, et sic ostendere Christum quoque datum esse in unam partem, quamvis ipsi non ita facerent. Nam quod hoc tacite innuerit, per ea, quae sequuntur, ostendit dicens: *divisus est Christus?* Hoc est autem, quod dicit, Christum conscidistis, et ejus corpus divisistis. Vides animum; vides increpationem, vides sermonem indignatione plenum etc. » Et eo magis probanda videtur Chrysostomi interpretatio, quo paulo post Apostolus reversus ad quaestionis caput, alio sub intuitu et ordine nominat Christum; ac solummodo et Apollo et Cepham nuncupat, qui schismatis occasionem, licet immerito, corinthiis praebuere, eisdemque ideo increpavit.

His itaque circa Apostoli sensum in prima Epistolae parte expensis de speciali corinthiorum studio, horum erga Paulum, aliorum erga Apollo ob istum eruditionis et eloquentiae ornatum, quibus christiana dogmata nunciabant, cum ceteros spernerent, simplici et humili sermone eadem de causa usos, omissa quaestione an Petrus Evangelium corinthiis praedicarit; [1] quaeritur, quomodo haec talia de Cepha Petro statui possent, ut ipse ob easdem singulares praerogativas aequipararetur Paulo et Apollo, et inde illum nonnulli Corinthi fideles supra eosdem quam maxime commendarent, se ipsius discipulos prae caeteris professi; ex quo nullam hujus generis personalem dotem nec eloquentiam, nec philosophiam, neque scribarum in Synagoga peritiam praeferret Petrus, ut sic scientiae humanae cultoribus excelleret, seque Paulo et Apollo parem constitueret, et corinthiorum erga se honorem foveret et aestimationem? Ille enim vir fuit piscator sine litteris, idiota, penitus graecanicae sapientiae ignarus, quaestionibus legalibus haud assuetus, neque rethoricis artificiis, nec ullo cumulatus humanae scientiae genere. [2]

Quomodo, inquam, similia de Cepha Petro dicenda erunt, quae de Paulo et Apollo dicuntur, viris sane eximiis litterarum studio praestantibus coram Synagogae magistris et gentium philosophis, ita ut corinthii, qui crediderant, Paulo et Apollo posthabitis, se Cephae addixerint ob

[1] Quaestio agitur inter interpretes, num Petrus corinthiis evangelizaverit. Alii enim affirmant, negant alii. Ego autem, quamvis Paulus ait, se in Christo genuisse corinthios, ac insuper addat *se plantasse, Apollo rigasse, Deum autem incrementum dedisse*, arbitror fieri potuisse, ut aliquando Petrus peragrarit illam provinciam, sicuti et ceteras Orientis et Occidentis regiones, vel docendo, aut confirmando fratres, qui crediderant.

[2] Eusebius Hist. Eccl. Lib. III. c. XXIV. ait: « Admirabiles illi et prorsus divini apostoli Salvatoris nostri cum essent vita quidem et moribus castigatissimi et omnibus virtutibus ornati, sermone autem ipso rudes essent et inculti, freti divina et mirifica virtute ipsis a Salvatore concessa, artificioso verborum ornatu Magistri sui praecepta exponere neque noverunt, neque item conabantur. »

ejusdem praeclaras animi dotes, cum aliter Cephas Petrus nullum hujusmodi disciplinae genus ostentaret in Ecclesia Dei, qua ille ditatus videbatur Cephas, cujus in Epistola mentio incidit? Patria namque disciplina Pauli et Apollo varia quidem extitit ab ea, quam sortitus est Petrus ante vocationem suam ad apostolatum. Ideoque hujus Cephae collatio cum Paulo et Apollo minus apta probatur, quoties in Cepha, Petri apostoli persona instituenda sit. Et hinc si loco Petri alter Evangelii minister subeat in Cepha, qualitatibus adauctus secularibus, quae Petro apostolo deerant, tunc plane apostolicus incedet sermo de corinthiorum praejudiciis erga Paulum, Apollo et Cepham; et amplius analogia patefiet hujus Epistolae cum altera ad Galatas de ejusdem Cephae gestis in Ecclesia Christi, discordiae causa inter fideles.

Quoad autem tertium Epistolae locum, ubi Cephas inscribitur, haud diversimode a primo exponendus est, causis animadversis et qualitatibus, quibus ipse a Petro apostolo differt. Contra namque adversarios apostolatus sui detractores agebat Paulus, qui praeter alia in eo criminabantur, quasi jus sibi vindicasset (quod nihilominus merito ei competebat) mulieres secum ducendi, victumque de Ecclesiae sumptibus comparandi, sicuti et ceteri ministerio apostolico functi. Ac ideo ajebat: « Numquid non habemus potestatem manducandi et bibendi? Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicuti et ceteri apostoli, et fratres Domini et Cephas. » (I. ad Corinth. c. IX. 4. 5.)

In his itaque sermonis ordinem intuere, et animadverte, quem tenet Paulus, in nuncupandis iis, qui Christi Evangelium nunciantes, mulieres sorores secum circumducebant, *sicut* inquit *et ceteri apostoli et fratres Domini, et Cephas.* Illud enim *et ceteri apostoli* ait relate ad apostolatum suum gentibus praedicandi. Apostolus ipse revera erat, quemadmodum et alii, ab ipso Jesu hoc munus consecutus. Deinde adjiciens *et fratres Domini,* non eosdem sane ac ceteros dicit, quos antea comprehendit vocavitque apostolos; quemadmodum pari ratione Cepham, ultimo loco mandatum, ab aliis apostolis et fratribus Domini distinguit, adeo ut iste Cephas et nomine et auctoritate quoque ab apostolorum principe penitus variet. Particula *et* conjunctiva differentiam hujusmodi constituit, ut apostoli nec fratres Domini dicantur, neque Cephas de primis, nec de secundis censeatur unus; sed omnes et singuli juxta ordinem, quo vocati sunt, eorum pariter persona et gradus aeque secernantur. Si autem post verba *et ceteri apostoli,* Cepham nuncupasset Paulus, tunc quodammodo ut dignitatis nota particula *et* haberi posset, et inde sub Cephae nomine Simonis Petri persona comprehendi. Verumtamen id ab hac hypothesi excluditur, cum Cephae nomen ultimo loco *post fratres Domini* adjectum sit. Sed de hoc infra.

Denique circa c. XV. 5. ubi Paulus Cepham memorat, ardua quidem exurgit quaestio. Apostolus enim de resurrectione Christi testimonium

perhibens, testes fideles vocat, quibus ipse Dominus postquam a mortuis resurrexit, apparuit, scribens visum fuisse a Cepha, deinde ab undecim apostolis ac postea plusquam quingentis fratribus simul etc. Nos sane latet ex evangelica Historia quando, et ubi Cephas in persona Petri primus post resurrectionem viderit Christum seorsim a ceteris apostolis. Evangelistae enim mulieribus antea apparuisse Jesum, easque apostolis ac discipulis nunciasse se Christum vidisse, et ad easdem allocutum, pariter testantur, sicuti et iidem Jesum fatentur undecim apparuisse, eosque de resurrectione sua confirmasse. Tantum vero Lucas c. XXIV. quaedam addidit, ab aliis omissa, de duobus discipulis, qui tunc castellum Emmaus adeuntes, Jesum socium itineris sortiti, cum eo locuti sunt. Ipsi tamen non erant de apostolorum numero, verum ex discipulis, veluti ex eadem Scriptura perspicue eruitur. Ideoque si Paulus ad Corinthios scribit, prius Jesum apparuisse Cephae, haud videtur ab eo Petrum apostolum indicari, quasi ipse Jesum post resurrectionem primus intuitus sit: cujus rei nulla mentio in Evangeliis; ast potius discipulorum quemdam, cujus nomen Evangelistae silent. Venit Petrus priusquam Jesus undecim apostolis apparuisset, (uti legitur apud Joannem c. XX.) ad monumentum et vidit linteamina posita et sudarium, quod fuerat super caput Jesu; nec tamen Jesum vidit. Ex quo infirmatur hypothesis, Cepham ibi in persona Petri apostoli repraesentari a Paulo,

Adversus haec tamen plures instant, appellantes ad v. 34. ejusdem c. XXIV. ubi de duobus discipulis citatis ait Lucas: « Et surgentes eadem hora (Cleophes ejusque comes) regressi sunt in Hierusalem: et invenerunt congregatos undecim, et eos, qui cum illis erant, dicentes, quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni. » Is sane interpretibus, et speciatim recentioribus visus est, idem haberi ac Simon, qui postea Petrus dictus est. Proindeque ex supposita Simonis a Luca citati, cum Simone Barjona convenientia, hoc Lucae testimonium de Simone, ac alterum Pauli de Cepha in Epistola ad Corinthios, existimarunt mutuo fulciri pro utriusque in Petro apostolo unitate personae.

Nihilominus, si res accuratius investigetur, alter a Petro videtur esse Simon iste a Luca citatus, cuique apparuit Dominus, postquam resurrexit. Nullibi enim (Luca excepto in hoc testimonio) dicitur Jesus Simoni Petro visus fuisse primum, atque a ceteris apostolis seorsim. Marcus in postremo Evangelii capite gesta enarrans in resurrectione Christi; deque apostolorum incredulitate locutus, qui mulieribus ac discipulis non crediderant, obtestatis se vidisse Dominum, ita scribit: « Post haec autem duobus ex his ambulantibus ostensus est in alia effigie euntibus in villam; et illi euntes nunciaverunt ceteris, nec illis crediderunt. Novissime recumbentibus illis undecim apparuit, et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis; quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. » Quomodo ergo fieri potest, ut Dominus undecim, in quibus

Petro, exprobraret apostolis, quia iis, ex discipulis nempe, qui eum viderant experrectum, non credidere, si eidem Petro antea apparuit Jesus, et ille Dominum vidit? Verumtamen Petri de resurrectione Christi testimonium, mihi videtur, satis eis fuisset.

Alioquin Marcus testatur, Dominum apparuisse Mariae Magdalenae, nec tamen ei credidisse apostolos; deinde subdit visum fuisse a duobus discipulis euntibus in villam, nec his quoque fidem adjecisse. Ideoque Jesum apostolis exprobrasse ait Evangelista, quod his, nimirum Magdalenae ac binis discipulis itinerantibus non crediderint. Porro Marcus praeter censitos, nullos adhibet resurrectionis testes, ita ut apostolorum nemo, et ne Petrus quidem, adhuc Dominum viderint, nisi quando simul recumbentibus adfuit illis Jesus, eisque locutus est, quemadmodum et ceteri Evangelistae testantur. Hinc Ignatius Martyr ex Hieronymi testimonio ait, non antea vidisse Dominum Petrum, nisi una cum ceteris apostolis: « Quando venit Jesus ad Petrum, et ad eos, qui cum Petro erant dicit eis: *ecce palpate me, et videte,* Ex hoc igitur, Simonem, cui Lucas dicit apparuisse Dominum, alterum extitisse a Simone Petro, arguitur; nec insuper inde statuendum, Simonem ab ipso Luca in v. 33. inscriptum eumdem esse ac Cepham, de quo scribit apostolus ad Corinthios; nec utrumque referri ad Simonem Barjona, mystico Petri nomine ab eodem Christo exornatum; sed ad discipulum quemdam cum Jesu versatum, et extra 12. apostolorum numerum.

Hoc autem amplius roboratur ex Patrum veterum traditione, qui Simonem, cui apparuit in via Dominus, habent discipulum et non apostolum. Origenes contra Celsum Libro II. n. 62. de iis scribens, qui Dominum a mortuis excitatum viderunt, ait: « Et in Evangelio secundum Lucam, colloquentibus Simone et Cleopha de iis, quae aceiderant, Jesus interveniens ibat cum illis. » Item Homilia XIX. in Hieremiam, verba interpretatus *ignem veni mittere in terram,* dicit: « Ignem primo injicit; primumque in eorum corda immittit ignem, quem expertos se fatentur Simon et Cleophas de illius (Christi) sermonibus dicentes: *nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas*? Hîc et Simonis et Cleophae cor ardet etc. In Joannem pariter Tom. I. c. 10. subdit: « Huic virtuti attestantes Simon et Cleophas dicunt: *nonne cor nostrum ardens erat* etc. ».

Ambrosius in idem Lucae caput notavit: « Videtur enim separatim se (Jesum) undecim demonstrasse, sicuti se Ammaoni (Simeoni) et Cleophae seorsim jam vespere demonstraverat etc. » In Apologia II. Davidis c. VIII. dicit: « Tunc Christus est praesens, sicuti testantur Ammaon (Simeon) et Cleophas dicentes: *nonne cor nostrum ardens erat* etc. Alibi haec eadem profert. Basilius in c. VI. Isaiae, illud interpretatus: « *et in manu habebat carbonem, quem tulerat de altari,* dicit: tali igne cor Cleophae et Simonis inardescebat, Domino eis aperiente Scripturas. » Epi-

phanius autem tradit, Salvatorem a mortuis excitatum, Nathanaeli et Cleophae in via apparuisse. Fortasse sub Nathanaelis titulo aliud Simonis nomen sumpsit.

Eusebius porro de eo Simone locutus, filium putat ejusdem Cleophae fuisse. Scribit enim in Hist. Eccl. Lib. III. c. XI. et c. XXXII: « Post mortem Jacobi ac Hierosolymae expugnationem, eidem successit Simeon filius Cleophae, cujus mentio fit in Evangelio. » Deinde addit, eum fuisse spectatorem et auditorem Domini. Cleophas vero ex Joannis testimonio c. XIX. 25. vir Mariae (quae Virginis Mariae soror consobrina fuisse creditur) alius reputatur a patre Jacobi, Josephi, Simonis et Judae fratrum Domini; uti de hac re accurate scripsit Baronius in Apparatu ad Annales ecclesiasticos. Ideoque Simeon a Luca citatus ipsius Cleophae filius haberetur, quibus simul Emmaus viam pergentibus apparuisset Dominus post resurrectionem. Atque sic Cleophas pater ex naturae ordine, primus ipse Jesu respondisset secum itineranti de iis, quae Hierosolymis evenerant, veluti narrat Evangelista.

Quod vero praefati Patres de Simone, *cui apparuit Dominus,* ab altero Simone Barjona distincto, docuerunt, quam maxime munitur ab Evangelistae locutione, quacum excluditur Petri apostoli persona. Inquit Lucas v. 33. « Et surgentes eadem hora (duo discipuli) regressi sunt in Hierusalem: et invenerunt congregatos undecim et eos, qui cum illis erant, dicentes: quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni. » Si enim Evangelista in eo Simone intellexisset Petrum apostolum, locutionem ineptam usurpasset alteri parem, qua usus esset Paulus ad galatas juxta mentem oppositorum. Quasi dixisset Lucas: et invenerunt duo discipuli congregatos undecim apostolos, in quibus Simonem Petrum et eos, qui cum illis erant, dicentes quod surrexit Dominus vere et apparuit Simoni Petro. Seu undecim apostoli, in quibus Petrus, dixerunt vere surrexisse Dominum et apparuisse Simoni Petro. Aut melius, Simon Petrus dixit surrexisse Dominum et apparuisse Simoni Petro. Qualis locutio non videtur comprobanda in Evangelista, graecae syntaxeos satis perito. Ideoque perstat ratio ab hoc commate excludendi Petri personam, et alium Simonem introducendi in ejusdem locum,

Quomodocumque tandem, sive Simon sumatur pro socio Cleophae, veluti Origenes, Ambrosius ac Basilius autumant; sive ille sit Nathanael sicuti scribit Epiphanius, nullimode tamen probari potest, in praedictis Lucae verbis, juxta praefata priscorum testimonia, Simonem Barjona seu apostolum Petrum designari. Circumstantiae enim singulae, quae ubique apostolicum sermonem comitantur in Epistola 1. ad Corinthios, ab hac abhorrent opinione; quod magis in sequentibus patefiet.

CAPUT X.

Quaeritur quis iste fuerit Cephas, quem Domini auditorem, ejusdem resurrectionis spectatorem, ac Evangelii praeconem fuisse in Ecclesia Christi dicit apostolus.

Quisquis, opinor, postquam tot ac vario genere disquisitiones legerit, quibus Cepham a Paulo citatum, alterum haberi a Petro apostolo probare studui, me tandem anxius rogaverit. Qualis et undenam iste Cephas, cum tantum in Scripturis legatur hoc ipso vocabulo distinctus Petrus, et quidem divinitus hoc nomine adauctus? Qualis cum Jesu conversatio? Seu quando ac ubi Jesum vidit experrectum a mortuis, et quale deinde ejusdem in Ecclesia munus?

Jam patefactum est, plures scriptores veteres ad tria Ecclesiae priora secula tradidisse, quemdam ex 72. discipulis sub Cephae nomine praeter apostolum Petrum, nuncupatum esse, eumque praecipue, cujus in Pauli Epistolis memoria intervenit. Quorum scriptorum, uti ab initio praenotavi, cum ipsi aetati apostolicae, ac inde rerum veritati propius fuerint, haud aspernenda videtur auctoritas circa gesta discipulorum, quos secum assumpsit Jesus ac designavit pro Evangelii ministerio. Ideoque quoad primam quaestionem, nihil Cephae Petro officit homonymia cum Cepha discipulo: nihil facit contra mysticam hujusmodi appellationem Simoni Barjona a Salvatore collatam, si alter in discipulorum numero eodem nomine vocetur. Alibi namque in divinis Scripturis reperiuntur hujus generis nomina, seu ob quaedam praeclara facinora, sive ex speciali Dei revelatione nonnullis indita: quamvis inter israelitas non haberentur nova, sed et alii pariter antea ex parentum beneplacito irent eo nomine cumulati.

Ex. g. in Machabaeorum Libro 1. c. II. Mathatiae filii praeter infantiae nomen, alterum praetulerunt. Joannes *Gaddis* vocatur, Judas *Machabaeus*. Eleazar *Abaron,* Jonathan *Affus*. Quae vocabula ex hebraica, sive chaldaica lingua desumpta, haud ignota erant antiquis. Hoseha in vocabulum *Jehosuhah* mutatur. Jesu nomen venerandum, licet ab Angelo mystica significatione vocatur, tamen in filiis Israel vulgatum satis erat et tunc et antea. Item Lucas de Joanne Baptista dicit illum fuisse in circumcisione nomine patris sui *Zacharias* nuncupatum; verumtamen ex angelico mandato, mutatur nomen ejus in Joannem; etsi plures constaret natos in hebraeorum familiis Joannis titulo vulgo nuncupari. Nihil ergo argumento nostro officit, si alter Jesu discipulus cognomentum Cephae idem praeferat; quamvis ex singulari et mystica praerogativa a Salvatore Simoni apostolo illud vocabulum inditum fuerit, dum locutus est ad eum: *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus:* Et, *tu es Petrus,* etc.

Deinde ad alteram quaestionem transgressus, quis tandem fuerit iste Cephas tali fama in ecclesiis Hierosolymorum, Antiochiae, et Corinthi donatus, exponam. Quam tamen sententiam sapientium judicio relinquo.

Cepham itaque de quo Paulus in Epistola ad Galatas, sicuti in prima ad Corinthios agit, eumdem esse puto ac Cleopham, quem Lucas in Evangelio c. XXIV. primum inter illos dicit, qui seorsim a mulieribus, Christum post resurrectionem viderat; quemque putarem euphoniae causa in *Cepha* loco *Cleophae* ex loquendi usu contractum, sive decurtatum fuisse. Patet enim judaeis inter graecos romanosque versatis, frequentissimum fuisse, patrium nomen in terminationem peregrinis auribus blandiorem flectere; ac vicissim graecos vocabuli hebraici asperitatem temperare, adeo ut saepe saepius hujusmodi nomina in pronunciatione, vel inscriptioue quamdam subirent varietatem apud hujus linguae homines, orientali eloquio haud assuetos; et praesertim ubi de viris ageretur notis, communique omnium ore sapientium, et insipientium nuncupatis.

Hujusmodi porro hebraeorum nominum personalium mutatio apud graecos Scriptores sacros, sive ex vulgato horum vocabulorum usu, sive ex graecae proprietate linguae vel ex euphonia, seu aliis quibusvis de causis, varimode accidit; et ample probatur ex eisdem Scripturis. Aliquando vocabula protrahuntur penes vocum graecarum flexionem; alias contrahuntur, litteris de medio sublatis, ac praesertim gutturalibus. Quandoque unus ab alio differunt auctores in ejusdem nominis descriptione: et alias personae eaedem binis, vel trinis nominibus diversis citantur.

Ex. g. *Prisca* pro *Priscilla, Apollo* pro *Apollonius, Jona* pro *Joannes, Joannes* pro *Jochananes, Anna* pro *Ananus, Paulus* pro *Saulus, Joses,* pro *Joseph, Simon* pro *Simehon, Jason* pro *Jesus, Jesus* pro *Jehosuhah, Trypho* pro *Tarphon. Silvanus* pro *Silas, Lazarus* pro *Eleazarus.* Insuper, Judas apostolus alias *Thaddaeus,* quandoque *Labbaeus* dicitur. Joseph aliquando *Joseph* alias *Barnabas* vocatur. Matthaeus Evangelista modo *Matthaeus* nunc *Levi* dicitur. Et hinc factum est, ut *Eleazarus* alias *Lazarus* inscribatur; Simon nunc *Simon,* modo *Simeon* notetur, Petrus alias *Petrus,* quandoque *Simon* legatur; Silas nunc *Silas* alias *Silvanus* vocetur; Paulus modo *Saulus* alias *Paulus* dicatur: et sic de ceteris. Pari ergo ratione de Cepha haud decipi viderer, qui cum ab evangelistis Luca et Joanne inscriberetur *Cleophas,* ab Apostolo vero per contractionem *Cephas.*

Haec porro hypothesis non levibus videtur probari posse argumentis. Et primo quidem ex ejusdem Apostoli dictis ad Corinthios 1. c. XV. 5. ubi de Domini resurrectione locutus, ait: *Et quia visus est Cephae, et post hoc undecim.* » Hujusmodi sane locutio, alteri Lucae in Evangelio respondet, dicentis, Cleopham primum (si exceperis mulieres) vidisse Dominum: ac deinde undecim apostolis se manifestasse. Quod item docet Marcus, inquiens primo apparuisse Mariae Magdalenae, postea duobus ex discipulis euntibus in villam (quorum unus ab ipso Luca appel-

latur Cleophas) ac deinde ab undecim visum fuisse apostolis (Marc. c. XVI. Luc. c. XXIV). Videas interim quam recte, quae Paulus ad Corinthios scribit de Jesu, qui a Cepha primum visus est post resurrectionem, et postea ab undecim, illis conveniant, quae Marcus et Lucas de Cleopha perspicue narrant in Evangelio.

Alterum quoque pro hypothesi nostra adstat argumentum ex eadem I. Epistola c. IX. 5. desumptum: « Nunquid, ait, non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicuti et ceteri apostoli, et fratres Domini et Cephas? » Itaque si ex apostolorum numero, uti praenotatum est, excipiat Cepham Paulus, necessario discipulis inferioris gradus inscribendus erit, ac amplius extra numerum quoque fratrum Domini mandandus; qui apud Evangelistas sub Jacobi, Josephi, Simonis et Judae nomine veniunt. Cleophas porro vir Mariae ex Joan. c. XIX. 25. (quem Eusebius Hist. Eccl. Lib. IV. c. XXI. et Epiphanius Haer. LXVI. n. 19. Simeonis patrem, Christique latiore sensu avunculum arbitrantur) idem haberetur, de quo Paulus sub Cephae nomine loquitur. Quemque ideo non solum ob affinitatem hujusmodi ceterasque praerogutivas distinxisset ab aliis, veluti post apostolos, fratresque Domini, memoria dignum; verum etiam et praecipue tanquam in eadem Epistola, quemadmodum par erat, quaestionis subjectum.

Ceterum in hac hypothesi facile quoque comprehenditur, cur Apostolus bis inverso ordine Cephae in eadem Epistola mentionem agat. In cc. IX. et XV. uti vidimus, easdem personas adhibet contra adversarios, quarum testimonio vix mentiri possent; et quales revera erant apostoli et fratres Domini et Cephas sive Cleophas, quotidie cum Jesu versati, totiusque in mundo conversationis suae participes. Verumtamen in primo loco ad suipsius defensionem, sibi licere inquiens victum a fidelibus accipere, ac mulieres sorores secum circumducere, istud probat ab apostolorum exemplo, Christique in dispensatione evangelica comitum; quos juxta eorumdem munus in Ecclesia gradatim vocat, apostolos primum, deinde fratres Domini discipulos, pariterque cognatos ejusdem secundum carnem, et postremo Cepham. In secundo vero loco relate ad testimonium resurrectionis Christi, ordine inverso eosdem memorat Paulus. Cephae enim, seu Cleophae primum apparuisse Christum ait, deinde apostolis, denique ceteris, quemadmodum narrat Lucas de Cleopha, cui in via Emmaus apparuit Jesus, priusquam apostolis se manifestaret.

Cernito ergo quomodo, secluso Petro a persona Simonis (de quo Lucas idem c. XXIV. 34. loquitur uti nuper ostendi) cernito, inquam, quam aeque concordat Paulus cum Evangelista in historia de Cleopha in Cephae vocabulum contracto, circa apparitionem Domini, qua primus fruitus est postquam a mortuis resurrexit.

CAPUT XI.

Ecclesiae graecae et orientalis vetus traditio de persona Cephae ab apostolo citati, et a Simone Petro apostolorum principe distincti.

In Prologo veterum testimonia collegimus, in quibus reperitur jam ab Ecclesiae primordiis dubitatum esse, utrum Cephas a Paulo reprehensus, Petrus apostolus foret et unus ex duodecim. Clemens alexandrinus (teste Eusebio Hist. Eccl. Lib. 1. c. XII.) in Libro V. *Hypotyposeon*, fidenter asserit, Cepham unum fuisse ex 70. discipulis Petro cognominem.

Nequis autem modicae auctoritatis aestimet Clementis citatum documentum, haud ignoret hujus Scriptoris studium in hoc conflando Opere: quod veluti summarium consideratur primaevae Ecclesiae traditionis, praesertim relate ad divinas Scripturas. Eusebius sedulus monumentorum veterum scrutator, hoc Opus inter alia suae Historiae fundamenta posuit. Ubi in Libro V. c. XI. hujus Clementis magistros enumerat, eosque vocat custodes apostolicae doctrinae, quam a Petro, Jacobo, Joanne et Paulo continua successione acceperant. Idem Eusebius in Libro VI. c. XIV. citat Librum VII. *Hypotyposeon,* et inquit, Clementem quatuor Evangeliorum ordinem descripsisse juxta quod acceperat a vetustioribus presbyteris. Quapropter tum Eusebii cum Clementis mutua inspecta auctoritate circa genuinam rerum narrationem ad se a viris apostolicis derivatam, haud spernendum videtur hujus testimonium, cum absolute ait Cepham a Paulo reprehensum, unum extitisse ex discipulis, varium a Simone Petro: eoque magis quod nemo antea huic contradixerit sententiae.

Hinc s. Hieronymus, etsi putarit, Cepham ab apostolo citatum eumdem haberi ac Petrum Simonem, attamen subdit, non solum Clementem, sed et plures cum eo concordes aliter putare. Item dicit Chrysostomus in Sermone *De reprehensione Cephae,* interpretum recensens opiniones, qui hunc Cepham inter ignobiles viros existimant. Haec autem ab initio dicta sunt. Nunc uti proposito utilia, alia addantur documenta veterum graecorum et orientalium, et quidem in illorum Kalendariis praesertim obsignata circa personam et festum beati Cephae ex 70. discipulis unius.

Ac interim obviam adstant nobis Dorotheus tyrius et Auctor Chronici alexandrini; qui hunc Cepham in 70. discipulorum censu collocant. S. Gregorius Magnus in Ezechielem Homilia XVIII. inquit, plures ab eo tempore opinari, Cepham, cui Antiochiae restitit Paulus, alium fuisse a Petro apostolo.

Assemanius in Tomo III. Bibliothecae orientalis p. 319. etc. Librum citat *Apis* inscriptum sub nomine Salomonis chalatensis Bassore. In hoc legitur Sermo *De praedicatione apostolorum,* cui subnectuntur nomina di-

scipulorum Domini: quorum primus Jacobus Josephi filius, Simeon filius Cleophae, Joses.... Cephas, qui Antiochiae docuit etc. Item ex Barhebraeo eosdem discipulos memorat Adaeum, Aghaeum, Cepham, Barnabam, Cleopham. Similiter ex Synopsi Amri et Maris, discipulos Christi notat Jacobum Josephi filium et fratrem Domini, Simeonem filium Cleophae, Judam, Ananiam, Cepham, Josephum ab Arimathea etc.

In Historia et monumentis Juris ecclesiastici graecorum editis ab emo et cl. Cardinali Pitra, Constitutiones per Clementem, et Canones ss. apostolorum citantur in Tomo I. p. 77. Quorum initium ita se habet: « Laetamini filii et filiae. In nomine Domini Nostri Jesu Christi Joannes et Matthaeus et Petrus et Andreas et Philippus et Simon et Jacobus et Nathanael et Thomas et Cephas et Bartholomaeus et Judas Jacobi (frater) quum, jubente Domino nostro Jesu Christo Salvatore, convenissemus, decrevimus etc. » Deinde sequuntur peculiares cujusque illorum sententiae; quarum quinque Petro apostolo, et tres inscribuntur Cephae. Praefatus autem Cardinalis putat ante Constantini aetatem has editas esse Constitutiones.

In Codice graeco Evangeliarii Bibliothecae Malatestianae caesenatis Pluteo 27. n. 2. edito a Josepho Maria Muciolo p. 187. legitur: « Mense Decembrio octava (die) ss. apostolorum Sosthenis, Apollo et Cephae. Interim scito in eodem Codice sub die 29. Junii legi (festum) ss. apostolorum Petri et Pauli, ut sic Petrus a Cepha distinguatur.

In Menologio graecorum sub die IX. Decembri notatur: « Commemoratio ss. apostolorum ex septuaginta, Sosthenis, Apollo, Cephae, Tychici, Epaphroditae, Caesaris et Onesiphori.

In Menologio basiliano sub die 9. Decembri legitur: Festum Cephae ex septuaginta discipulis.

In Codicibus armenicis, quorum mentio occurrit in Tomo III. Bibliothecae Orientalis Assemanii p. 645. notatur codex 57. inscriptus *Donazuiz,* hoc est Ordo perpetuus juxta ritum armenorum, indicans officium, cantus, lectionesque et festa sanctorum per totum annum: et sequitur..... « Mense Septembri die 25. (festum) Apollo et Cephae discipulorum Pauli. »

In Codice 58. inscripto *Aismavurg,* sive *Diarium,* hoc est Lectionarium continens vitas sanctorum per anni circulum etc. « Mense Junii die 29. (festum) Petri et Pauli apostolorum. Mense Septembri die 25. (festum) apostolorum Cephae et Apollo. »

In Anno ecclesiastico graeco-slavico edito per Joannem Martinov sub die 7. 8. 9. Decembri commemoratio fit Sosthenis, Apollo, Cephae, Tychici, Epaphroditi, Caesarii et Onesiphori. » Editor in notis addit Cepham cum toto discipulorum collegio celebrari quoque die 4. Januarii.

Item in Kalendario aethiopico occurrit: « die 25. Septembri *Cephas et Saulus.* » Conferatur Jacobus Ludolfus in Commentario ad Historiam aethiopicam et de Fastis sacris istius Ecclesiae.

Praeterea circa nomen Cephae loco Cleophae, huc revocanda sunt, quae in dictis *Hypotyposeon* Libris scripsit Clemens, citans discipulorum nomina, quorum mentio in Scripturis apostolicis, qui sunt Barnabas, Sosthenes, Cephas, Mathias, Thaddaeus, Jacobus. De Cleopha vero, qui a Marco et Luca ex discipulis manifeste dicitur unus, cum Jesu versatus, nullam mentionem agit Clemens: ac tantummodo Cepham perspicue ait, ad coetum discipulorum spectare, cui Paulus Antiochiae restitit. Ceterum non est praesumendum, Clementem ignorasse aut praeterisse Cleophae nomen a Luca Evangelista memorati inter discipulos et extra duodecim apostolorum numerum. Quare jure videtur Clemens Pauli mentem interpretatus, unam et eamdem personam Cepham et Cleopham comprehendere voluisse.

Huic porro conjecturae satisfacit omnium nominatim enumeratio 70. discipulorum, superius exacta. In quibusdam enim elenchis uterque citatur Cephas et Cleophas: in aliis notatur nomen Cephae, et praeteritur filius, ac deest Cleophas. In ecclesiis autem latinis, quod sane ponderandum est, in sanctorum Kalendariis omittitur Cephae discipuli festum, quod, ut vidimus, celebrat ecclesia graeca et orientalis seorsim a Petro apostolo. Nisi quod in armenorum Kalendariis sub die 26. Septembri occurrit festum Apollo et Cephae discipulorum Pauli; eademque die in cunctis Kalendariis latinis celebratur natale Cleophae, qui fuit unus ex 70. discipulis.

Novissime, si Cephas, de quo Paulus ad galatas et ad corinthios, non sit Petrus apostolus, veluti praemisimus, et si Simon a Luca citatus c. XXIV. 34. neque ille sit Petrus, testibus priscis Patribus, sed discipulorum unus, seu ipsius Cleophae filius, sive alter; quis tandem erit iste Cephas, quem apostolus liquido dicit Dominum vivum vidisse, priusquam apostoli eum experrectum viderent? Aut Cleophas discipulus iste sit a Marco et Luca citatus in dictione vero fractus; aut alter, cujus gesta omnes siluere divini Scriptores.

CONCLUSIO

collectis argumentis, et adversantium rite exploratis atet quanto jure deceat Cepham Petrum apostolum ..scipulo secernere ob illas, quas notavi difficultates, ..uas, de Petri persona, de illius apostolatu, de ejusdem in ..etii ministerio oeconomia, deque illius moribus, itineribus, ceterisque hujusmodi: adeo ut cujusque aetatis et fidei orthodoxi et heterodoxi interpretes (iis potissimum collatis, quae ait Paulus ad galatas, quaeque scribit Lucas in Actis) multi multa dixerint, et commenti sint admodum inter se dissita, ac saepe parum Scripturae sensui congrua; eoque magis mutuis eorum animadversis de hac re contestationibus, quibus singuli pro ingenio suo huc illuc errarunt, quin inter se convenirent, et aliquando fortasse in proverbii discrimine constituti: *Incidit in Scyllam cupiens evitare Charybdim.*

Quapropter ss. Hieronymi, Augustini, Chrysostomi aliorumve sententiam deserendam, et ex adverso, potiori quidem jure, Patrum, qui eis praecessere, interpretationem amplectendam esse existimavi; qui Cepham Petrum apostolum, cujus mentio in Evangelio, segregarunt a Cepha discipulo in Pauli Epistolis nuncupato. Hos enim, quorum nomina praeter Clementem latent, in Ecclesia Dei excelluisse doctrina, pietate, zelo sicuti, qui eis successere, scriptores, credendum est; adeo ut sive primorum, sive alterorum opinionem amplexus fueris in libertate constitutus, nihil illorum zelo, pietati, eruditioni subtraxeris. Nihilominus ex aetatis praecessione, sicuti veritatis fontibus viciniorum, ita et validioribus inde indiciis horum testimonium magis comptum putare nobis licet.

De ceteris, praevia vulgata sententia: *in dubiis libertas, in omnibus caritas,* nulli sane fit injuria ab eo, qui judex subit, perscrutatus de hac re hinc inde argumenta veterum Patrum. Quorum tamen non pietas tantum, ingenium et eruditio, quantum cujusque illorum aptae rationes ponderandae sunt. Et in hoc suffragatur nobis s. Hieronymus in epistola 112. 5. ad s. Augustinum supra eamdem quaestionem scripta. Ait enim: « Ego in parvo tuguriolo cum monachis idest compeccatoribus meis, de magnis statuere non audeo nisi hoc ingenue confiteri, me majorum scripta legere, et in Commentariis secundum omnium consuetudinem varias ponere explanationes; ut e multis sequatur unusquisque, quod velit. Quod quidem te puto et in seculari litteratura, et in divinis Libris legisse et probasse ».

Postremo, hujus lucubrationis pertigens finem, cujus scopus quibusvis patet, sive quoad opportunitatem, seu quoad utilitatem, ingenue fatebor

me, viginti et amplius ab hinc annis, aliis abstractum curis, huic quaestioni manum adposuisse et fere dicam absolvisse, quando subito Quaestio origeniana avertit animum meum, adeo ut illa supersederem, et alteram susciperem; eoque magis quod nulla tunc occasio propitia praeberetur istam de Cepha innovandi tam arduam et gravis momenti causam.

Cum autem his diebus, veluti ab exordio dictum est, stante Concilio Vaticano, in quo praecipue agitata et definita est quaestio de infallibilitate Romani Pontificis, factum sit, ut tum haeretici, cum schismatici, et supra modum novatores et rationalistae (etsi in ceteris inter se discordes, in hoc tamen valde concordes) adversus hanc definitionem animose dimicantes, praecipuum argumentum mutuati sint ex praesumpta discordia inter apostolos Petrum et Paulum: ex quo unus idest Paulus exprobrasset alteri, quod non recte ambularet ad veritatem Evangelii; idcirco visum mihi fuit, hanc denuo aggredi quaestionem; si forte benevertat, ut extenuentur tenebrae, quibus ea obvolvitur, magis clarescat mens Apostoli, cessent variae et contradictoriae interpretum opiniones; ac demum tollatur scandalum, unde magis offensi sunt pontificiae infallibilitatis dogmatis expugnatores. In quo tamen, utrum nec ne tulerim punctum, lector judex esto.

PARAENESIS

AD

PATRIARCHAS ET EPISCOPOS NESTORIANOS, MONOPHYSITAS, IACOBITAS, GRAECOS, ARMENOS, RUTHENOS, AC CETEROS EXTRA ECCLESIAM ROMANAM CATHOLICAM AD HANC USQUE DIEM FACTOS.

Quod si difficile vobis aliquid visum fuerit, referte ad me, et ego audiam.

Moyses in Deuteronomio c. I. 17.

Κἀγό σοι λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπι ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω μου τὴν Εκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus; et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam: et portae inferi non praevalebunt adversus eam (Petram)*

Matthaei c. XVI. 18.

Φέρειν μὲν γὰρ πᾶσι φιλοτιμίαν τὴν ῥωμαίων Εκκλησίαν ἐν τοῖς γράμμασιν ὡμολόγουν, ὡς ἀποστόλων φροντιστήριον, καὶ εὐσεβείας μητρόπολιν ἐξ ἀρχῆς γεγενημένην. *Fatebantur enim (episcopi eusebiani) in litteris (ad Papam) romanorum Ecclesiam penes omnes referre aestimationem, quippe ab initio apostolorum domicilium sive scholam factam, et metropolim verae pietatis.* »

Apud Sozomenem Hist. Eccles. Lib. III. c. VIII.

Τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ κανόνος κελεύοντος, μὴ δεῖν παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης κανονείζειν τὰς ἐκκλησίας: *Ecclesiastico Canone mandante, praeter sententiam Episcopi Romani non oportere aliquid ab ecclesiis decerni.*

Socratis Hist. Eccles. Lib. II. c. XVII.

Εἶναι γὰρ νομον ἱερατικὸν ὡς ἄκυρα ἀποφαίνειν τὰ παρὰ γτώμην πραττόμενα τοῦ Ῥωμαίων ἐπισκόπου: *Esse enim Legem* hieraticam *sacrosanctam ut pro irritis habeantur, quae praeter sententiam Episcopi Romani fuerint gesta.*

Sozomenis Hist. Eccles. Lib. III. c. X.

Siquae vero causae graviores, vel appellationes emerserint, eas sub ipsius (Vicarii) relatione ad nos mitti debere decrevimus: ut nostra secundum ecclesiasticum Canonem sententia finiantur.

S. Leo in Epistola V. ad episcopos Illyrici.

Quemadmodum in bello non est ordo deserendus, quem dedit imperator militi; ita nec deserendus est ordo, quem dedit nobis λόγος *Verbum, quod accepimus principem et ducem cognitionis et vitae.*

Clemens alex. in Stromatum Lib. VII.

Ad vos tandem loquar, praestantissimi et honorandi viri, ad vos tandem ego miserrimus Christi famulus loquar episcopos nestorianos, eutychianos, Jacobitas, armenos, graecos, ruthenos, et quotquot hucusque temporis separati a Petri Cathedra, degentes in schismate miserando, anxiam ducitis vitam, nec cum Ecclesia Catholica nec inter vos concordes. Quam concordiam ipse Jesus tantopere fidelibus suis commendavit, rogans pro eis Patrem, *ut omnes unum sint, sicuti tu Pater in me et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misisti.* Ad vos praesertim alloquar patriarchas Alexandriae, Antiochiae, Caesareae sive Hierosolymorum et aliarum metropoleon: qui cathedras apostolorum vel suorum discipulorum gloriamini tenere. Loquar, siquando aliquantisper ad hoc Opusculum mentem intendentes vestram, ab illusione, qua capti estis, errorem pro veritate amplexi, mortem pro vita, in admirabile Dei lumen restituamini: qui ab initio illuminavit Patres vestros per apostolos sinceros fidei praecones. [1]

Interrogate itaque Patres vestros, Christi Dei apostolos et ipsi narrabunt vobis summum studium suum in fidei unitate servanda sub uno Magistro Jesu Christo, et hinc sub Petro Christi ejusdem Vicario; cui ab eo traditae sunt claves Regni Coelorum: et quem ideo constituit Petram et in eo suos successores, ut hanc unam regeret Ecclesiam super eamdem Petram fundatam; et adversus quam portas inferorum nunquam praevalituras esse ipsi testati sunt Patres vestri. Hos interrogate et ipsi narrabunt, quod ipse Christus promisit Simoni Petro, (Lucae c. XXII. 31.) eisdemque prophetavit apostolis, quae in mundo superventura eis forent a satana: qui sicut triticum expetivit cribrare eos; cum tamen Simon Petrus ab hac cribratione victor futurus esset; adeo ut inde confirmaret fratres suos.

Interrogate Patres vestros vos, qui in Synodo permanente negotia discutitis ecclesiastica; et confirmationem petitis a potestate laicali. Consulite Canones non illos apocryphos 33. 38. 73. falso apostolis inscriptos, in quibus soli episcopi in Synodo congregati cum metropolitae adsistentia vocantur judices omnium controversiarum religionis et ecclesiasticae disciplinae: quorum judicium inappellabile decernitis, quacumque exclusa appellatione ad Petri apostoli Cathedram. Ast potius interrogate divina et authentica apostolorum Acta, eaque consulite, num apostoli, quorum vos successores esse gloriamini, aliquando convenerint de sacris tractaturi absque praesidentia beati Petri.

Hos interrogate et ipsi docebunt vos, Synodo apostolorum adunata, (Act. c. I. 15.) Petrum primum in medio fratrum surrexisse ac dixisse: *viri fratres, oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus Sanctus*

[1] Plura hic sino Patrum documenta citare, cum in prima et secunda Parte satis factum sit.

etc. Cujus dictis omnes accesserunt. Et paulo post (c. 11. 14) iterum *stans Petrus cum undecim, levavit vocem suam, et locutus est eis: viri judaei* etc. Rursus hunc Librum legite c. XV. et docebit vos, seditione Antiochiae facta inter discipulos Domini, hinc Paulo et Barnaba cum suis, inde de pharisaeorum secta, qui crediderant, propter circumcisionem et statuta mosaica gentibus imponenda, decretum esse, ut ejusmodi quaestio deferretur ad apostolos et presbyteros in Hierusalem. Nequaquam Antiochiae, ubi aderant Paulus Barnabas ac alii discipuli Domini, adunata est Synodus ut viderent de verbo hoc; sed Hierosolymis convenerunt ubi erat apostolorum princeps. Qui, audita quaestione hinc inde disputantibus, surgens in medio dixit ad eos: *viri fratres* etc. decernens non esse ulterius gentibus, quae crediderant, mosaica imponenda statuta. Cui omnes acquieverunt. Hinc discite, num sufficiant episcopi soli absque Sedis apostolicae auctoritate in rebus sacris dijudicandis.

Consulite Patres vestros corinthiorum presbyteros et docebunt vos, se ob seditionem in clero promotam propter episcopos, scripsisse ad Clementem Papam I. (et quidem illum, cui inscribuntur Constitutiones huic praxi contrariae) ac Papam pro sua auctoritate suprema super omnem Ecclesiam, corinthiis rescripsisse statuentem non esse episcopos et presbyteros arcendos a suo ministerio, dummodo inculpate se gererent. Praeterea in fine epistolae dicit Clemens, se misisse Corinthum legatos, ut rem investigarent et referrent ad se, per haec refutans ei inscriptas Constitutiones de episcoporum in Synodo privilegiis extra conscientiam Sedis apostolicae: ac simul condemnans vestram separationem ab hac Sede.

Interrogate s. Irenaeum apud Eusebium in Libro V. Histor. Eccles. c. XXIV. ubi citatur hujus epistola ad Victorem in qua asserit veteres ecclesias vario tempore Paschatis diem celebrare, quin tamen inter se communionem scinderent, nec multo minus cum Ecclesia Romana. Et quae ab eo notantur audite: « Sed et Seniores (Papae) illi, qui ante Soterem Ecclesiam, cui tu nunc praees, gubernarunt, Anicetum dico et Pium et Hyginum cum Telesphoro et Xysto; neque ipsi unquam observarunt; neque his, qui cum ipsis erant, ut id observarent, commisere. Ipsi tamen cum hoc minime observarent, pacem nihilominus colebant cum iis, qui ad se venissent ex ecclesiis, ubi id observaretur. » Item dicit de Polycarpo, qui ab Asia Romam venit ad Anicetum Papam non tantum ob Paschatis quaestionem, sed ob quasdam alias controversias, quae cessarunt cum utriusque satisfactione.

Hunc ergo Polycarpum interrogate cum aliis episcopis, qui ab Asia ac ceteris Orientis provinciis Romam venerunt, ut singuli communicarent cum Episcopis hujus almae Urbis et Petri successoribus; et cum his agerent de controversiis ecclesiasticis. Hos inquam interrogate, cur ita se gesserint: et docebunt vos hoc factum esse ob obsequium debitum pon-

tificiae jurisdictioni supra omnes Orientis et totius mundi episcopos et ob horum observantiam erga ejusdem magisterium: quo concludebatur fidei unitas, et Ecclesiae concordia, sicuti acceperant ab apostolica traditione.

Interrogate Patres vestros beati Marci discipulos in Schola alexandrina, ex quorum numero Clementem. Interrogate eum; qui pugnans adversus haereses docet, has recentiores esse et posteriores uni, verae, antiquiori et Catholicae Ecclesiae; et omnes haereticos non habere clavem introitus ad hanc Ecclesiam, sed falsam quamdam clavem per quam transgrediuntur veritatem » sicuti vos omnes modo separati ab hac Ecclesiae antiquae unitate, huc illuc errantem ducitis vitam et mentem. (Stromatum Lib. VII.).

Consulite Patres vestros, et in his Dionysium alexandrinum, virum doctrina et pietate eximium a vobis inter sanctos honoratum, pro fide catholica perpetuo dimicantem. Hunc interrogate, et ipse docebit vos quanta reverentia prosecutus sit Episcopum Romanum: et quanta fiducia, accusatus ab aemulis, appellaverit ad judicium Sedis apostolicae: « Nam profecto (scribit ad Xystum Papam) opus habeo frater consilio; et sententiam expecto a te ne forte errem, tali ad me delato negotio. » Quique item mittit ad Stephanum circa quaestionem de innovatione baptismatis: « utrum oporteret eos, qui se a quocumque haereseos genere revocassent, lavacro baptismatis repurgari etc. » Interrogate, inquam, Dionysium, quare in tam arduis quaestionibus non quaesierit consilium et sententiam ab episcoporum Synodo, nec decretis eorumdem acquieverit. Sed Pontificem Romanum rogat, eique absolute dicit: *Opus habeo consilio tuo, et expecto sententiam tuam, ne forte errem.* Et cum ita loquatur Dionysius de se et de Papa, idem est ac diceret se fallibilem esse, et Papam infallibilem: nullamque ceterum sollicitudinem sibi gerere Synodorum definitiones.

Interrogate Patres vestros, in quibus Alexandrum metropolitam Alexandriae; et haec docebit vos de Christi Ecclesia: « Unam statuens ac solam Catholicam et apostolicam Ecclesiam: quae semper quidem inexpugnabilis, licet universus orbis eam oppugnet; victrix autem est omnis impiae factionis haereticorum, qui adversus ipsam consurgunt. » (Theodoretus Hist. Eccles. Lib. 1. c. IV.) Interrogate eum, si forte praeter hanc Ecclesiam unam, aliae inveniri possint ecclesiae aetate, auctoritate et veritate huic praestantiores. Interrogate eum, si forte hi tituli catholicae et apostolicae Ecclesiae ac propterea inexpugnabilis, alteri ecclesiae sint inscribendi. Interrogate eum, ubinam nunc sint, qui hujus Alexandri aetate in hanc Ecclesiam nova conati sunt introducere dogmata, novosque magistros in ruinam hujus apostolici aedificii?

Interrogate Patres vestros, qui non mentiuntur, episcopos dico totius orbis, qui Nicaeae convenerant ab Aegypti provinciis, Thebaidis, Libyae, a Palaestinae provinciis, Phoenicis et Coelesyriae, ab Arabiae

provinciis, Mesopotamiae, Persidis, Ciliciae, Cappadociae, Armeniae Minoris et Majoris, a provinciis Ponti polemoniaci, Ponti Paphlagoniae, a Galatiae provinciis, Asiae Minoris et Majoris, a provinciis Helesponti, Lydiae, Phrygiae, Pisidiae, Lyciae, Pamphyliae, Cariae, Isauriae, Cypri, Bithyniae, Daciae, Mysiae, Macedoniae, Achajae, Calabriae, Africae, Dardaniae, Dalmatiae, Pannoniae, Italiae, Hispaniae, Galliarum, Gothiae, Bosphori.

Harum inquam provinciarum interrogate episcopos, patriarchas, metropolitas, et narrabunt vobis, una voce consonante obtestati, quod perpetuo ab initio Ecclesiae creditum est, et religiosissime custoditum, Episcopum nempe Romanum beati Petri Sedem tenentem, primatum exercere et jurisdictionem supra omnes mundi antistites; ac ad eum proinde referendas esse cunctas quaestiones inter eosdem agitatas, sive fidem, seu mores, aut disciplinam spectantes. Interrogate eos et ipsi vobis exprobrabunt, quod dereliquistis fontem aquae vivae, et effodistis vobis cisternas fractas, quae continere non valent aquas. Dereliquistis Matrem vestram; deseruistis metropolim verae pietatis et apostolorum scholam: in qua sola via est, veritas et vita.

Interrogate hos 318. et ipsi docebunt vos, quosdam ex Patribus vestris a via veritatis errantes et extra Ecclesiam factos, furtivas manus intulisse in Canones nicaenos sapientissime in eo sacrosancto consessu sancitos, eosque falsasse, mutilasse, surripuisse, ac alios commentitios intrusisse, in quos offendistis existimantes, Patres nicaenos ejusmodi erexisse offensionis lapides.

Interrogate Patres vestros hos inquam 318. qui Synodo adstitere: et ipsi narrabunt vobis: « Si episcopus accusatus fuerit, et judicaverint congregati episcopi regionis illius; et de ipso gradu dejecerint eum; et appellasse videatur, et confugerit ad beatissimum Ecclesiae Romanae Episcopum: et voluerit et justum putaverit, ut renovetur examen, scribere his Episcopus (Romanus) dignetur, qui in finitima et propinqua provincia sunt. Et ipsi diligenter omnia requirant, et juxta veritatis fidem definiant. Quod si is, qui rogat, causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut e latere suo presbyterum mittat, erit in potestate Episcopi Romani quid velit, et quid existimet. Et si decreverit mittendos esse, qui praesentes cum episcopis judicent, habentes auctoritatem ejus, a quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si vero crediderit sufficere episcopos, ut negotio terminum imponant, faciet quod sapientissimo consilio suo judicarit. »

Interrogate itaque Patres vestros episcopos nicaenos; et ipsi docebunt vos, quantum hic Canon a catalogo genuino surreptus haereticorum perfidia, differat a Canone antiocheno ab eusebianis condito contra normam Patrum nicaenorum et apostolicae traditionis. In hoc Canone episcoporum causa, quaecumque sit, defertur ad Episcopum Romanum: qui

sicuti sibi videbitur, procedit in examen. In Canone antiocheno episcoporum causa, inaudito Antistite Romano, refertur judicanda ad provinciae episcopatum, praesente metropolita; a cujus judicio non licet ullatenus appellare.

Interrogate Patres vestros, et ipsi docebunt vos. Et illum praesertim interrogate Athanasium beatissimum virum, quem inter sanctos colitis. Is enim patriae traditionis testis et custos fidelis, per sua scripta adhuc vivens adversus vos protestatur, asserens ab aetate Concilii nicaeni, priusquam Arii impietas Christo Deo et suo Vicario rebellis, invaderet mentes hominum, christianos omnes sive orthodoxos sive dubios et quotquot inter se dissidentes episcopos ex Orientis partibus ad Petri Cathedram confugisse, quippe inde ex more vetusto expectandum erat judicium supremum in quibusvis quaestionibus, ac praesertim in ordine episcopatus a Sede apostolica missionem suam et ordinationem repetentis, haud exclusis patriarchis. Quorum privilegia, si ceteris episcoporum et metropolitarum praestarent, cedebant tamen excellentiae Antistitis Romani; qui supra totius orbis episcopos exercebat jurisdictionem per potestatem a Christo acceptam. Ac tanta erat tunc sicuti perpetuo Ecclesiae universae persuasio de Sedis apostolicae auctoritate, ut Gregorius episcopatus alexandrini invasor, hujus retinendae dignitatis percupidus, oratores Romam miserat: sicuti eusebiani per epistolam ab Antiochia tantundem fecerunt. Tam in utrisque praepollebat observantia in hanc Sedem.

Quaerite ab eusebianis, arianorum portione, quare ipsi Ecclesiam Romanam vocarint scholam apostolicam et metropolim verae pietatis, et hoc juxta priscam traditionem. Et hinc considerate, quare hanc vos metropolim deseruistis, et cur hujus scholam dereliquistis, quam apostoli erexerunt. Attendite ubi nunc sunt eusebiani, qui se subtraxerunt ab hac metropoli et a schola ibi erecta. Quaerite quid profecerint ab hac separatione, et ubi modo sint illorum discipuli. Evanuerunt tanquam pulvis coram vento; quum apostolorum schola et metropolis religionis adhuc supersit docens, pugnans et vincens oppugnatores suos.

Consulite Patres vestros Marcellum ancyranum episcopum et suos adversarios in quaestione de Trinitate; et ipsi docebunt vos, quomodo uni non ad Synodum permanentem episcoporum appellarunt adversus Marcellum, sed ad Julium Papam litteras miserunt insimulationum, ut per has condemnaretur tanquam haereticus. Et tantumdem Marcellus contra vos contestatur, qui, neglecta episcoporum Synodo, hortatur Julium, ut apud se arcessat accusatores suos, et judicium instituatur apud Sedem apostolicam circa suam orthodoxiam. (Epiphanius Haeres. 72. n. 2.).

Interrogate Socratem in Libro II. Hist. Eccles. c. XV. Athanasii gesta enarrantem et ceterorum episcoporum catholicorum, qui ab ecclesiis expulsi Romam venerunt: « Ubi, cum Julio Romanae urbis episcopo cau-

sam suam exposuissent, ὁ δὲ, ἅτε προνόμια τῆς ἐν Ρώμῃ ἐκκλησίας ἐχούσης, παῤῥησιαστικοῖς γράμμασιν ὠχύρωσεν αὐτοὺς, καὶ ἐπί τὴν ἀνατολὴν ἀποστέλλει, τὸν οἰκεῖον ἑκάστῳ τόπον ἀποδιδοὺς, καὶ καθαπτόμενος τῶν προπετῶς καθελόντων αὐτοὺς, ille vero quippe est Romanae Ecclesiae praerogativa, alacrioribus litteris eos communitos in Orientem remisit singulis suam sedem restituens, eosque perstringens, qui praefatos episcopos temere deposuissent. » Et haec narrat Socrates de Sedis apostolicae praerogativa circa Orientis episcoporum constitutionem, ita ut nemo, nec episcopus nec patriarcha praesumerent quidquam decernere de episcopatu illius regionis adversus Antistitis Romani judicatum. [1]

Interrogate Constantium imperatorem, qui summopere laboravit, ut de Athanasio judicium ab episcopis aegyptiis pronunciatum, confirmaretum a Liberio Papa. Interrogate universos Orientis episcopos, qui in Synodo adunati, per Eustathium, Silvanum et Theophilum scripserunt ad Liberium suam fidei catholicae professionem; eumque monent: « ut si forte quis voluerit inferre accusationem, cum litteris sanctitatis tuae coram orthodoxis episcopis, quos probarit sanctitas tua, veniat et apud illos judicio contendat nobiscum. » Legati nempe episcopatus orientalis nomine, Romam missi, talem Liberium Papam judicem idoneum agnoscunt, qui et judices constituere possit: apud quos etiam Orientis antistites se sistere debeant. Et talis est sensus Canonis nicaeni perfidorum malitia surrepti ab elencho genuino, sicuti in praemissis dictum est. (Coustant p. 454. etc.)

Interrogate Patres vestros, qui in Synodo constantinopolitana oecumenica II. convenerunt (nequaquam vero illos, qui Conciliabulo sequenti adstiterunt) adversus Macedonii haeresim; et videte num tantummodo synodalis episcoporum definitio suffecerit erroris damnationi. Et docebunt vos (teste Sozomene) contendentibus inter se episcopis, controversiam judicio Ecclesiae Romanae fuisse terminatam.

Interrogate Petrum alexandrinum Athanasii successorem inter sanctos a vobis inscriptum; qui in epistola synodica (teste Theodoreto Hist. Eccles. Lib. IV. c. XXII) ait se accepisse litteras a Damaso, ad quem antea scripserat, ei ex more communicans suam ordinationem ab ordine sacerdotali, a magistratu, et a viris illustribus adprobatam. Qui postea Romam petit Damasum eumdem consulturus.

Consulite episcopos Orientis et aliarum regionum finitimarum, Asiae Minoris, Ponti, Mesopotamiae, Syriae, Armeniae, Aegypti et Thebaidis. (s. Basilii epistola 92.) Qui auxilium postulantes ab episcopis occidentalibus et potissimum ab Antistite Romano contra schismaticos huc illuc

[1] Quamvis, ut nonnulli putant, hoc Julii Papae decretum, quo episcopi expulsi restituendi erant ad proprias Sedes, non expletum fuerit ob adversas circumstantias, nihilominus manet in suo tenore judicium pontificium.

irrumpentes, inter cetera haec ajunt de Sede apostolica: « Revera enim excelsae beatitudinis dignum est, quod a Domino pietati vestrae datum est, adulterinum quidem a probo ac puro discernere: Patrum vero fidem sine ulla dubitatione vel metu praedicare. Quam quidem et nos suscepimus et agnovimus apostolicis notis signatam. »

Ita sane locuti sunt Patres vestri, qui ex cunctis provinciis vestris unanimes convenerunt, vota sua convertentes ad Occidentem ad illam Cathedram veritatis, quae mentiri non potest. Interrogate eos, in quibus praesertim s. Basilium; quem vos dicitis tunc ceteris praestitisse scientia et pietate, ita ut omnibus admirationi esset, ne forte quis dicat, hunc episcoporum conventum vobis illusisse, atque mentitum esse de tanta Sedis apostolicae auctoritate; quam modo deseruistis, et contemnitis.

Interrogate Patres vestros Eutherium thianensem et Helladium tharsensem, ceterosque episcopos de regione Euphratis, de utraque Cilicia de secunda Cappadocia, de Bithynia, de Thessalia et Moesia, qui scribentes ad Xystum III. contra Cyrillum alexandrinum inquiunt ei: (Labbei Tom. V. p. 893.) Suffecit vestra apostolica Sedes per universum tempus illud ad mendacium convincendum, et impietatem reprimendam et corrigenda quae necesse fuerit, et muniendum orbem terrarum ad gloriam Christi tam sub ter beato Damaso, quam sub pluribus. » Hos interrogate episcopos, quare, exclusa Synodo, confessi sunt, Sedem apostolicam solam suffecisse ad reprimendam impietatem et corrigenda quae necesse erant.

Consulite Patres vestros in Synodo ephesina contra Nestorium adunatos, et ipsi docebunt vos. Et in primis interrogate Nestorium Constantinopoleos patriarcham, qui priusquam scinderetur a b. Petri Sede, scribit ad Caelestinum Papam de pelagianis, inquiens: « Doceri autem volumus, quam de his (pelagianis) sententiam teneamus. » Deinde, interrogate episcopos in ea Synodo adunatos, num ipsi suffecerint in anathematizando Nestorium. Et ipsi docebunt vos, non nisi Xysti Papae sententia audita, omnes acquievisse; ac nonnisi post hanc pontificiam definitionem, quam ex ore Petri processisse confessi sunt, cessasse a contentionibus. Cyrillum interrogate, quem vos dicitis primatum tenuisse in Synodo. Nihilominus se primatum obtinuisse dicit a Xysto; eumque ideo celebrat Papa per litteras, quod ad beatum Petrum, ad se nempe, convenisset, *Auditorium conveniens auditoribus.* Sicuti in Encomio beatae Virginis vocat eumdem Caelestinum *totius orbis episcopum et testem fide dignum.*

Hunc Caelestinum demum interrogate, a vobis in diptychis honoratum, et videte quomodo ad clerum constantinopolitanum scribens eos vocat *membra sua, viscera sua,* quippe illi unum corpus, cujus Caelestinus ipse caput erat, constituebant cum ceteris populis; nec umquam existimarint fieri posse, ut aliquando quaedam hujus corporis membra scinderentur a capite suo, sicuti hodie factum est a vobis mentitis Patrum

vestrorum traditioni. Insuper cernite quomodo Cyrillus exprobret Nestorio, quod ausus sit excommunicare clericos et laicos Constantinopoleos, qui cum sua impietate communicare noluerunt, significans hoc judicium non ad ipsum sed ad Caelestinum pertinere.

Interrogate Patres vestros in Synodo chalcedonensi, et primum Eutychetem, qui scribit ad Leonem Papam; eique submittit fidei suae professionem, eum vocat judicem, spondens se judicio suo obsecuturum. Deinde audite, quae Synodus coram Valentiniano et Marciano (Actione III.) loquitur de Dioscoro extincto per s. Leonem: « Christo, dicunt, ad intelligentiam prospere dirigente: qui ostendit in Leone mirabili veritatem. Quia sicuti sapiente Petro, ita et isto utitur adsertore (Christus). » Insuper interrogate patriarchas, Proterium dico alexandrinum, Maximum antiochenum, Juvenalem hierosolymitanum, Anatolium constantinopolitanum: qui per legatos et litteras scripserunt ad s. Leonem: et hinc discite quanta reverentia prosecuti sint Petri Cathedram Ecclesiae Catholicae centrum.

Interrogate quaeso hunc s. Pontificem una cum Flaviano constantinopolitano; quos vos sub die XVIII. Februarii in numero sanctorum virorum colitis. Ille est qui Flaviano epistolam dedit, ullo absque suffragio nec Synodi nec Imperatoris scriptam, et universim acceptam. Ille est qui vobis mandat (in epistola 1.): « De componendis atque compositis omnibus ad nos relatio mittatur, ut ea quae juxta ecclesiasticum morem juste et rationabiliter fuerint definita, mea quoque sententia roborentur. » Et iste est Flavianus, qui omnia retulit ad Sedem apostolicam. Et considerate quomodo isti aliquando adversus vos obtestati, judices vestri erunt, quod assensum negastis voci Petri, qui in Leone loquebatur. [1]

Consulite Patres vestros, et ipsi docebunt vos. Interrogate eruditissimum virum Cyri episcopum Theodoretum: qui veterum syrorum et graecorum scripta percurrit et interpretatus est. Hunc interrogate de obsequio, quod Sedi apostolicae praestitit, quando a pseudosynodo ephesina damnatus, judicium invocat s. Leonis Papae, sicuti aliquando apostolus Paulus beati Petri judicium invocaverat: « Multo magis, inquit, humiles et pusilli ad apostolicam Sedem vestram cucurrimus, ut ecclesiarum ulceribus remedium accipiamus.... At ego apostolicae vestrae Sedis expecto sententiam: et oro et obtestor Sanctitatem tuam, ut mihi *rectum et justum tribunal vestrum* invocanti opem ferat; jubeatque ad vos venire; et doctrinam meam apostolicis vestigiis inhaerentem ostendere. » Demum concludit: « Ante omnia, ut a vobis docear oro, an me oporteat in hac injusta depositione acquiescere an non. Vestram sententiam expecto. »

[1] De s. Leone et de ceteris usque ad s. Gregorium citatis, quorum festum celebratur a graecis et slavis, conferatur Annus ecclesiasticus graeco-slavicus per Joannem Martinov. Bruxellis 1863.

Interim Theodoretus a Synodo damnatus, hujus auctoritatem spernit: ac praeteriens Antiochiae, Alexandriae, Caesareae, et Constantinopoleos patriarchas, confugit ad Petri Cathedram; cujus solius judicium vocat justum et rectum. Quare in epistola ad Renatum presbyterum, legatum pontificium, scribit de Sede apostolica: « Habet sanctissima illa Sedes ecclesiarum, quae in toto sunt orbe, principatum multis nominibus, atque hoc ante omnia quod ab haeretica tabe immunis mansit: nec ullus contraria sentiens in illą sedit; sed apostolicam gratiam integram conservavit. » Hunc ergo virum interrogate, quem vos inter sanctos colitis, et vos docebit quanta injuria illius memoriam afficitis, suam spernentes auctoritatem; et quanta illusione affecti estis, illam contemnentes Sedem ubi integra conservata est gratia apostolica.

Interrogate Gelasium Papam, qui (Labbei Tom. VIII. p. 30.) damnato Acacio, hortatur Anastasium Augustum, ut ecclesiarum tranquillitas restituatur; ac proinde ita ad illum loquitur: « Duo sunt, Imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus Domino in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti enim, fili clementissime, quod licet praesideas humano generi dignitate, rerum tamen praesulibus divinarum devotus colla submittis; atque ab eis causas tuae salutis expectas; inque sumendis caelestibus sacramentis, eisque (ut competit) disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordini potius quam praeesse. Nosti itaque inter haec, ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem.... Et si cunctis generaliter sacerdotibus recte divina tractantibus, fidelium convenit corda submitti: quanto potius Sedis illius praesuli consensus est adhibendus: quem cunctis sacerdotibus et divinitas summa voluit praeminere, et subsequens Ecclesiae generalis jugiter pietas celebravit. »

Paulo post subdit: « Apostolicae vero Sedis auctoritas, quod cunctis seculis christianis Ecclesiae praelata sit universae, et Canonum serie paternorum et multiplici traditione firmatur. Sed vel hinc utrum sibi quisquam contra nicaenae Synodi constituta, quippiam valeat usurpare, collegio potest unius communionis ostendi, non mentibus externae societatis aperiri. Apud illos siquis confidit, egrediatur in medium, et apostolicam Sedem de utraque parte revincat et instruat. Tollatur ergo nomen e medio, quod ecclesiarum discretionem procul a catholica communione operatur, ut sincera pax fidei et communionis reparetur et unitas: et tunc quis nostrum contra venerandam vel insurrexerit vel nitatur insurgere vetustatem, compellenter et legitime perquiratur. Et illic apparebit, quis modesto proposito custodiat formam et traditionem majorum: quis supra haec irreverenter insiliens, rapina aequalem posse fieri arbitretur. Quod si mihi populi constantinopolitani persona proponitur, per quam

dicatur nomen scandali, idest Acacii, non posse removeri, taceo, quia et haeretico quondam Macedonio pulso, et Nestorio nuper ejecto, plebs constantinopolitana catholica permanere delegerit, potius quam majorum praesulum damnatorum affectione detineri. »

Consulite ecclesias orientales, quae schismate laborantes scribunt ad Symmachum, ut illis opem ferat (antea scripserant ad Damasum ob eamdem causam: Labbei Tom. VIII. p. 221.) ac in communionem eas recipiat: In his haec ajunt de Papa: « Non enim ejus (satanae) ingenium ignoras qui quotidie a sacro doctore tuo Petro doceris, oves Christi per totum habitabilem mundum creditas tibi, pascere, non vi, sed sponte coactas.... Omnimodo autem et qui videntur communicare orthodoxi, et qui se a communione abstinent, omnes post Deum tuae lumen visitationis et assumptionis opperimur. Quare festina juvare Orientem, ex quo vobis duo grandia diei lumina Petrum et Paulum ad illuminationem totius mundi Salvator direxit. Reddite ergo ei bonam retributionem, quam ipse vobis dedit. Illuminate eum rectae fidei lumine, sicut per ipsum vos quondam divinae cognitionis lumine idem illuminavit etc. »

Interrogate archimandritas Syriae secundae, qui scribunt ad Hormisdam Papam ut consulat malis, quibus ab eutychianistis premebantur. Et ita de eo loquuntur: « Quoniam vero Christus Deus noster principem pastorem et doctorem et medicum animarum constituit vos et vestrum sanctum angelum, dignum est, passiones, quae nobis contigerunt, exponere et inmisericordes lupos ostendere, qui dissipant gregem Christi: ut auctoritatis baculo eos de medio ovium expellat; verbo autem doctrinae animam sanet, et orationis medicamentis mitiget: « Paulo post: « Deprecamur ergo, beatissime Pater, supplicantes et rogantes, ut exurgatis cum fervore et zelo; et condoleatis juste pro corpore laniato (nam caput estis omnium) et vindicetis fidem contemptam, Canones conculcatos etc. » Sequuntur subscriptiones ducentorum et amplius monachorum; quorum omnium iidem sunt sensus erga Sedem apostolicam. Hos ergo interrogate, et vobis ipsis respondebunt, qua observantia, qua fide in suis necessitatibus convertantur ad Petri Cathedram, ad principem pastorum et medicum animarum, quavis ad alienos sive episcopos sive Synodos exclusa appellatione. Ita sane hos monachos interrogate; et per ea quae dicunt, Papam nempe verbo doctrinae sanare animam, intelligite animas fidelium non per doctrinam quamcumque incertam, ut est doctrina humana, sanari, verum per doctrinam infallibilem menti humanae superiorem.

Justinus piissimus ad eumdem Papam an. 521. (Labbei Tom. VIII. p. 523.) « Ut quod, ait, in Paulo viro Rmo contigit, apostolatui vestro patefiat; qui sacerdotio praeditus antiochenae civitatis, ita versatus esse dicitur in multis causis, quae religiosis alienae sunt episcopis, ut clericorum suorum proditione, habitatorum etiam dictae civitatis, aliorum in-

super frequentium, incusaretur non tantum legatis vestrae sanctitudinis in hac regia positis urbe (ut ipsos quoque retinere censemus) verum post eorum recessum; qui malae conscientiae suae testimonio, veritus insuper, ne, quaestione habita, graviorem formam exitus rei posceret, recusatores libellos obtulit, ut liceret ei secedere a suscepto (sicut dictum est) episcopatus officio etc. »

Sequitur de eadem re relatio Epiphanii episcopi Constantinopolitani ad eumdem Hormisdam: quae ita exorditur: « Frequentiores quidem litteras facere ad vestram beatitudinem et frui affectu fraternae caritatis optamus. Nunc autem ea, quae evenerunt, cupientes vestram sanctitatem non latere, praesentibus usi sumus litteris etc. »

Quaerite ab hoc Pontifice, qui certe non mentitur, et docebit vos pristinum morem et vetera constituta servata penes ecclesiam constantinopolitanam in electione episcopi istius Urbis, scribendi ad Sedem apostolicam, eique notificandi illius assumptionem ad hanc dignitatem cum debitis formulis, quae indicarent plenam concordiam et unitatem cum Petri Cathedra. Ita namque Papa sui juris vi ad Epiphanium scribit: « Diu nos non nunciata tuae primordia dignitatis tenuere suspensos: et in ipsa communis gratulatione laetitiae mirati admodum sumus morem pristinum fuisse neglectum; quia reparata ecclesiarum, Deo annuente, concordia, plenum fraternae pacis id flagitabat officium: praesertim quo illud sibi non arrogantia personalis, sed regularum observantia vindicabat. Decuerat siquidem, frater carissime, te legatos ad apostolicam Sedem inter ipsa tui pontificatus initia destinasse, ut et quem tibi debeamus affectum bene cognosceres; et vetustae consuetudinis formam rite compleres. Sed licet his omissis, paginalia tantum sufficere judicasses ex occasione colloquia; nos tamen gratia stimulante compulsi, interim juste constantiam expectationis abrupimus, reciproca mutuae caritatis verba reddentes..... Legationem autem tuam et ea qua dudum gratia sustinemus, et fulti veteribus constitutis exigimus, ut quantum gaudii fructum vel de tui pontificatus honore capiamus; vel quas tibi gratias referre conveniat pro impensis in negotio propagandae unitatis officiis (sicuti nostrorum multipliciter astruxit legatorum narratio) evidentius exprimamus. »

Interrogate ergo Justinum et Epiphanium, et ipsi docebunt vos munus, quod unicuique illorum incumbebat referre ad Sedem apostolicam cuncta, quae in dissitis Orientis regionibus supervenerant de persona Pauli patriarchae Antiochiae variis insimulati criminibus. Cujus causa quomodocumque in iis provinciis discussa foret, attamen apostolica traditio postulabat ut ad Petri Cathedram referretur, non obstantibus privilegiis aliorum patriarcharum.

Interrogate Justinianum, qui litteras ad Joannem Pontificem ita exorditur: (Labbei Tom. VIII. p. 795.) « Reddentes honorem apostolicae

Sedi et vestrae sanctitati: quod semper nobis in voto fuit et est (ut decet Patrem) honorantes vestram beatitudinem, omnia quae ad ecclesiarum statum pertinent festinavimus ad notitiam deferre vestrae sanctitis. Quoniam semper nobis fuit magnum studium unitatem vestrae apostolicae Sedis et statum sanctarum Dei ecclesiarum custodire: qui hactenus obtinet, et incommote permanet, nulla intercedente contrarietate. Itaque omnes sacerdotes universi orientalis tractus et subjicere et unire Sedi vestrae properavimus.

« In praesenti ergo, quae hîc commota sunt, quamvis manifesta et indubitata sint, et secundum apostolicae vestrae Sedis doctrinam ab omnibus semper sacerdotibus (ferme) firme custodita et praedicata, necessarium duximus ut ad notitiam vestrae sanctitatis perveniant. Nec enim patimur quidquam, quod ad ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum et indubitatum sit, quod movetur, ut non etiam vestrae innotescat sanctitati quae caput est omnium sanctarum ecclesiarum. Per omnia eum, ut dictum est, properamus honorem et auctoritatem crescere vestrae Sedis. »

In fine ait: « Petimus ergo vestrum paternum affectum ut vestris ad nos destinatis litteris et sanctissimum episcopum hujus alme Urbis et patriarcham fratrem vestrum (quoniam et ipse per eosdem scripsit ad vestram sanctitatem, festinans in omnibus sequi Sedem apostolicam beatitudinis vestrae) manifestum nobis faciatis, quod omnes, qui praedicta recte confitentur, suscipit vestra sanctitas: et eorum, qui judaice ausi sunt rectam denegare fidem, condemnat perfidiam. Plus enim ita et circa vos omnium amor et vestrae Sedis crescet auctoritatis; et quae ad vos est unitas sanctarum ecclesiarum, inturbata servabitur; quando per vos didicerint omnes beatissimi episcopi, eorum quae ad vos relata sunt, sinceram vestrae sanctitatis doctrinam. Petimus etc. »

Rursus consulite Justinianum quid ipse deinde scribens ad Agapetum Papam, senserit de Sede apostolica; et ipse respondebit vobis (Labbei Tom. VIII. p. 857.): « Prima salus est rectae fidei regulam custodire; et a Patrum traditione nullatenus deviare: quia non potest Domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia dicentis: *Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam.* Haec quae dicta sunt, rerum probantur effectibus: quia in Sede apostolica inviolabilis semper catholica custoditur religio. De hac igitur fide non cadere cupientes, et Patrum sequentes in omnibus constituta, idest 318. sanctorum Patrum qui Nicaeae congregati sunt etc. » Et enumeratis cunctis haereticis ab Ario usque ad Petrum antiochenum, concludit: « Quapropter, sicuti praefati sumus, sequentes in omnibus Sedem apostolicam, quae ab ea statuta sunt, praedicamus. Et profitemur ista inconcusse servari, et compellere ut juxta tenorem libelli istius omnes faciant episcopi, ut sanctissimi quidem patriarchae ad vestram faciant sanctitatem: metropolitani vero pa-

triarchis, et alii ut suis faciant metropolitanis: quatenus per omnia sancta Catholica nostra Ecclesia suam habeat firmitatem. »

Et cum haec hortetur Justinianus, revocate, quae antea in secunda Parte hujus Operis saepius dictum est de ecclesiis apostolicis, quarum episcopi antea vocabantur metropolitae deinde patriarchae cum suis privilegiis specialibus (uti notantur in Canone VI. nicaeno) in primo gradu collocato Episcopo Romano, deinde alexandrino, hinc antiocheno, quarto caesariensi, qui cum jurisdictionem exercerent unusquisque supra alios metropolitas et episcopos cujusque patriarchatus, subdebantur tamen jurisdictioni Pontificis Romani, cui in omnibus obsequium praestabant. Et quod explicite declarabant una cum suae fidei professione ad Sedem apostolicam missa post suam promotionem ad episcopatum illarum ecclesiarum.

Idcirco, cum ait Justinianus Agapeto Papae, se fidem catholicam profiteri: eamque servare spondet inconcussam, et insuper addit se juxta tenorem hujus libelli episcopos compellere ut idem faciant, describens ordinem, quo ab episcopis talis emittenda sit professio scilicet: « ut patriarchae hanc faciant professionem ad sanctitatem tuam; metropolitani vero patriarchis, et alii episcopi suis faciant metropolitanis: quatenus per omnia sancta Catholica nostra Ecclesia suam habeat firmitatem » hinc intelligitur, quod alibi Siricii et Innocentii Pontificum auctoritate statutum fuit, *ut extra conscientiam Sedis apostolicae vel metropolitani nullus audeat ordinare;* unde sequebatur, ut ait Justinianus, per hanc participationem, Ecclesiae Catholicae fideique unitas.

Hunc vero appellavi Principem, non qualem trium Capitulorum defensorum perfidia, malevolorum invidia et maxime plerorumque ignorantia et illusio repraesentarunt in suis scriptis episcopatus catholici persecutorem et in haeresi defunctum. Sed hunc Principem magnanimum in vos testem, voco, religionis christianae propagatorem in gentibus idololatris, fidei catholicae perpetuum cultorem, qui bellum perenne indixit haeresi et ferventissimum propugnatorem jurium Sedis apostolicae, et studiosissimum in concordia et unitate servanda inter Occidentis et Orientis Ecclesiam, ita ut tam in vita quam post obitum per Pontifices elogiis singularibus ob suam pietatem cumulatus sit. In quibus praecipue numeratur s. Gregorius Magnus, qui in epistola 122. Lib. IX. ad Recaredum et alibi illius memorat nomen sub titulo *piae memoriae,* viri nempe in Ecclesia Catholica defuncti: sicuti tantundem testatur Agatho alter Papa. [1]

Demum interrogate s. Gregorium magnum: interrogate Pontificem, quem vos valde honoratis, ejusque memoriam colitis inter sanctos, vir-

[1] Conferatur Tomus IV. et V. Operis inscripti in s. Gregorii nysseni et Origenis scripta et doctrinam Nova Recensio per Aloisium Prof. Vincenzi. Romae etc.

tutibus omnibus praeditum, et in Scripturarum scientia versatissimum. Gesta hujus Pontificatus consulite: quo nempe pervenit ipsius pontificia vigilantia: quanto studio usque ad ultimos Orientis fines catholicam propugnavit fidem ac reverentiam in Petri Cathèdram. Insuper non hunc tantum interrogate, sed et amplius Patres vestros metropolitas Alexandriae, Antiochiae, Hierosolymorum, Constantinopoleos, ac ceteros illarum regionum episcopos, monachos et principes. Hos interrogate; et ipsi unanimes docebunt vos, voce et scriptis contestati, universam Christi Ecclesiam regi ab uno Petri successore, omnium pastorum Pastore, omnium controversiarum judice supremo: ad quem omnia sacra negotia, sive privatim vel in Synodo discussa referenda erant. *Referte ad me, et ego audiam.*

Quaerite itaque ab Anastasio antiocheno; ad quem Papa in epistola 7. Libri I. ait se ab eo litteras accepisse; et ubi haec notantur: « Quod vero *me os Domini, quod lucernam dicitis.* Quod multis prodesse perhibetis, hoc quoque mihi ad iniquitatum mearum cumulum accidit; ut, cum vindicari in me iniquitas debuit, laudes pro vindicta recipiam. » In his profecto, si hinc s. Gregorii humilitatem probaveris, inde ex Anastasii parte, reverentiam in Petri successorem. Cum enim sit talis Petri successoris altitudo, Anastasius eum *os Domini et lucernam* vocat: ut concludas quantae auctoritatis fierent verba pontificia a patriarcha antiocheno. [1]

Item animadvertite, quae s. Pontifex in epistola 6. Libri III. mandat Joanni episcopo Primae Justinianae, qui communione privavit Hadrianum thebanae civitatis antistitem; et quae in sequente scribit de eadem re ad Joannem larissaeum: cujus initium: « Frater noster Hadrianus ad romanam urbem veniens lacrymabiliter est conquestus de quibusdam capitibus se a fraternitate tua nec non a Joanne Primae Justinianae episcopo, non legitime neque canonice condemnatum. » Ibi expositis a Papa argumentis adversus iniquam damnationem in Hadrianum latam, concludit: « Quare, siqua causa vel fidei vel criminis vel pecúniaria contra praefatum Hadrianum consacerdotem nostrum potuerit evenire, vel per eos, qui nostri sunt vel fuerint in urbe regia responsales, si mediocris est quaestio, cognoscatur: vel huc ad apostolicam Sedem, si ardua est, deducatur; quatenus nostrae audientiae sententia decidatur. » Hinc constat adamussim expletum constitutum in Canone nicaeno subtracto de pontificia jurisdictione super omnes mundi episcopos, deque amplius ordine servando in causis cognoscendis episcoporum: quas Papa vel ad se vocat, aut metropolitas delegat judices hujusmodi quaestionum, prout rei momentum seu circumstantiae postulant.

Item in epistola 52. Libri V. ad Joannem episcopum corinthiorum

[1] S. Gregorii Magni opera omnia. Tom. 2. Edit. Pariis 1705.

triarchis, et alii ut suis faciant metropo[illegible] Anastasii Secundino antistiti; cta Catholica nostra Ecclesia suam [illegible] causa Anastasii quondam episco-

Et cum haec hortetur Justi[illegible] maximus, vigilantiam suam et dili-
Parte hujus Operis saepius [illegible] ut justitia noscebat et oportuit, ju-
episcopi antea vocabanti[illegible] secundinum cetera judicanda reservasse
vilegiis specialibus (ut[illegible] consuetudinem, ita ut ab utraque epistola
collocato Episcopo [illegible] in quibusvis causis et maxime de re gra-
caesariensi, qui [illegible] submittenda esse.
metropolitas [illegible] Pontificis epistolam 43. Libri. V. ad episcopos Eulo-
risdictioni [illegible] et Anastasium antiochenum, et attendite ad ea, quae
quod ex [illegible] Petri apostoli et aliorum Pontificum statuit de Synodis
apost[illegible] consensu Sedis apostolicae, quarum acta irrita declaran-
cle[illegible] epistola: « Cum praedicator egregius dicat, quamdiu quidem
[illegible] Ante hos siquidem annos octo, sanctae memoriae deces-
[illegible] Pelagii tempore, frater et coepiscopus noster Johannes in con-
[illegible] urbe ex causa alia occasionem quaerens, Synodum fe-
[illegible] se universalem appellare conatus est. Quod mox idem deces-
[illegible] ut agnovit, directis litteris ex auctoritate s. Petri apostoli ejus-
[illegible] Synodi acta cassavit. Quarum videlicet epistolarum sanctitati ve-
[illegible] exemplaria studui destinare....

« Sicut enim veneranda mihi vestra sanctitas novit, per sanctam chalcedonensem Synodum Pontifici Sedis apostolicae, cui, Deo disponente, deservio, hoc *universitatis* nomen oblatum. Sed nullus unquam decessorum meorum hoc tam profano vocabulo uti consensit: quia videlicet si unus patriarcha universalis dicitur, patriarcharum nomen ceteris derogatur... Cum ergo nos hunc honorem nolumus oblatum suscipere, pensate quam ignominiosum sit hunc sibi quempiam violenter usurpare voluisse etc. »

In epistola 40. Lib. VII. ad Eulogium eumdem ita loquitur Gregorius: « Suavissima mihi sanctitas vestra multa in epistolis suis de s. Petri apostoli principis Cathedra locuta est, dicens quod ipse in ea nunc usque in suis successoribus sedeat. Et quidem ego indignum me esse non solum in honore praesidentium, sed etiam in numero adstantium agnosco. Sed cuncta, quae dicta sunt, in eo libenter accepi, quod ille mihi de Petri Cathedra locutus est, qui Petri Cathedram tenet. Et cum me specialis honor nullo modo delectat, valde tamen laetatus sum quia vos, sanctissimi, quod mihi impendistis, vobismetipsis dedistis. Quis enim nesciat sanctam ecclesiam in apostolorum principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus a Petra vocaretur etc. » Hunc ergo interrogate Eulogium, qui in suis epistolis scribens ad s. Gregorium, ait apostolorum principem Petrum adhuc per suos successores sedere in Cathedra veritatis, addens sanctam Ecclesiam super hanc esse Petram solidatam.

In epistola 30. Libri VIII. ad eumdem Eulogium, talia scribit s. Gre-

eo: « Indicare quoque vestra beatitudo studuit, jam se qui-
scribere superba vocabula, quae ex vanitatis radice prodie-
loquitur, dicens: *sicut jussistis*. Quod verbum jussionis peto
u removete, quia scio qui sum, qui estis. Loco enim mihi
stis, moribus patres. Non ergo jussi, sed quae utilia visa sunt,
are curavi etc. » Interim dum hoc legis monitum Gregorii, considera, quomodo uterque pro suo gradu recte locutus sit. Eulogius intuitu sacrae et supremae auctoritatis, qua a Christo Jesu ditatus est Gregorius in obsequii testimonium erga Petri Cathedram hac formula usus est *sicuti jussistis*. Alter vero Gregorius a Magistri sui exemplo renuit hoc sibi vocabulum *jussionis* vindicare.

Item Gregorius in epistola 68. Libri IX. ad Eusebium thessalonicensem et alios episcopos illius regionis contra episcopum constantinopolitanum sibi oecumenici titulum arrogantem, inter alia scribit: « Praeterea pervenit ad nos, quod fraternitas vestra ad urbem Constantinopolim sit convocata. Et quamvis piissimus noster Imperator agi illic illicita non permittat, tamen ne perversi homines conventus vestri occasione percepta, aut pro hujus nominis superstitione locum surreptionis requirant, aut ob aliam rem facere Synodum cogitent, quatenus hoc in ea callidis machinationibus inducant, quamvis sine apostolicae Sedis auctoritate et consensu nullas, quaeque acta fuerint, vires habeant. Verumtamen coram Deo omnipotente obtestor et moneo, ut nullus vestrum illic quibuslibet suasionibus, quibuslibet blandimentis, quibuslibet praemiis, quibuslibet terroribus teneatur assensus; sed pro aeterni judicii consideratione adversus prava desideria salubriter atque unanimiter vos exhibete. Et pastorali constantia atque apostolica auctoritate suffulti, praedonem irruentemque lupum excludite, et in discissionem Ecclesiae saevienti non cedite, ne de hac re quacumque surreptione Synodum patiamini, quae neque legitima quidem, nec Synodus dicenda est, celebrari... Nam siquis, quod non credimus, scripta praesentia aliqua in parte neglexerit, a beati Petri apostolorum principis pace se noverit segregatum. etc. »

In epistola 35. Lib. X. ad dictum Eulogium ait Papa: « Scripsit mihi dulcissima et semper honoranda beatitudo vestra, quod ei communis filius Anatolius diaconus de constantinopolitana urbe scripserat, ad me quosdam monachos de Hierosolymorum partibus venisse, qui a me aliquid de agnoîtarum errore requirerent: et dicitis quia petiit ut vestra mihi sanctitas scriberet, quid de eadem debuisset inquisitione sentire. Sed neque ad me de Hierosolymorum partibus requirentes aliquid monachi venerunt; neque eumdem communem filium vobis potuisse aliud quam erat scribere: sed interpretem suspicor in ejus epistolis erravisse. Nam idem diaconus mihi jam antea biennium scripsit, quia a praedictis partibus ad constantinopolitanam urbem talia requirentes monachi venerunt, meque studuit requirere, quid sentirem »

Item in epistola 39. ejusdem Libri ad eumdem de eo ipso argumento loquitur: « Communis autem filius Anatolius diaconus suis mihi scriptis innotuit, in urbe regia nonnulla ecclesiastica de causis terrenis mota. Sed credo, quod prius hoc mihi nuntiaverat, quam de causa Ecclesiae beatitudo vestra loqueretur. Et gaudeo, quia ubi vos adesse contigit, me non arbitror defuisse. Nam veritatis minister Petri sequax et sanctae Ecclesiae praedicator, scio quia illa loqui potuisti, quae de Sede Petri apostoli per os Doctoris sonare debuerunt. Ante autem hos dies Abramio alexandrino veniente, sanctitati vestrae rescripseram, vel quid de scriptis vestris, quae contra haereticos agnoitas edidistis, senserim, vel cur tarde responderim. »

In utraque epistola constat Papam litteras accepisse a praefato Eulogio: ac insuper ibi Papa subdidit ad se scripsisse Anatolium diaconum constantinopolitanum asserentem, quosdam monachos de Hierosolymorum partibus ad se venisse, quos pariter dicit Romam profectos ob eamdem causam, rogantes nempe, quid sentiendum esset de agnoitarum errore. Ac insuper hinc patet Anatolium per litteras de hac re consuluisse Gregorium: qui Eulogio respondet super hanc quaestionem. Ex hoc epistolarum gyro inferatur, quod in secunda Parte expendimus de ecclesiarum apostolicarum praerogativis ac praesertim alexandrinae ceteris praestantis Orientis ecclesiis; cum tamen sciret, se secundum locum tenere post Ecclesiam Romanam, ad quam appellaret tanquam supremum judicem in hujusmodi quaestionibus; sicuti scite perfecit Eulogius.

Has interim considerate tanti Pontificis obtestationes, vos, qui nunc in Synodo permanente pro lubitu convenitis de re quavis disputantes et decernentes ulla absque conscientia Sedis apostolicae; et hoc in contemptum veteris praxis tantopere inculcatae a Patribus vestris et maxime a s. Gregorio a vobis inter sanctos valde honorato.

In epistola 46. Libri XI. respondet Gregorius Isacio episcopo hierosolymitano, a quo litteras acceperat synodicas. In hac assimilans Papa Ecclesiam Arcae Noe, inquit Isacio: « In hujus itaque Arcae aedificationem vos currere, relecta vestrae fraternitatis epistola, fidei compage gaudemus etc. » Paulo post subdit: « Pervenit ad nos, in Orientis ecclesiis nullum ad sacrum ordinem nisi ex praemiorum datione pervenire etc. » Item deinceps: « Praeterea pervenit ad me, quia in ea ecclesia, quae *Neas* dicitur, saepe in Hierosolymorum urbe vestrae ecclesiae jurgia nascuntur. Unde sanctitas vestra debet sollicite cuncta pensare etc. »

Hunc sane interrogate Isacium; et vobis respondebit se in Petri Cathedram obsequiosum, litteras dedisse synodicas Gregorio: quas Papa accepit uti concordiae pignus et subjectionis Sedi apostolicae. Ac una animadvertite quanta sollicitudine Pontifex ceu caput Ecclesiae universalis Isacium hortetur, ut tollantur abusus et contentiones in ea regione invalescentes.

In epistola 47. hujus Libri Gregorius scribit ad Anatolium diaconum constantinopolitanum, ubi dicitur hic Anatolius scripsisse ad Papam, ab eo Joannis episcopi primae Justinianae infirmi successorem petens. Cui respondet Papa, hoc fieri non posse: « Sed suggerendum est, ut si is, qui est in regimine, aegrotat, dispensator illius requiratur talis, qui possit ejus curam omnem agere, et locum illius in regimine ecclesiae, ipso deposito, conservare; ac in custodia civitatis implere, ut nec omnipotens Deus offendatur; neque civitas inveniatur esse neglecta. Si vero idem Joannes fortasse pro molestia sua petierit, ut ab episcopatus honore debeat vacare, eo petitionem scripto dante, concedendum est etc. »

Hos ergo interrogate, et discite quomodo in oeconomia ecclesiastica vetus episcoporum ordo se gesserit, singulis se in suo gradu continentibus. Joannes episcopus petens successorem scribit ad Anatolium diaconum apocrisiarium sanctae Sedis. Is vero conscius sibi non licere huic petitioni praebere responsum absque Romani Pontificis auctoritate, mittit ad Papam: qui pro sua prudentia decernat, quae agenda sint.

In epistola 50. Libri XII. ad Eulogium alexandrinum ait: « Latores praesentium Siciliam venientes, a monophysitarum errore conversi sunt, atque sanctae universali Ecclesiae semetipsos adunavere. Qui ad beati Petri apostolorum principis Ecclesiam pertendentes, poposcerunt a me, ut eos meis epistolis vestrae beatitudini commendare debuissem; quatenus ab haereticis, qui juxta ipsos sunt, nullam jam violentiam perpeti permittantur. Et quia unus eorum dicit monasterium, in quo fuit, a parentibus suis fuisse constructum, auctoritatem desiderat a sanctitate vestra percipere, ut hi, qui in eo sunt haeretici, aut ad sinum sanctae Ecclesiae redeant, aut de monasterio repellantur. Haec a nobis indicta etc. »

Hos ergo consulite monachos monophysitas ab errore conversos ad fidem catholicam; et ipsi respondebunt vobis, quanta veneratione affecti sint erga Sedem apostolicam. Qui ab avita traditione edocti, priusquam deficerent, judicem Ecclesiae Catholicae in cunctis sacris negotiis agnoscentes Papam, hunc invocantes Romam advenerunt, ut a beato Gregorio litteras commendatitias acciperent ad Eulogium Alexandriae patriarcham, et per eum obtinerent monasterium, a quo injuste depulsi erant. Hinc cernito quo ordine incesserunt monachi in hac re, persuasi Episcopum Romanum primatum tenere supra omnes orbis antistites sive metropolitas vel patriarchas et supra omnia monasteria eorumque archimandritas. Ac insuper non eos latuit, episcopum alexandrinum secundum locum tenere post Pontificem Romae ita ut unus alteri subderetur, quemadmodum decretum fuit in Synodo nicaena.

Et haec sunt Patrum vestrorum testamenta. Et haec est haereditas, quam vobis legarunt antecessores vestri, qui in Christo Jesu vos genuerunt. Consulite ergo illorum testamenta; et horum testamentorum con-

siderate bona pretiosa vobis legata, testatorum vota pro filiis suis, illorum fidem pro qua pugnarunt usque ad mortem, ut posteris relinquerent exemplum, et sequerentur illorum vestigia saepius sanguine suo obsignata. Percurrite paginas horum testamentorum; et in eis cernite illorum confessionem; cujus initium est invocatio Jesu Christi Filii Dei Redemptoris nostri et beati Petri; quem in terris constituit suum Vicarium, ut Ecclesiam suam regeret, et duceret ad vitae pascuum et salutis portum. Qui ut homo et quidem mortalis, etiamsi fato communi cederet, viveret tamen in suis successoribus usque ad mundi consummationem cum eisdem praerogativis, quibus, nulla excepta, cumulatus est primus, ut universam regerent Ecclesiam: et ignaros, dubios, errantes docerent viam veritatis absque illusionis metu; et cunctos confirmarent in fide, adeo ut portae inferi non praevalerent adversus hanc Petram.

Hos itaque interrogate Patres vestros, et docebunt vos: vos dico, qui a prima die schismatis vestri usque hodie perperam gloriamini de vestra orthodoxîa, ceu a septem Conciliis oecumenicis definita professi. Perperam dico vos ideo gloriari de ejusmodi orthodoxia, cum refellitis, quod praecipuum et essentiale in his Conciliis decretum est; et actu Patres vestri, qui convenerant, religiosissime perfecerunt: obsequium primo loco obtestati erga Petri Cathedram, unde infallibile judicium emanare fatebantur in confirmationem eorum fidem et mores spectantium ad cessationem dubiorum, ad contendentium concordiam; et ut, ubi praesertim ratio humana non sufficeret, auctoritas tunc divina suppleret per beati Petri oraculum; qui in successoribus suis loquebatur (et nunc loquitur) ad confirmandos fratres suos et Patres vestros in iis Synodis adunatos.

Ceteroquin, quod Patres vestri in praefatis Synodis admiserunt, vos refutatis. Vos in facto negatis, quod Patres vestri affirmarunt. Vos arianorum, eusebianorum, macedoniorum, nestorianorum, eutychianorum ac aliorum impia et haeretica dogmata cum Ecclesia Catholica damnatis ac refellitis. Et ex adverso cum vos negatis obsequium Episcopo Romano, ejusque spernitis judicium supremum, praefatarum Synodorum oecumenicarum contemnitis statuta; et honoratis memoriam arianorum et aliorum haereticorum, qui damnati a Sede apostolica, extra eam facti sunt. Posthabito enim illius infallibili magisterio ac suprema auctoritate, nec cum catholicis vestris Patribus nec cum haereticis convenitis, huc illuc errantes nec dogmati catholico morem geritis nec haereticorum placitis. Vestra ergo orthodoxîa inane vocabulum sonat. Ubinam enim est orthodoxîae magister Petrus, quem Christus constituit caput et inerrantem suae Ecclesiae doctorem perpetuo in sua Ecclesia permanentem?

Conferte quaeso, quae nunc docetis et geritis cum iis, quae Patres vestri, penes vos sanctitate et doctrina insignes, docuerunt et gesserunt erga Petri Cathedram. Conferte et obstupescite de differentia inter vos

cedente et illos. Gesta ex. gr. considerate et scripta authentica s. Gregorii Magni, cunctosque animadvertite regionis orientalis episcopos, metropolitas et patriarchas hujus Pontificis degentes aetatem; num unus reperiatur, qui talia cogitaverit sicut vos hodie circa jura metropolitarum in ordinatione episcoporum, circa synodorum adunationem, de dissensu inter episcopos sedando, circa decreta synodalia, circa sanctionem horum decretorum per potestatem laicalem sine interventu Sedis apostolicae. Vos profecto memoriam honoratis viri, qui vestras Synodos permanentes, vestra Concilia oecumenica, vestrum patriarcham oecumenicum et catholicum, vestra quomodocumque redacta damnat statuta; ac vestram lamentatur apostasîam; vobisque aeternam minatur perditionem.

Et quae tandem mandavit beatus Gregorius et facto explevit in sacro suo ministerio relate ad episcopatum et patriarchatum orientalem? Fortasse aliquis putarit, Papam disciplinae ecclesiasticae legibus excessisse praesertim circa episcoporum ordinationem et in quaestionibus inter eosdem episcopos agitatis; aut hoc patrasse et obtinuisse ob specialem deferentiam antistitum orientalium erga personam ejusdem privatam, seu ob alias causas? Relegite quae acta sunt in causa Athanasii ab eusebianis; et quae ad eos scripsit Julius Papa, abolitis illorum decretis ceu contrariis Canoni ecclesiastico et legi sacrosanctae ab apostolis repetitae et in Concilio nicaeno confirmatae.

Cum ergo ita sit Canon et lex sacra a Julio Papa citata et actu confirmata a s. Gregorio; quo jure vos nestoriani inter chaldaeos titulum assumpsistis patriarchae catholici Orientis? Et quo amplius jure vos inter graecos nomen praetenditis patriarchae oecumenici, et vos inter ruthenos gloriamini de Synodo permanente, cuncti omnimode separati a jurisdictione Sedis apostolicae, hunc refutantes Canonem et legem ecclesiasticam? Et quis vos constituit episcopos, judices, et pastores? et quis vos misit? Hoc enim vobis contingit, quod Deus in veteri Testamento falsis prophetis exprobravit, dicens: ipsi ibant, et ego non mittebam eos; ipsi loquebantur nomine meo; et ego non locutus sum ad eos. Adversus vos obtestatur Canon ecclesiasticus et lex sacra, et Ecclesia Romana metropolis verae pietatis, et apostolorum schola, quae non mentitur, decernens pro irritis habenda esse, quae praeter sententiam Episcopi Romani gesta fuerint.

Animadvertite in Julii Papae epistola et gestis s. Gregorii perpetuum praxis apostolicae ligamen in ordine pontificiae jurisdictionis supra omnes Orientis episcopos; ac una horum concordiam et obsequium erga Petri Cathedram; ac deinde haec conferte cum historia vestri patriarchatus: ubi nomen Episcopi Romani et Petri Cathedrae olim venerandum, nunc aerumnosae oblivioni traditum est: considerate quomodo hoc factum sit. Perscrutamini causas et initium hujus infaustissimae separationis.

Vos quidem aliquando in Patribus vestris de Ecclesia Christi benemeriti estis; ac veneranda Synodus nicaena constituit gloriam veteris ecclesiae orientalis. Fides namque catholica in eo Congressu per Patres vestros triumphavit de Arii impietate ejusque sectatoribus: et quod insuper per eos sapientissime statutum est in confirmanda jurisdictione pontificia supra universam Ecclesiam, et per vestrum obsequium in Petri Cathedram splendidissime patefactum. Nisi quod hic splendor hodie obscuratus est per vestram desertionem ab unitatis centro; in quo collocarunt vos apostoli et apostolorum discipuli: qui hodie per sua scripta authentica vestrum lamentantur schisma, ac mentis vestrae aberrationem. Acta namque sincera Synodi nicaenae a Patribus vestris subscripta una cum epistola authentica Julii Papae satis satisque fiunt in condemnationem vestrorum privilegiorum supra arenam extructorum.

Non enim nomen vanum Jesus Simoni inscripsit, quando hunc vocavit Petrum, nec fortuito tali titulo illum decoravit: nec multo minus frustra perpetua Patrum traditio Petri successores in Pontificatu hoc eodem titulo adornavit. Idcirco si nomen vanum non fuit hoc Petri loco Simonis vocabulum ex ore Christi (nec aliter quidem putandum est) in suis successoribus; et cum Patres vestri, si eos interrogaveritis, nec semel, sed semper, nec aliqui, sed omnes ab initio Ecclesiae unanimes hoc confessi sunt, et in Synodo confirmarunt, et per scripta authentica commendarunt posteritati, quare vos hoc contemnitis Patrum vestrorum pignus tanto studio vobis commendatum?

Et quid per haec significarunt Patres vestri? Hos interrogate; et respondebunt vobis, se credere in beati Petri successoribus adhuc vivere ipsum Petrum: qui universam regit Ecclesiam, totiusque orbis episcopatum continet sub sua ditione, et cuncta sacra negotia ad suam Cathedram revocat: in rebus fidei et morum infallibile pronunciat judicium; nec aliud docet superesse tribunal appellationis adversus enunciatam ab eo definitionem.

Qua ergo ratione vos hodie declinastis ab institutionibus Patrum vestrorum, eorumque contempsistis haereditatem? et praesertim patriarcharum Alexandriae, Antiochiae, Hierosolymorum; quarum metropolitae, si ceteris praestarent episcopis, cedebant tamen primatui Ecclesiae Romanae ob reverentiam in Principem apostolorum? Honoratis memoriam illorum, qui singulari observantia prosecuti sunt Antistitis Romani supernam auctoritatem; inter sanctos illorum colitis memoriam; horum nomen invocatis et patrocinium: ac una contemnitis, quod ab eis, ceu pretiosissimum Dei donum, custoditum est obsequium in Sedem apostolicam, in Sedem beati Petri. Atque adeo contempsistis ut pedetentim pontificium tribunal Roma alio a vobis transferretur: magisterium sacrum permutaretur in profanum, sacerdos in laicum; atque viro aliquando in judicando substitueretur foemina; et, quod omnem superat stuporem, christia-

judici et quidem episcopo substitueretur Mahumedis servus, et qui in rebus sacris. [1]

Praeterea et aliunde manifestatur vestra illusio, collatis quae eusebianis de arianorum secta supervenerunt suisque posteris, priusquam scinderentur ab Ecclesia Catholica. Hi namque ab initio quaestionis de Athanasio, et in simplicitate cordis incedentes, ac patriae traditioni rite instantes, una cum Patribus nicaenis Ecclesiam Romanam vocarunt *metropolim religionis et apostolorum scholam* omnium ideo dignam reverentia. Et per haec honorantes illius praesidem Pontificem, confessi sunt judicem haberi omnium controversiarum sacrarum sive fidem sive disciplinam spectantium, adeo ut hunc libenter invocarint arbitrum in quaestione cum Athanasio et sociis ejus.

Et quidem talis fuit eusebianorum conditio erga Pontificem Julium, quando veteri praxi obsecuti ad eumdem scripserunt, ut in causa sua cum Athanasio et sociis judex fieret: « Porro eusebiani, inquit Athanasius in Apologia n. 20. rogabant Papam, ut Synodus cogeretur, et ipse si vellet, judex foret. » His positis, si judex, dico ego, vocatus est ab eusebianis Pontifex, ac ideo sic ad eum scripserunt: nihil insanius fingi potest, quam quod in hoc casu iidem postea excogitarunt et patrarunt ita ut praesumerent, Papam quaestionis arbitrum vocatum, nisi suae parti faveret, deponendum esse a suo ministerio, et excomunicandum a fidelium consortio. Nihil revera insanius ab eusebianis excogitatum est, ita ut contenderent cum eo, quem judicem invocarunt; et ut se discipulorum loco transmutarent in magistros cum rectae rationis contemptu et adversus ea, quae spoponderant ab initio quaestionis. Et talis profecto fuit et est conditio miseranda haereticorum fere omnium, qui ab ea aetate et successive refutarunt supremum magisterium Sedis apostolicae.

Et inter hos praesertim interrogate Photium in sedem constantinopolitanam intrusum schismatis vestri principem et a vobis valde honoratum. Postulate ab eo, quare post ordinationem suam scripserit ad Sedem apostolicam, ab hac petens suae electionis confirmationem. Et quid opus erat ei ad Pontificem Romanum confugere? Et cum hoc expleverit, nescius fortasse qualis foret tanti facinoris exitus, satis indicavit et confessus est, episcopatum constantinopolitanum in gradu inferiori constitutum esse Pontificatui Romano, ac proinde hunc exercere jurisdictionem super hujus et ceterarum ecclesiarum antistites. Et cum hoc fecerit Photius, obsequium juxta priscum morem obtestatus in Petri Cathedram; quare vos hodie, qui hanc Sedem contemnitis, non una pariter memoriam despuitis vestri schismatis fundatoris? qui vix episcopatum adeptus, scripsit ad Papam ut sanciretur sua assumptio ad hujus ecclesiae regimen?

[1] Confer Opus egregium Jacobi Pitzipios cum titulo: l'Eglise orientale etc.

Similiter percurrite Gregorii epistolam 68. Libri IX. ad Eusebium thessalonicensem et ceteros Thessaliae et aliarum provinciarum antistites: ubi haec notantur s. Pontificis verba ad eosdem circa Synodi adunationem: « Sine auctoritate Sedis apostolicae, ait, atque consensu nullas, quaeque acta fuerint, vires habeant. » Ac amplius in fine subdit: « Nam siquis, quod non credimus, scripta praesentia aliqua in parte neglexerit, a beati Petri apostolorum principe pace se noverit segregatum. »

His positis, animadvertite, qui saepe convenitis ad Synodum et quidem contra Sedis apostolicae mentem. Ita namque agentes, aut super vos invocatis perpetuo anathema refractariis indictum jure ab ipso Gregorio, quem inter sanctos colitis, vestraeque subscribitis damnationi. Aut si contemnitis pontificium anathematis decretum, tunc a vobis excludendus est Papa a numero sanctorum virorum, qui honorantur in diptychis vestris. Inter haec seligite, quid magis vobis conveniat.

Novissime, ad vos loquar, praesertim, qui *Veterum Catholicorum* titulum assumpsistis in definitionis Concilii Vaticani contemptum. Cum enim nemo sit, qui inficiari poterit ab experientia et communi omnium testimonio confirmatus, hominem in statu naturae lapsae, non sibi sufficere ad sua erga Deum officia clare cognoscenda et explenda, nisi divina revelatione adjutum; ita tantumdem patet, Deum in sua providentia hujus supernae revelationis fidelem custodem, magistrum, et interpretem infallibilem constituisse, ne illuderentur homines in exercitio et applicatione eorum, quae in hac continentur revelatione; sed ex adverso persuaderentur, talem hujus revelationis custodem et interpretem divinitus instructum, veritatem absque illusione docere. [1]

Adam primus a sua culpa relevatus, hoc sacro magisterio functus est una cum Sacerdotio: in quo Christi Dei Redemptoris figurabatur persona, ejusdemque infallibilis doctrina. Quod magisterium una cum sacerdotio primum in figura, deinde in facto usque ad mundi finem perseveraturum erat. Et tales sane fuerunt magistri et Sacerdotes patriarchae omnes Adami successores usque ad Noe *octavum justitiae praeconem,* [2] non multi simul electi, sed unus, sicut Christus unus in eis figuratus. Quod Scriptura Geneseos luculenter describit, seriem texens patriarcharum usque ad Noe; et a Noe usque ad Abrahamum patriae religionis cultorem, et ab Abrahamo usque ad Moysen. Qui ex divino mandato Aaronem fratrem suum constituit Sacerdotem magnum et magistrum populi Israelis; cujus successores ex ipsius generis orti usque ad Christum verum Sacerdotem magnum, incessante ordine perrecturi erant, hujusmodi tamen praerogativis instructi in regimine populi, ut patriae traditionis et mosaicae Legis custodes dicerentur et interpretes inerrantes, quemad-

[1] Non nisi cum animi aegretudine, quod hic mihi disputandum sit cum quibusdam, quos magni hucusque feci. — [2] Petri epistola 2. c. II. 5.

modum ab initio Partis primae expositum est. Donec cessante Aaronis Pontificatu alterius typo, successit excelsus Christi Pontificatus, qui Ecclesiam suam regendam commisit Simoni Petro et suis successoribus usque ad mundi finem, tanta sapientia et auctoritate cumulatis, ut nunquam deficeret eorum fides, populosque docerent viam justitiae absque erroris metu, ac starent adversus inferorum portas.

Tali itaque ordine in Christi Ecclesia non humano arbitratu, sed divina providentia ad animarum salutem instituto Sacerdotio a mundi primordiis usque ad hujus consummationem; quid ergo novi factum est in Concilio Vaticano, quando Patres decreto confirmarunt personalem Pontificis Romani infallibilitatem, sicuti vobis visum est, adeo ut vos hanc contemnentes definitionem, titulum refutantes catholicorum recentium, *Veterum Catholicorum* assumsipstis nomen: quasi veteres catholici aliter quam recentiores credidissent et secus ab eo, quod decretum est in hac oecumenica Synodo? Oh vanam illusionem et tantorum virorum sapientiae indignam. Veteres catholici, audentius dicam, non tantum ita crediderunt; ast variis illius aetatis animadversis circumstantiis, uti ab horum scriptis educitur, majori alacritate quam forsitan recentes hanc propugnarunt doctrinam.

Profecto veteres catholici, quos invocatis vestri schismatis patronos, hanc eamdem professi doctrinam, quam reprobatis et detestamini, palam contra vos obtestantur. Et reapse interrogate prisca historiae monumenta, superius illustrata, et invenietis ab initio seculi secundi (Eusebius Hist. Eccles. Lib. V. c. XXIV.) plures Orientis episcopos in quibus Polycarpum Romam advenisse de variis negotiis consulendi causa Sedem apostolicam: quibus respondit, quin nec ipse Papa nec multo minus episcopi Synodi adunationem postularent. Et sic successive historiae documenta consulite; ubi episcopi Dionysius alexandrinus, Athanasius, Marcellus ancyranus, Basilius, Chrysostomus, Hieronymus, Cyrillus alexandrinus, Theodoretus, ceterique magni nominis viri vel per se, aut per legatos, sive per epistolas appellarunt ad Petri Cathedram, hujus judicium expectantes praesertim in rebus fidei, parum de Synodo solliciti. Item haeretici seu de haeresi suspecti, hanc praxim veterem secuti, quin aliud tribunal invocarent quaestionum suarum judicem, nec multo minus Synodum episcoporum, cuncta commiserunt sapientiae et consilio Petri successoris. Eustathius, Valens, Eusebius, Pelagius, Caelestius, Nestorius, Eutyches, Dioscorus (de ceteris sileo, qui his praecesserunt) priusquam penitus ab Ecclesia scinderentur horum nemo ad Concilium appellavit: verum Papam solum invocarunt judicem suorum dogmatum. Ab his ergo quaerite, quare hoc fecerint. [1]

[1] Interea cum res ita sit, nolim ut Ecclesiae gallicanae magistri aliique illudantur ab iis, quae Christus ipse ex Matthaeo docet de fraterna correptione c. XVIII. *Si autem pecca-*

Item Papae, si juxta circumstantias et controversiarum qualitatem, episcoporum probarent adunationem, horum tamen definitiones supremo suo judicio subjiciendae erant. Ac ita factum est in Synodis nicaena, constantinopolitana, africana, ephesina, chalcedonensi, hanc normam secutis et antequam adunaretur Synodus ac eo amplius in fine ejusdem.

Quod autem maximum est, inter hos (quos modo citavi adversus illusiones vestras obtestatos) *veteres catholicos* patronos vestros considerate Dionysium alexandrinum, qui judicio Sedis apostolicae, non vero Synodi, submittit suae fidei professionem *ne forte erraret,* ut inde deducatis Papam infallibitatis dono praeditum. Item consulite Liberium Pontificem, qui Constantio imperatori respondit: « *Non eo quod sim solus, fidei causa imminuitur.* Audite s. Basilium, qui una cum episcopis Orientis fatetur Sedi apostolicae *datum esse adulterinum a probo discernere; et fidem sine ulla dubitatione praedicare.* Attendite his, quae scribit Siricius de beato Petro sibi adsistenti: *qui nos in omnibus, ut confidimus, administrationis suae protegit et tuetur haeredes.*

Animadvertite in Xysti dicta ad Cyrillum alexandrinum: « *Beatus Petrus apostolus in successoribus suis, quod accepit, hoc tradidit.... Abso-*

verit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic ecclesiae. Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.

In his, ut e contextu patet, docet Jesus apostolos, quomodo et quo ordine corripiendi essent ab ipsis fratres, qui deliquissent. Et ideo, quod antea ait *unum vel duos testes adhibe tecum,* idem refertur ad ecclesiam testem pariter vocatam peccati illius. Idest, nisi duos vel tres testes cujusque conditionis, a te vocatos, audierit, nec se emendaverit, dic ecclesiae, ut omnes illius congregationis viri cognoscant illum esse reum. Et hinc, nisi corrigatur, vel resipiscat sub tot testium praesentia, abscindatur ab ecclesia, et ut ethnicus et publicanus habeatur.

Haec autem magis pateflunt ex Apostoli dictis ad Timotheum in Epistola 1. c. V. 19. *Adversus presbyteros accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Peccantes coram omnibus* (quod idem est ac coram ecclesia) *argue, ut et ceteri timorem habeant.* Item facit, quod *de incestuoso* scribit 2. ad Corinthios c. II. 6. *Sufficit isti* (fornicario) *qui ejusmodi est, objurgatio, quae fit a pluribus.* Idest coram ecclesia adductus et ab ea exprobratus, suumque peccatum confessus, non ultra extra ecclesiam fiat, sed in eam restituatur. Et hoc dicit et mandat Jesus discipulis suis quoad fratrum correptionem privatam et publicam, et ejectionem ab eorum coetu, prout variae delinquentis circumstantiae postularent; haud secus ab eo, quod dicitur in Ioanne c. IX. 22. *Conspirarant judaei, ut siquis eum* (Jesum) *confiteretur esse Christum, extra Synagogam fieret:* idest extra Ecclesiam, cum haec duo nomina apud hebraeos idem sonent. Hinc. ex. c. XXIII. 34. Ecclesiastici, *haec (adultera) in ecclesiam adducetur; et in filios ejus respicietur,* ajunt rabbini: « Mos erat incorrigibilem quemvis promulgare in Synagoga. » Sed de his consulas, quae egregie scripsit Joannes Lightfootus in *Harmoniam quatuor Evangeliorum.* Tomo 2. Sectione 55.

Conferto egregium Opusculum c. v. Antonii Ballerini e S. J. inscriptum: *Jus et officium episcoporum in ferendo suffragio pro infallibilitate Romani Pontificis.* Romae Typis Civilitatis Catholicae: ubi praefatum Evangelistae testimonium citatur a gallicanis adversus Pontificiam infallibilitatem.

lutam et simplicem fidem, et quae controversiam non haberet, accepit. » Ponderate litteras episcoporum Eutherii thianensis, Helladii tharsensis, et aliarum provinciarum Euphratis, Ciliciae, Cappadociae, Thessaliae; ubi concordes de Cathedra pontificia, in qua sedebat Xystus, hanc pronunciarunt professionem: *Suffecit vestra apostolica Sedes per universum tempus illud, ad mendacium convincendum et impietatem reprimendam, et corrigenda, quae necesse fuerunt* etc. Inquiunt sane *Sedem apostolicam suffecisse,* non vero Synodum oecumenicam.

Considerate, quae Petrus Chrysologus scribit ad Eatychetem, eum rogans ut judicio obsequatur Leonis Papae: « *Beatus Petrus, qui in propria Sede vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem.* » Theodoretus a sua Sede expulsus confugit ad s. Leonem: « *At ego, ait, apostolicae vestrae Sedis expecto sententiam: et oro et obtestor sanctitatem tuam, ut mihi rectum et justum tribunal vestrum invocanti, opem ferat; jubeatque ad vos venire et doctrinam meam apostolicis vestigiis inhaerentem ostendere.* » Theodoretus ait se ab apostolica Sede expectare sententiam, non vero ab oecumenica Synodo. Tantumdem Chrysologus inquit, Petri Cathedram per Leonem praestare quaerentibus fidei veritatem, non vero per Synodi adunationem.

Ceterum hucusque Sedis apostolicae praestantiam vindicavi supra Concilia: ac horum auctoritatem ostendi a sanctione pontificia profecisse, ac una utilitatem admisi in illorum adunatione, maxime intentis contentionibus inter episcopos, ut magis illucesceret veritas catholica; non est tamen praetereundum, has Synodos extra consensum Episcopi Romani congregatas, plerumque confusionem in Ecclesia provocasse et scandala. Quod manifeste in primis cernitur in pluribus Synodis post oecumenicam nicaenam adunatis: de quibus ait s. Athanasius in epistola ad Afros n. 10. « Hortamur vos ne feratis, ut supra diximus, eos, qui fidei occasione multitudinem Synodorum objiciunt.... quae plurimae sunt et tumultuosae... Haec enim Synodus nicaena vere cippus est inscriptus adversus omnes haereses. »

Quapropter s. Gregorius nazianzenus ob horum Conciliorum abusum in epistola 24. ad Theodorum scripsit: « Synodos enim atque conventus procul salutamus; ex quo scilicet tempore multos eorum, ut parce loquar, molestos esse comperi. Et in Carmine 17. De vita sua v. 90. subdit: « Non jam ego in Synodis sedebo collega anserum et gruum inconsiderate decertantium. Hîc rixa, hîc bellum et probra prius latentia in unum congregantur dissidentium locum. » Et reapse in his Synodis, haud conscia Sede apostolica adunatis, saepe saepius tumultus, rixae accidunt; et ubi episcopi uti anseres et grues decertant, quin unquam scopum attingant, cum deest judex supremus, qui certamina sedet sua mediante auctoritate; et confirmet dubios, sicuti a priscis temporibus experientia usque ad recentissima *veterum catholicorum* conciliabula manifeste docet.

Novissime, ut saepius dictum est, Patres omnes veteres graeci et latini crediderunt, docueruntque, adversus Petrum, supra quem fundata est Ecclesia, nunquam praevalituras fuisse inferorum portas: et pariter concordes statuerunt, haec verba dicta esse non de solo Simone sed et de omnibus suis successoribus in ejusdem Cathedra: quippe per hunc titulum translatum in suis successoribus, solidabatur non solum fidei christianae veritas sed et unitas; et per hanc unitatem confirmabatur perennitas regni Christi idest Ecclesiae in terris; ne secus sequeretur quod ait ipse Christus: *Omne regnum in se divisum desolabitur.*

Quapropter veluti consequentia necessaria ob hujus Petri et successorum suorum soliditatem et perennitatem inferenda quoque est ejusdem Petri et successorum infallibilitas in suis definitionibus, quum per Spiritus Sancti invocationem universam doceant Ecclesiam in rebus ad fidem et mores spectantibus, ita ut nec dari possit Ecclesiae Christi perennitas absque soliditate, neque soliditas sine rectoris ejusdem infallibilitate. Quae omnia rata perspectaque manifestantur in Ecclesia Catholica Romana.

Similiter quoad quaestionem de hujus dogmatis definitione in hoc tempore exacta, quasi quid novi institutum sit credendum, et circa ejusdem dogmatis definiendi opportunitatem, acta revocanda sunt, quae praecesserunt, Synodorum oecumenicarum, incipiendo a Concilio nicaeno usque ad tridentinum. In quibus nullum novum dogma introductum est in Ecclesia; sed confirmatum est quod a Christo Jesu et ab apostolis traditum est fidelibus credendum. Ex. g. Synodus nicaena definivit Christi divinitatem Patrique consubstantialitatem adversus arianorum impietatem, nihil novi docens, sed quod semper in Ecelesia creditum est. Et ita factum est in Concilio constantinopolitano contra Macedonium Spiritus Sancti divinitati mentitum. Item in Synodo tridentina de Christi Dei praesentia reali in Eucharistiae Sacramento etc. Nec secus factum est in Concilio ultimo Vaticano de personali Episcopi Romani infallibilitate: ubi nihil novi decretum est; sed quod a beato Petro (ne dicam ab initio mundi) usque ad Pium IX. incessanter creditum, confirmatum est in hac Synodo ad inscios dubiosque instruendos, et adversarios refellendos, ita ut tolleretur quicumque praetextus adversus hanc definitionem ejusque opportunitatem: neque inde accideret, quod in morbis supervenire solet, ita ut, medico et pharmaco retardatis, difficilius obtineatur salus.

Verumtamen hac exacta definitione synodali una cum pontificia sanctione, siquid adhuc superest discutiendum; et si hactenus manent dubia quoad hujus dogmâtis sensum et applicationem bona vel mala fide promota, non desistit tamen praefatum divinum oraculum: *Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me, et ego audiam. Referte ad me,* inquit hodie Summus Pontifex in persona Petri, *et ego audiam.* Ego sum Petra a Christo Jesu constituta; adversus quam nunquam praevalebunt

portae inferi. Et cum sim talis firma et immobilis Petra, confirmo fratres meos episcopos, et quicumque a satana cribrati indigent hac confirmatione, ne pereant. Ego Sacerdos magnus stans pro vobis coram Deo. Ego judex supremus a Christo in sua Ecclesia vocatus et electus ad hanc regendam. Et ego arbiter, ad quem omnia christifidelium negotia referenda sunt: *Referte ad me, et ego audiam,* idest divinitus edoctus respondebo interrogationibus vestris.

Et siquis dixerit de me, sicuti aliquando pharisaei de Jesu dixerunt (Joann. c. VIII. 13.) *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum,* respondebo ei quemadmodum Christus pharisaeis: *Et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum.* Scio enim, me a Jesu vocatum et constitutum esse Petrum et magistrum ut doceam fratres meos, eosque confirmem in veritate, quam ipse Jesus posuit in ore meo. Qui autem secus fecerit, nolens verbis meis obtemperare, sciat per seipsum esse damnatum, et, nisi resipiscat, extra Ecclesiam factum in perpetuum.

Et hîc cum cesso a quaestione, hoc unum animadvertere visum mihi est. Sicuti aliquando judaei missioni increduli Salvatoris, valde aegreferebant ejusdem divinitatem ita ut assererent: *non de bono opere lapidamus te; sed tu homo cum sis, facis teipsum Deum.* Ita hodie cunctas philosophorum sectas admodum pungit dogma de infallibilitate, qua a Deo munitus est Petrus et in eo sui successores. Posita namque Christi divinitate, omnes pharisaeorum nisus adversus eumdem irriti facti sunt. Ita posita infallibilitate Petri, quem Dominus constituit doctorem super Ecclesiam suam, et pro quo rogavit ut non deficeret fides ejus, non Simonis, sed Petri et in eo omnium successorum suorum, ut starent adversus inferorum portas, ad nihilum rediguntur omnes obtestationes, conatus, congressus, conciliabula inimicorum suorum: qui in hanc irrumpentes Petram, franguntur, pereunt.

De reliquo, si consideretur praesens humanae societatis conditio coram philosophorum turba, qui totum hodie infecerunt mundum novis et peregrinis et semper falsis et nunquam sibi constantibus theoriis relate ad Deum ejusque providentiam erga creaturas, singulis in suo sensu abundantibus extra supernae revelationis dictatum, valedicentibus quoque communi veterum traditioni; ac una consideratis quae invaluerunt sectae religiosae, quarum singulae in sua parte indicia manifesta testantur suae vanitatis; ac propterea philosophi ipsi ludunt et gloriantur merito supra harum ruinam; superest tamen in sua integritate Ecclesia christiana Catholica Romana divinitus instituta, cujus caput Christus: in quo capite ipsa vivit, viget per perennem divini Spiritus adsistentiam in eo, cui creditum est ejusdem Ecclesiae regimen, adeo ut sit infallibilis, qui hanc regit; et perpetua proinde sit ejus duratio.

Quod si fieret aliquando (quod non erit) ut talis hodie praerogativa

cessaret, tunc simul cessaret necessario ordo socialis: totusque confunderetur orbis inter tot philosophorum aberrationes. Ac nulla lex sufficeret humani generis saluti, nisi saeva gladii lex pro lubitu imperantium tractati, seu inter populorum seditiones irrumpentis. Et hae quidem forent funestae populorum sortes extra sitorum patrias traditiones et extra supernum divinumque magisterium custodem et interpretem infallibilem earumdem, a divina providentia hominibus donatum.

Voces ergo, clamat s. Leo in Sermone 100. n. 3. voces ergo custodis nostri beati Petri apostoli, fratres carissimi, erectis cordium auribus intendamus; et rectam vestigiorum ejus lineam tenentes, a pascuis ad quae vocat, nusquam exorbitemus. Si enim consilium ejus libenter admittimus, frementium bestiarum (tales enim sunt hodie philosophorum sectae) insidias non timebimus. Nunquid enim custos noster super gregem suum studiose non vigilat et ferarum incursus, ut caveri debeat, sollicitis vocibus non clamat? *Diabolus enim,* inquit, *tanquam leo rugiens circuit, quaerens, quem devoret, cui resistite fortes in fide.* Expedit ergo, fratres carissimi, ut consulentem nobis caelestis curiae consulem, intentis cordibus audiamus: et certissimum salutis nostrae consilium parvi pendere formidemus. »

FINIS PARTIS TERTIAE

INDEX

PARTIS PRIMAE

PROLOGUS . . . . . Pag. V

CAP. I. De institutione et praerogativis summi Sacerdotis in Legislatione mosaica . . . . . » 1

CAP. II. Mosaica statuta de jure pontificali exposita et confirmata a successiva sacra hebraeorum Historia . . . . . » 7

CAP. III. Eadem thesis probatur magisque explanatur a Philone judaeo, Josepho Flavio, aliisque sacris et profanis monumentis . . . . . » 14

CAP. IV. Unus Deus, una Lex, una Metropolis omnium judaeorum Hierosolyma, unum Templum, unus Sacerdos magnus . . . . . » 21

CAP. V. De institutione et praerogativis novi Sacerdotii in Ecclesia christiana beato Petro commissi; quod veteris complementum usque ad mundi finem duraturum erat . . . . . » 26

CAP. VI. Ex veterum Patrum et interpretum testimonio sensus discutitur Christi verborum: *Et portae inferi non praevalebunt adversus eam* » 32

CAP. VII. Divinum Deuteronomii testimonium c. 1. 17: *Quod si difficile vobis visum aliquid fuerit, referte ad me et ego audiam,* a Synagoga ad Ecclesiam Christi translatum: cujus depositarius Petrus, et post eum Linus, Anacletus, Clemens, Soterus . . . . . » 40

CAP. VIII. Eleutherus, Victor, Zephyrinus, Fabianus. . . . . » 46

CAP. IX. Cornelius, Stephanus, Xystus II, Dionysius, Felix, Melchiades, Silvester . . . . . » 51

CAP. X. Julius et Liberius . . . . . » 58

CAP. XI. Damasus et Siricius . . . . . » 63

CAP. XII. Anastasius et Innocentius . . . . . » 74

CAP. XIII. Zosimus et Bonifacius . . . . . » 80

CAP. XIV Caelestinus et Xystus III. . . . . » 83

CAP. XV. Leo Magnus praefatarum disquisitionum corona . . . . . » 91

CAP. XVI. Praxis ab Ecclesiae primordiis in cunctis christiani orbis regionibus ab haereticis et delatoribus bona vel mala fide servata referendi vel appellandi ad magisterium et judicium Sedis apostolicae. . » 98

CAP. XVII. Veterum et recentiorum argumenta refutantur de Liberii Papae lapsu in haeresim arianam: et primum ex s. Athanasii scriptis. . . » 106

Cap. XVIII. Praemissa ac discussa Liberii Papae epistola encyclica authentica, sequuntur Patrum et historicorum exploranda documenta adversus ejusdem Papae lapsum . . . . . Pag. 118

Cap. XIX. Illorum argumenta refutantur, qui putant Liberium Papam errasse, s. Athanasii subscribentem damnationi et haereticae pravitati . » 128

Cap. Ult. Praefatarum disquisitionum summarium in iis, quae spectant ad personalem Romani Pontificis infallibilitatem . . . . . » 135

INDEX

PARTIS SECUNDAE

Praefatum . . . . . » 145

Canones nicaeni . . . . . » 149

Cap. I. Canonis nicaeni de pontificia jurisdictione supra universam Ecclesiam vindicatur integritas et authenticitas adversus furtivam ejusdem subtractionem a catalogo vulgato. . . . . » 159

Cap. II. Ex Siricii, Innocentii epistolis et aliorum auctoritate emendatur et explanatur lectio Canonis IV. nicaeni de conscientia Sedis apostolicae in ordinatione episcoporum totius orbis christiani . . . » 171

Cap. III. Canonis VI. nicaeni de sacro *presvyou* primatu sive praerogativa ecclesiarum apostolicarum Romanae, alexandrinae, antiochenae, et caesariensis, singulis in suo honoris gradu collocatis, primo, secundo, tertio, quarto cum suis attributionibus propriis, genuinus sensus explanatur et vindicatur contra ejusdem falsatores . . » 180

Cap. IV. Sensus genuinus Canonis VI. nicaeni circa essentiam *presvyou* primatus honoris, post Ecclesiam Romanam, trium ecclesiarum apostolicarum alexandrinae, antiochenae et caesariensis: unde ac magis falsata firmatur lectio vulgata hujus Canonis . . . . . » 189

Cap. V. Sequuntur documenta ad praefatam thesim spectantia in confirmationem mutilationis, subtractionis et falsationis Canonum nicenorum, in quibus numerantur Canones de celebratione Paschatis, de coelibatu ecclesiastico, et de promovendis ad sacros ordines, eorumque officiis . . . . . » 203

Cap. VI. Canones nicaeni de episcoporum aditu ad Comitatum, de episcoporum et presbyterorum transitu a civitate ad aliam, de fidelium oblationibus sub laicorum dominio non detinendis, de inscribendo in sacris diptychis episcoporum defunctorum nomine, de poenitentibus morti proximis etc. subtracti vel mutati. Demum omnium nicaenorum Canonum, prout notantur in elencho vulgato, collatio cum Canonibus antiochenis ab eusebianis conditis, et cum Canonibus et Constitutionibus vulgo dictis apostolicis a calamo redactis Sedi apostolicae hostili . . . . . » 212

Cap. VII. Canones vulgo, falso tamen, Synodo sardicensi inscriptos, nicaenorum Canonum commentarium haberi, in Africa ab episcopis orthodoxis latine elaboratum probatur. Et hoc adversus praeposteram Centuriatorum sententiam . . . . . Pag. 221

Cap. VIII. Concilium constantinopolitanum oecumenicum secundum post nicaenum, an. 381. adunatum contra Macedonium, a Damaso Papa sancitum, et distinctum a Conciliabulo in eadem urbe an. 382. per eumdem Pontificem reprobato ob corruptos disciplinae ecclesiasticae Canones a Synodo nicaena statutos, et ob calumnias in probos viros jactas . . . . . » 231

Cap. IX. Conciliabuli Canones diluuntur: Maximi Constantinopoleos, et Timothei alexandrini antistitum fides orthodoxa vindicatur: praecipuae causae stabiliuntur insimulationum adversus utrumque delatarum: firmatur thesis de adulteratione Canonis VI. nicaeni . . . . » 242

Cap. X. Disputatur contra authenticitatem Synodi plenariae carthaginensis adunatae adversus Commonitorium Zosimi Papae et Canonem nicaenum de appellationibus ad Sedem apostolicam . . . . . » 254

Cap. XI. Ex praemisso ejusdem Synodi de appellationibus actuum examine, collatisque Augustini, Prosperi et aliorum documentis, magis convincitur, hanc Synodum schisma redolentem, cujusdam donatistae commentum haberi, perperam orthodoxis Patribus inscriptum » 266

Cap. XII. Ab Augustini et aliorum Patrum scriptis rite expensis cetera refutantur argumenta adversariorum pro hac Synodo in confirmationem nostrae thesis . . . . . » 276

Cap. XIII. Expenduntur epistolae Cyrilli alexandrini, et Attici constantinopolitani ad Synodum africanam et altera ejusdem Attici ad Bonifacium Papam circa praefatum argumentum de appellationibus ad Sedem pontificiam . . . . . » 285

Conclusio . . . . . » 299

INDEX

PARTIS TERTIAE

Prologus. . . . . » 305

Actuum Apostolorum c. XV. et Epistolae ad galatas c. I. et II. . . . . » 309

Cap. I. De Petri et Cephae nomine Scripturis apostolicis inserto. Vulgatae Bibliorum latinae editionis quoad Petri ac Cephae pro illorum nomine locoque proprio distinctionem, veluti nunc in Epistolae ad galatas c. I. et II. notatur: sincera ac genuina instituitur lectio, adeo ut non una, sed duae ibi sumendae sint personae proprietatibus inter se distinctae . . . . . » 314

CAP. II. Quae in Epistola de Cephae ac Pauli Hierosolymis et Antiochiae gestis recitantur, referenda sunt ad historiam et aetatem Concilii hierosolymitani in c. XV. Actuum apostolorum descripti . Pag. 319

CAP. III. Probatur apostolica verba ad galatas c. II. 2. *et contuli cum illis Evangelium, quod praedico in gentibus* referenda esse potissimum ad apostolos, sive ad Petrum et Jacobum fratrem Domini: cetera vera quae sequuntur, *seorsim autem iis, qui videbantur aliquid esse,* ad quosdam a Petro et Jacobo diversos reportanda. . . » 324

CAP. IV. Ex Epistolae dictis c II. 2. *qui videbantur aliquid esse,* firmatur argumentum, neminem ex tribus viris, nec Jacobum, nec Cepham, neque Joannem in primoribus apostolis numerandos esse. . . » 333

CAP. V. Sensus et ratio Apostoli disquiritur in vv. 7. et 8. ejusdem c. II. ubi realiter agitur de persona Petri, et unde nobis novum argumentum accedit, Cephum in vv. 9. 11. 14. citatum, nequaquam confundendum esse cum apostolorum principe. . . . . » 338

CAP. VI. Ex aliis circumstantiis in Epistola et in actis Concilii notatis, Cepham, Jacobum et Joannem probatur extra 12. apostolorum coetum collocandos esse . . . . . » 343

CAP. VII. Praefatorum summarium. Cunctae ac singulae circumstantiae in Actis apostolicis notatae hypothesi penitus obstant, in tribus viris Jacobo Cepha et Joanne in c. II. 9. Epistolae citatis, comprehendi Jacobum fratrem Domini Hierosolymorum episcopum, Cepham Petrum apostolum et Joannem Zebedaei filium . . . . . » 347

CAP. VIII. Nihil officere ostenditur Scripturae sacrae si, a dodenario apostolorum numero praefatis viris Jacobo, Cepha et Joanne sejunctis, inter discipulos et presbyteros Ecclesiae hierosolymitanae admittantur» 352

CAP. IX. Cephas, cujus mentio in Epistola I. ad Corinthios, ob circumstantias de eo a Paulo notatas, non est confundendus cum Simone Petro apostolo . . . . . » 357

CAP. X. Quaeritur quis iste fuerit Cephas, quem Domini auditorem, ejusdem resurrectionis spectatorem, ac Evangelii praeconem fuisse in Ecclesia Christi dicit Apostolus . . . . . « 365

CAP. XI. Ecclesiae graecae et orientalis vetus traditio de persona Cephae ab apostolo citati, et a Simone Petro apostolorum principe distincti » 368

CONCLUSIO . . . . . » 371

PARAENESIS

ad patriarchas et episcopos nestorianos, monophysitas, Jacobitas, graecos, armenos, ruthenos, ac ceteros extra ecclesiam romanam catholicam ad hanc usque diem factos. . . . . » 373